THESAURUS ANECDOTORUM NOVISSIMUS: SEU VETERUM...

Digitized by Google

R. P.
BERNARDI PEZII

THESAURUS ANECDOTORUM NOVISSIMUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

THESAURUS ANECDOTORUM NOVISSIMUS,

SEU

VETERUM MONUMENTORUM,

Præcipuè

Eccleſiaſticorum,

Ex

Germanicis potiſſimùm Bibliothecis adornata Collectio recentiſſima.

TOMUS IV.

Quo cujusmodi & quot Opuſcula contineantur, poſt averſam paginam Lector reperiet.

Omnia nunc primùm cum Præfationibus, Obſervationibus prævii & Indicibus neceſſariis publici juris facta.

A R. P. BERNARDO PEZIO, Benedictino & Bibliothecario Mellicenſi,

Operam & ſtudium conferentibus aliis pluribus tum ſui, tum aliorum Ordinum & Monaſteriorum eruditis Viris, quorum nomina ſuis quæque Opuſculis præfixa ſunt.

Cum Conſenſu Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM & GRÆCII,
Sumptibus PHILIPPI, MARTINI, & JOANNIS VEITH FRATRUM, Anno 1723.

Digitized by Google

Digitized by Google

ELENCHUS OPUSCULORUM,
QUÆ HOC
TOMO IV. THESAURI ANECDOTORUM NOVISSIMI CONTINENTUR.

Parte I.

Remigij Autiſſiodorenſis Ord. S. Ben. Commentarius in Geneſim. *Columna* 1.
Irimberti Abbatis Admontenſis Ord. S. Ben. Commentariorum in Librum Judicum Libri II. *Col.* 127.
Ejusdem *E*xpoſitio Libri Ruth. *Col.* 441.
Walafridi Strabonis, Abbatis Augienſis, Ord. S. Ben. *E*xpoſitio **XX.** primorum Pſalmorum. *Col.* 473.

Parte II.

Severini *E*piſcopi Doctrina de Sapientia. *Col.* 1.
S. Bonifacij Archiep. Moguntini & Martyris Ord. S. Ben. Sermo de Abrenuntiatione in Baptiſmate. *Col.* 3.
B. Rabani Mauri Archiepiſcopi Moguntini Ord. S. Ben. Opuſculum de Paſſione Domini. *Col.* 7.
Zachariæ incertæ Sedis *E*piſcopi Sermo de S. Georgio Mart. *Col.* 15.
Gente Conſtantis, venerandi Sacerdotis Tractatus de Paſſione & Gloria Beati *E*mmerammi Martyris. *Col.* 23.
Arnoldi ſeu Arnolfi ex Comite Vohburgenſi Monachi & Decani *E*mmerammenſis Ord. S. Ben. Homilia de Octo Beatitudinibus & S. Emmerammo Epiſcopo & Martyre. *Col.* 29.
Ejusdem Carmen in Vitam S. Emmerammi à Meginfredo conſcriptam. *Col.* 37.
Bernonis Abbatis Augienſis Ord. S. *B*en. Liber: Qualiter Adventus Domini celebretur, quando Nativitas Domini feria ſecunda evenerit. *Col.* 39.
Ejusdem Ratio generalis de initio Adventus Domini ſecundum auctoritatem Hilarii *E*piſcopi. *Col.* 49.
Ejusdem Dialogus: Qualiter quatuor temporum jejunia per ſua Sabbata ſint obſervanda. *Col.* 53.
Ejusdem Prologus in Tonarium, ſeu Librum de Muſica. *Col.* 69.
Anſelmi Epiſcopi Havelbergenſis Ord. Can. Reg. S. Auguſtini Liber de Ordine Canonicorum Regularium. *Col.* 73.
Algeri ſeu Adelgeri, Monachi Cluniacenſis Ord. S. *B*en. Libellus de Libero Arbitrio. *Col.* 111.
Engelberti Abbatis Admontenſis Ord. S. *B*en. Tractatus de Libero Arbitrio. *Col.* 119.
Stephani Cartuſiæ olim Dolanenſis, nunc Olomucenſis primi Prioris Medulla Tritici ſeu Antivvikleffus. *Col.* 149.
Ejusdem Antihuſſus. *Col.* 361.

 Ejus-

Digitized by Google

Ejuſdem Dialogus Volatilis inter Aucam & Paſſerem adverſus Huſſum. *Col.* 431.
Ejuſdem Liber Epiſtolaris Quinquepertitus ad Huſſitas. *Col* 503.

Parte III.

Ludovici Senioris Monachi & Diaconi S. Laurentij Leodienſis Ord. S. Bened. Scriptum de adventu Reliquiarum B. Laurentij Martyris Romæ Leodium. *Col.* 1.
B. Johannis Monachi S. Laurentij Leodienſis Ord. S. Ben. viſio ſtatûs animarum poſt mortem, & Miraculum S. Laurentij Martyris. *Col.* 5.
Reineri Monachi S. Laurentij Leodienſis Ord. S. Bened. de claris Scriptoribus Monaſterij ſui Libelli III. *Col.* 17.
Ejuſdem in Novem ante-Natalitias Antiphonas, ab O exordientes Commentatio. *Col.* 53.
Ejuſd. Speculum pœnitentiæ, ſeu de vita S. Pelagiæ Libri II. *Col.* 69.
Ejuſdem Palmarium Virginale, ſeu de vita & paſſione ſanctæ Mariæ Virginis Cappadocis Libri II. *Col.* 83.
Ejuſdem Flos Eremi, ſeu de vita S. Theobaldi Monachi & Eremitæ Libri II. *Col.* 95.
Ejuſdem de Conflictu duorum Ducum, & Animarum mirabili revelatione, ac de milite captivo per ſalutarem Hoſtiam liberato Libelli metrici II. *Col.* 109.
Ejuſdem de adventu Reliquiarum S. Laurentij Roma Leodium Liber metricus cum aliis diverſi generis carminibus & Epigrammatibus. *Col.* 121.
Ejuſdem Triumphalis Bulonici Libelli V. *Col* 129.
Ejuſdem Vita Evrachi XLV. *E*piſcopi Leodienſis. *Col.* 155.
Ejuſdem Vita Reginardi L^{mi} Epiſcopi Leodienſis. *Col.* 167.
Ejuſdem Liber de Caſu fulminis ſuper *E*ccleſiam Monaſterij ſui. *Col.* 187.
Ejuſdem Libellus gratiarum actionis ſuper Dedicatione nova Eccleſiæ Monaſterij ſui. *Col.* 197.
Ejuſdem Breviloquium de Incendio *E*ccleſiæ S. Lamberti Leodij. *Col.* 207.
Ejuſdem Lachrimarum Libelli III. *Col.* 211.
*E*juſdem de Profectu mortis Libri II. *Col.* 249.
Andreæ Presbyteri ad S. Magnum Ratisbonæ, Ord. Canonic. Regular. S. Auguſtini Chronicon Generale à Chriſto nato uſque ad annum MCCCCXXII. *Col.* 273.
Æneæ Sylvii, poſtea Pii II. Pontificis Maximi Pentalogus de Rebus *E*ccleſiæ & Imperii. *Col.* 637.
*E*rmenrici Monachi & Abbatis Elvvacenſis Ord. S. Ben. Dialogus de Vita & Miraculis B. Hariolphi *E*piſcopi Lingonenſis, Fundatoris & Abbatis Monaſterii Elvvacenſis. *Col.* 745.
Chronicon *E*lvvacenſe integrum & genuinum à Nativitate Chriſti uſque ad annum MCCCCLXXIV. *Col.* 759.

DISS*E*R-

DISSERTATIO ISAGOGICA
IN
TOMUM IV. THESAURI ANECDOTORUM NOVISSIMI

AD

CELSISSIMUM ET REVERENDISSIMUM S. R. I. PRINCIPEM, DOMINUM,

DOMINUM

JOANNEM FRANCISCUM, EPISCOPUM FRISINGENSEM,

SACRARUM ANTIQUITATUM CENSOREM ET INTERPRETEM ERUDITISSIMUM.

Quem

Digitized by Google

QUem dudum, ut è prelo emergeres, Theſauri Anecdotorum Noviſſimi Tomum Quartum optâſti, eum clementiſſimis jam nunc tandem manibus Tuis evolvendum conſigno, Celſiſſime ac Reverendiſſime Princeps. Erit is Tibi vel uno hoc nomine gratiſſimus jucundiſſimúſque, quòd Auguſtiſſimis Honoribus Magni CAROLI, ad cujus etiam nomen & umbram pro incredibili Tuo in univerſam Domum Auſtriacam amore ac obſervantia triumphare ſolitus es, dicatus conſecratúſque ſit: prætérquam quòd ea nunc primùm recludat, quæ nobiliſſimum animum Tuum jam pridem unicè delectant, & in quibus rectè cenſendis dijudicandíſque univerſos Germaniæ Antiſtites, abſit verbo invidia, quàm longiſſimè antecellis. Ecquis enim in Republica Litteraria tam hoſpes eſt, qui maximos & propè Divinos magni illius Ferdinandi Fürſtenbergii, Eruditiſſimi Paderbornenſis Epiſcopi, & Sagaciſſimi Germanicarum antiquitatum indagatoris, redivivos veluti Spiritus in Te non agnoſcat? Quæ Bajoariæ paulò locupletior bibliotheca eſt, cujus veteres manu exaratos libros maxima cum contentione ac judicio non excuſſeris? Quæ in ampliſſima Diœceſi Tua Eccleſia extat, cujus antiqua monumenta quàm ſtudioſiſſimè perſcrutatus non ſis? Hinc enata Tibi eſt, quam omnes obſtupeſcimus, omnigenarum, præſertim patriarum hiſtoriarum cognitio: hinc in explicandis nectendíſque veterum illuſtrium Familiarum Genalogiis dexteritas & promptitudo prorſus admiranda & ſupra eruditorum fidem: hinc denique Tibi tanta moles voluminum & privatorum Commentariorum, in qua lectiora omnium generum antiqua monumenta, moleſtiſſimis itineribus, maximis ſumptibus, graviſſimíſque laboribus parta intuliſti. Nihil adulationi, quam vehementiſſimè jam inde à puero averſaris, hic tribuo. Vel ſolam Eccleſiam Tuam Friſingenſem de limine ſalutet, qui egregiam Tuam in tractandis Antiquitatibus peritiam propiùs nôſſe deſiderat. Deus bone, quantam curam & cautelam, dum illam poſt tot ſeculorum incuriam & ſqualorem nova facie tantóque ſplendore indueres, adhibuiſti, nequod veteris memoriæ veſtigium, unde poſteritas erudiretur, inter rudera deperiret! Quàm ſapienter ac providè contritas ſubeuntium pedibus Reverendiſſimorum & Celſiſſimorum Tuorum Prædeceſſorum, Illuſtriſſimorum DD. Canonicorum, aliorumque illuſtrium hominum, quorum exuviæ intra Eccleſiæ tuæ pomœria terræ commendatæ fuerunt, effigies, gentilitia arma, marmora & epitaphia ſervâſti, honorifico & conſpicuo loco collocâſti, ac ad Heraldicæ leges ſcitiſſimis picturis colluſtrâſti! Quàm pervigil ſtudium Tuum ſemper fuit, ne veterrimi ac optimæ notæ Codices, quibus à mille prope annis Eccleſia Tua, vel hoc titulo *Mons doctus* meritiſſimè adpellata ſuperbit, aut hominum aut temporum injurias experirentur! Aſt infinitus profectò ſim, ſi omnia decora, quæ ex tanto Tuo in rem omnem antiquariam ſtudio collegiſti, hoc loco accumulem: Exſequetur id longè commodius diſertiuſque Vir ille è noſtris doctus & eruditus, qui tuis imperiis animatus & ampliſſimo apparatu à te congregato inſtructus, diffuſam accuratamque Friſingenſis Epiſcopatus Hiſtoriam conſcribere nuperrimè aggreſſus eſt. Quæ hactenus per tranſennam præteriens ſtrictim commemoravi, eo duntaxat ſpectant, ut omnibus palam fiat, quàm parum ab univerſo præſentis Operis propoſito abludam, dum Te in iſta Diſſertatione, in qua de veteribus benè multis monumentis, nunc primùm in lucem prolatis rationem reddere conor, plenus animi adpello & judicem ſumo. Cùm enim in iis occurrant pluſcula, quæ ampliori luce indigeant, ad Te, Celſiſſime Princeps, res omnis primùm referenda erat, ut cui nullum expeditius faciliuſve negotium fuerit, quàm intricatiſſimos & perplexiſſimos quóſque in Litteraria Hiſtoria nodos eruditiſſimè ſolidiſſiméque diſſolvere. Igitur omnia vetera hujus Tomi monumenta nunc Tibi annumerare, quidque in ſingulis obſervaverim, paucis exponere, diſcenti quàm narranti propior aggrediar, eo pacto, ut ſicubi à vero aberravero, exquiſitiſſima eruditione atque doctrina Tua ceſpitantem ſuſtentare ac in viam reducere ne dedigneris. Quod ſi pro congenita tibi erga hujusmodi ſtudia indulgentia feceris, tum demum hic Quartus Anecdotorum meorum cum reliquis Tomus ſacratiſſimos Auguſtiſſimi & Eruditiſſimi Cæſaris oculos manúſque lætus ac ovans ſubire audebit.

OBSER-

OBSERVATIONES PRÆVIÆ IN PRIMAM PARTEM QUARTI TOMI THESAURI ANECDOTORUM NOVISSIMI.

REMIGIUS AUTISS. IN GENESIM.

I. Magnis paſſim laudibus Remigium Sancti Germani Autiſſiodorenſis Monachum affecerunt veteres juxta ac recentiores Scriptores. Audiendus de eo præprimis Frodoardus in Chronic. Lib. 4. cap. 9. ubi de reſtauratis & refloreſcentibus Remenſibus ſcholis, Fulcone Archiepiſcopo, ita ſcribit: *Præfatus denique Præſul honorabilis Fulco ... duas Scholas Remis, Canonicorum ſcilicet loci atque ruralium Clericorum jam pene delapſas reſtituit; & evocato Remigio Autiſiodorenſi Magiſtro liberalium artium ſtudio adoleſcentes Clericos exerceri fecit, ipſeque cum eis lectioni ac meditationi operam dedit. Sed & Hucbaldum S. Amandi Monachum, virum quoque diſciplinis Sophiſticis nobiliter eruditum accerſivit, & Eccleſiam Remenſem præclaris illuſtravit doctrinis.* Auctor vitæ B. Johannis Gorzienſis apud Labbeum T. I. Bibliothecæ Novæ MSS. pag. 744. celebrat Hildeboldum, qui *ex diſcipulis Domini Remigii, doctiſſimi ea ætate*, id eſt, circa annum Domini DCCCXC. *Magiſtri Scholas* in Lotharingia *habebat*. Necrologium Cathedralis Eccleſiæ Autiſſiodorenſis, circa annum MC. exaratum, & quondam in Bibliotheca Thuanæa adſervatum, his verbis Remigii obitum ſecunda Maji adnuntiat: *Obiit Remigius Monachus & egregius Doctor.* Singulare eſt & notatu dignum, quod de Remigii doctrina ſimul & modeſtia Bernardus Montefalconius ex coævo fere codice Monaſterii S. Benedicti Padolironenſis prope Mutinam in Diario ſuo Italico cap. 3. obſervat. Namque in illo poſt quædam S. Ambroſio attributa Opuſcula *ſequi* ait *Tractatum Domini Remigii venerabilis Monachi in Marcum & eruditiſſimi Commentatoris.* Tum ſubdere librarium: *In omnibus autem nomen ſuum tacuit, ut cum ſapientia culmen quoque humilitatis attingeret.* Silentio prætereo honorifica de Remigio teſtimonia Sigeberti Gemblacenſis, Trithemii aliorúmque, quos longo agmine ſequuntur Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro T. II. pag. 319. Bellarminus & Labbeus in Operibus, quæ ambo de Scriptoribus Eccleſiaſticis ediderunt, Du Pin in Bibliotheca Eccleſiaſtica, Caveus in Hiſtoria Litteraria, Gottfridus Olearius Tom. II. Bibliothecæ Scriptorum Eccleſiaſticorum, ac noviſſimè Caſimirus Oudinus, Apoſtata Præmonſtratenſis Tom. II. Commentariorum de Scriptoribus & Scriptis Eccleſiaſticis col. 329. & ſeqq. qui etiam omnium accuratiſſimè de relictis Remigiani ingenii monumentis egiſſe videtur, tametſi nullo verbo meminerit *Commentarii in Matthæum*, quod in Monacenſi Sereniſſimi Electoris Bavariæ Bibliotheca extare in Itinere Bajoarico monui, ac præterea Viennæ in Auſtria, utique in Auguſtiſſima Vindobonenſi Bibliotheca, & Venetiis adſervari ex anonymo auctore intellexi, qui Opuſculum de Traditione Eccleſiæ Autiſſiodorenſis circa Propoſitiones Queſnelianas à Clemente XI. P. M. anathemate confixas, nuper admodum in lucem emiſit. Nec plura apud eundem Oudinum reperias de Remigii *Commentario in Geneſim*, quem nunc primùm è manuſcriptis Codicibus evulgamus. Hujus tamen Operis diſſertè meminit Anonymus Mellicenſis, qui ſæculo duodecimo de Scriptoribus Eccleſiaſticis commentatus eſt. Sic autem ejus caput LXVI. habet: *Remigius vir clarus, tam divinis quàm ſecularibus litteris ſufficienter inſtructus, inter alia Explanationem in Geneſim ſcripſit. Sed & ſuper Pſalterium Commentum inſigne compoſuit. Habetur nihilominus & aliud ejus Commentum, quod ſcripſit ſuper Donatum.* Cum Anonymo Mellicenſi faciunt Codices Tegernſeenſis & Garſtenſis, quorum uterque ſeculi fere duodecimi eſt. Iidem codices etiam ſub Remigii nomine *Commentarium in Pentatevchum* oſtentant hoc initio: *Devteronomium lex ſecunda dicitur* &c. id quod in Paumgartenbergenſis Monaſterii Ord. Ciſterc. in Auſtria Codice, ſeculo tamen XIV. vix antiquiore, quoque obſervavimus. Verùm id Opus non Remigii Autiſſiodorenſis ſed Rabani Mauri Archiepiſcopi

Moguntini, inter cujus excuſa Opuſcula etiam proſtat, eſſe poſtea deprehendimus. Itaque eo prætermiſſo ad edendum ſolum Remigii Commentarium in Geneſim operam conferre viſum fuit. Quo in labore maximè mihi profuit Adm. RR. PP. Adalberti Düſtl Aſcetæ Tegernſeenſis & Petri Oberhueber Supprioris Garſtenſis humanitas, qua ille integrum Opus ex eleganti ſui Monaſterii Codice exſcripſit, hic verò alterum è ſua bibliotheca exemplum ſuggeſſit, Tegernſeenſi longè caſtigatiùs exaratum, ad cujus etiam fidem noſtram editionem præcipuè adornavimus. Cæterùm ipſum Remigii Opus grave, ſuccinctum ac elegans eſt omninóque ad eum modum compoſitum, quem in Commentario Remigii in Pſalmos dudum Sixtus Senenſis obſervavit, nempe in quod Remigius ita veterum Patrum ſenſa tranſtulerit, ut tamen etiam quædam de ſuo adjecerit, idq́ue pro more ſeculi ſui, quo uſus antiquiorum Scriptorum commentaria expilandi latè obtinebat. Nuntiatum non ita pridem publicè fuit, eſſe quendam eruditum in Italia virum, qui Remigii noſtri Commentaria in pleroſque omnes Divinæ auctoritatis Libros feliciter detecta prelo apparet, quod ut verum ſit, ex anno optamus. Illud omnino certiſſimum eſt, Adm. R. P. Felicem Wyrtenberger, doctiſſimum ex Ordine Servorum Beatæ Mariæ Virg. virum nunc totum in eruendis graviſſimis & elegantiſſimis Herrici Monachi Autiſſiodorenſis Homiliis verſari; quòd eò libentiùs hoc loco commemoro, quòd ejuſdem Herrici diligens quondam auditor & nobilis diſcipulus Remigius extitit. Sed de his plura in medium afferendi occaſionem alibi nanciſcemur.

IRIMBERTUS IN LIBB. JUDICUM ET RUTH. à col. 129.

II. De rebus ab Irimberto Abbate Admontenſi præclarè geſtis prolixè diſſerui in Obſervationibus præviis ad Tomi II. Partem I. ubi ejuſdem *Commentariola in Cantica Canticorum & quædam Iſaiæ capita* publici juris feci. Ibidem pollicitus ſum, me daturum operam, ut Irimberti *Commentarius in Libros Judicum & Ruth* in ſequentibus voluminibus compareret: quam fidem meam tunc datam, nunc libero. De utroque Opere ipſe Irimbertus ad calcem Prologi in Explanationem Libri Judicum ita ſcribit: *Quoniam ergo opitulante gratia Chriſti Monaſterio Admuntenſi Librum Joſue utcunque digeſſi, fretus confidentia divini auxilii hujus quoque Libri* (Judicum) *explanationem attentare diſpoſui poſitus in Carinthia in Eccleſia B. Georgii, ubi & primas partes Libri Regum primitus explanavi. Ante annos autem aliquot, quia Hiſtoriam de concubina, quæ in duodecim partes eſt ſecta, nec non Hiſtoriam Ruth Sororibus Admuntenſibus diſſerueram, duæ ex ipſis ſtudii ſui impenderunt diligentiam ad conſervandam interpretationis meæ memoriam. Ideoque huic Opuſculo annectere duxi earundem hiſtoriarum, ſicut ab ipſis Sororibus digeſta eſt, explanatiunculam.* Hæc Irimbertus, ex quibus diſcimus, Commentarium in Librum Judicum ad finem properante anno Domini MCLII ab Irimberto concinnatum fuiſſe, ſiquidem ex ejuſdem Commentario in Librum Joſue ſatis conſtat, hunc prædicto anno Domini, quo ſcilicet Monaſterium Admontenſe diris flammis media Quadrageſima conſumptum & proxima æſtate ex integro refectum fuit, infra Octavam S. Martini completum fuiſſe. Porro Sorores ſeu Moniales, quas Irimbertus ob eruditionis ſtudium laudat, fuére Regilindis & Irmingardis, quarum illa Explanationem Hiſtoriæ de Concubina Judic. Cap. XIX. hæc Explicationem Libri Ruth ab ore Irimberti ſtilo excepit, ùt docet elegantiſſimè ab iisdem Virginibus exaratus membraneus Admontenſis Codex in folio, unde utrumque opus exſcripſit mihiq́ue evulgandum commiſit Ven. P. D. Sebaſtianus Treger Cartuſianus Gemnicenſis in Auſtria, cui præter alia quàm plurima veteris Litteraturæ monumenta etiam debeo magni illius & undequaque doctiſſimi ſeculo XV. Prioris Gemnicenſis Nicolai Kempfii de Argentina prolixiſſimum & præſtantiſſimum Commentarium in Cantica Canticorum, quod ſuo tempore in lucem proferetur.

WALAFRIDI STRABONIS EXPOSITIO XX. PRIMORUM PSALMORUM.

III. *Apud Augienſes noſtros occurrit Walafredi Abbatis Expoſitio in Pſalmos LXXVI. incipiens à primo in hunc modum:* Omnis ſcriptura divinitus inſpirata veteris ac novi Teſtamenti ad imitationem Mediatoris Dei & hominum, hominis Jeſu Chriſti &c. *Tomus alter amiſſus videtur.* Hucusque Johannes Mabillonius Tòm. IV. Analectorum, pag. 633. Cujus auctoritatem ſecutus nullam non operam apud Clariſſimos Augienſes noſtros dedi, ut hanc Walafridi ſui, Viri ſeculo IX. à doctrina & virtute longè celeberrimi Expoſitionem è tenebris erutam benevolè mecum communicârent. Qua in re viros doctos & diligentes eò indulgentiores ac promptiores habui, quò certiorem ſpem conceperant futurum, ut

eo

eo labore ſuo non nihil Catholicæ Eccleſiæ commodaretur. Itaque integram omnium LXXVI. Pſalmorum Expoſitionem, ſcitè ac emendatè deſcriptam, curante rem omnem Cl. ac Eruditiſſimo D. P. Aproniano Hueber, Priore Mereraugienſi, ad me miſerunt, qui celerem ejus in meo Theſauro editionem amicis addixeram. Nec ſententiam unquam mutâſſem, niſi Opere probè diſcuſſo deprehendiſſem, nucleum & medullam Walafridanæ commentationis jam pridem in Gloſſa Ordinaria, quæ itidem Walafridum Strabonem auctorem habet, eruditis exhibitam fuiſſe. Ne igitur viris doctis, qui me aliunde in propinandis Theologicis non nihil parciorem eſſe cupiunt, gravior eſſem, decrevi non niſi primorum XX. Pſalmorum Expoſitionem velut in reliqui Operis ſpecimen meo Theſauro inſerere. Quod ſi qui viri eruditi majus ex hoc ſpecimine diſcrimen inter Walafridanam Pſalmorum Expoſitionem & Ordinariam in eoſdem Gloſſam animadverterint quàm ego adverti, cenſuerintque operæ fore pretium, ſi eadem ratione reliquorum etiam Pſalmorum Explanatio promulgetur: iis tantò promptiùs morem in ſequentibus voluminibus geram, quantò æquius eſt, ne tantus Augienſium amicorum labor, communi commodo & uſui deſtinatus, omnino depereat.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ IN PARTEM SECUNDAM TOMI QUARTI THESAURI ANECDOTORUM NOVISSIMI.

I. Nemo quiſquam Bibliothecariorum Eccleſiaſticorum, qui ultimas etiam nonnunquam in hoc genere minutias conſectantur, Severini Epiſcopi, ejuſque de Sapientia Doctrinæ meminit. Quo mihi proclivius erat, ejusmodi Opuſculum, de ſe aliàs permodicum, ſine ſcrupulo monumentis anecdotis accenſere, Theſauroque meo ceu gemmam non ultimi pretii, utpote quæ ultra ſeculum Chriſti Quintum vel ſummùm ſequens progigni non potuit, inſerere. Sed errorem dedocuit me tandem Perilluſtris ac Eruditiſſimus Dominus Johannes Benedictus Gentillottus ab Engelsbrunn, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis à Conſiliis & Bibliotheca, Fautor noſter & amicus integerrimus & prolixiſſimus, qui cùm Opuſculum iſtud typis jam exſcriptum à me promulſidis in reliquum Tomum loco accepiſſet, illico pro ſua ſumma humanitate me commonefecit, id multis partibus auctius ab Eruditiſſimo Soc. Jeſu Presbytero, Jacobo Sirmondo editum fuiſſe, extareque Operum Ejusdem Tom. II. à pag. 910. Dolebat, fateor, ea res, mallebamque profectò Severini ſive Colonienſis, ùt ſuſpicor, ſive alterius cujuscumque Sedis (nam id perplexiſſimum eſt) Epiſcopi Doctrinam Sapientiæ à mea Collectione abeſſe. Verùm cùm deinde apud animum reputarem, quàm incognita vulgò eſſet adeo antiqua Chriſtianorum morum Theologia, quamque moleſta typographis futura eſſet, rebus non integris, qualiscumque monumentorum mutatio, Opuſculum, quod aliunde vix ultra paginam procurreret, ſuo loco eſſe permiſi. Porro id excerpſi ex cujusdam Megingoti ſelectarum ex Patribus ſententiarum Collectaneo, ad Reginmarum, ab anno 1124. ad 1141. Epiſcopum Patavienſem conſcripto, quod autographum in bibliotheca Hilarienſi Ord. Ciſterc. in Superiori Auſtria hodieque adſervatur. En Collectanei hactenus incogniti inſcriptionem & Præfationem!

SEVERINI EPISC. DOCTRINA SAPIENTIÆ à col. 1.

** Excerpta Megingoti de Sanctis Patribus rogatu Reginmari Epiſcopi.*

* Ita Cod.

Placuit piæ humilitati veſtræ, Pater & Domine, negotium hoc injungere parvitati meæ, ut ex diverſis præceptis & doctrinis Patrum excerperem, & in unum colligerem eos

eos flores, quos ſolemus quaſi ſingulari nomine Sententias adpellare. Quapropter veſtræ potiùs auctoritatis fiducia, quàm mea fretus ſapientia, quæ vel nulla, vel vix aliqua eſt, ita excerpendo collegi, ut de meo nihil quidem adderem, ſed potiùs multiplicia Patrum verba, & prolixa eorum ſcemata non meis, ſed ſuis verbis abbreviando contraherem. Quamvis enim nihil ſuperflui poſuerint Patres per Spiritum Dei loquentes, Lectori tamen feſtinanti cognoſcere ſummam tædium forſan naſceretur prolixitate dilationis. Appoſui quoque ſingulis Sententiis ſuos titulos, ſcilicet quis quamlibet dixerit, & ubi dicta reperienda ſint duabus quippe de cauſis, ne temerè quicquam eorum per me finxiſſe credar, & ut Lectori certitudinem auctoritatis quærenti ſatisfeciſſe videar. Non autem miretur aliquis cohærentiam ordinis hic obſervatam non eſſe, velut in Sermonibus fieri ſolet. Nam Sermones facere minimè propoſui, ſed ſingulas & varias Sententias in ſuo tantùm loco & per ſe ponere curavi. Non aſpernetur, quæſo, Sanctitas veſtra hæc devotionis meæ munuſcula. Nam & ipſe Pater cœleſtis non tam magnitudinem attendit muneris, quàm ſtudium promptæ devotionis & qualitatem mentis. Hactenus Præfatio ſeu Prologus Megingoti. Tum incipit *Collectaneum*, in quo nullorum Patrum præterquam Cypriani, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Proſperi Aquitanici, Claudii Mamerti, Gregorii Magni, Bedæ, Heymonis Halberſtadienſis, Smaragdi Abbatis & Severini Epiſcopi ſententiæ laudantur:

Gregorius in Primo Libro Quartæ Partis Moralium.

Sciendum, quòd recordari Deus nequaquam propriè dicitur. Qui enim oblīviſci non poteſt, quo pacto recordari poteſt? Sed quia nos eos, quorum recordamur, amplectimur, ab his autem, quorum obliviſcimur, elongamur, humano uſu & recordari Deus dicitur, cùm dona tribuit, & obliviſci, cùm in culpa derelinquit &c.

Quæ omnia ideo hìc pluribus retulimus, ut qualecumque Lectoris diſpendium, in repetita Severini de Sapientiæ Doctrina editione perpeſſum, alio quovis veteri anecdoto reſarciremus.

S. BONIFACII SERMO DE BAPTISMATE à col. 3.

II. Caſimirus Oudinus Tomo I. Commentariorum de Scriptoribus & Scriptis Eccleſiaſticis col. 1788. narrat, Johannem Mabillonium anno Domini 1686. ex itinere ſuo Italico nonnullas Homilias Pariſios retuliſſe, tranſcriptas ex MS. Codice 1302. Bibliothecæ Chriſtinæ Svecorum Reginæ, inſcriptas *Sancti Bonifacii Martyris Sermones*, quorum I. *Sermo de fide recta* incipit: *neceſſarium eſt fratres chariſſimi, unicuique, qui deſiderat ad regnum cœlorum pervenire* &c. Sermo II. *Cùm prædicaret Dominus Jeſus in quodam loco, & multos infirmos curaret* &c. Sermo III. *de fide vel opere dilectionis: Ammoneo vos, ut reminiſcamini, quid Omnipotenti Deo in Baptiſmo promiſiſtis* &c. Alius Sermo incipit: *Audite & intelligite, amici cariſſimi, hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus* &c. Alius: *Conſiderare nos oportet, cariſſimi, præſentis vitæ ſtatum* &c. Alius: *Primum omnipotens Deus hominem in Paradiſo ad ſuam imaginem & ſimilitudinem creavit* &c. Hos S. Bonifacii Sermones ubi recenſuiſſet ex Mabillonii commentariis Oudinus, tum de iis hanc univerſim ſententiam profert: *Verùm Sermones ejuſmodi ſatis incerti ſunt, cùm fallant ſæpiſſimè MSS. Cod. tituli, ùt antiquariis conſtat.* At enim, utì poſterius haud abnegem, ita nihil certius eſſe puto, quàm recenſitos omnes Sermones genuinos eſſe S. Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini ac Martyris fœtus, ſi quidem eoſdem characteres retineant, quos in evulgato hìc Sermone *de abrenuntiatione in Baptiſmate* conſpicimus. In eo adeò omnia & tempori & hòminibus & majorum noſtrorum moribus & veteri Eccleſiæ diſciplinæ conveniunt, ut Sermonem vel obiter legiſſe Bonifacium auctorem deprehendiſſe ſit. Ad quæ accedit antiquitas Codicis Mellicenſis, nunc ſignati Lit. Q. num. 52. qui minimùm ſeculum X. ſi non IX. ductu litterarum refert.

B. RABANI MAURI OPUSCULUM DE PASSIONE DOM. à col. 5.

III. Alterum hoc B. Rabani Mauri, Archiepiſcopi Moguntini, qui ſeculo Chriſti nono maxima ſcribendi laude floruit ac tandem anno DCCCLVI. ad plures abiit, Opuſculum eſt, quod ex Bibliotheca Mellicenſi primùm in lucem adſeritur. Primum fuit Libellus *contra eos, qui repugnant inſtitutis Beatiſſimi Benedicti Abbatis*, qui in duobus noſtris codicibus extat, quorum unus membraneus in fol. Litt. D. num. 32. alter chartaceus in 4. Litt. P. num. 32. notatus, neuter tamen ſeculo XV. ſuperior eſt. Hoc Rabani Opuſculum nobis ado-

Digitized by Google

adoleſcentulis ad Celeberrimum Mabillonium à noſtris Sodalibus miſſum, tandem anno MDCC. in Appendice Tomi II. Annalium Benedictinorum à pag. 726. editum fuit. Secundum Rabani Opuſculum, quod Bibliothecæ Mellicenſi debetur, eſt hæc ipſa perbrevis quidem ſed pia nec indocta Commentatio *de Paſſione Domini*, quam illius Codex chartaceus in folio, ſignatus Lit. I. num. 10. conſervat. Codex ad trecentos annos proximè accedit. Titulus Opuſculi hujuſmodi eſt: *De Paſſione Dominica Rabanus Monguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus.* Suſpicabar primùm, id eſſe laciniam aut fragmentum alterius cujuſpiam Operis vel Sermonis Rabani Mauri: ſed inſtituta cum editis collatione nihil ejuſmodi reperi. Aliud & quidem moleſtius dubium, num hoc Opuſculum genuinus Rabaniani ingenii partus ſit, injicit §. VII. ubi hæc verba legas: *Quomodo neſciunt, quid faciunt, quibus nihil mali feciſti? Et quid dicere potuit, quando moriens eam* (Mariam) *ad cuſtodiendum puero commendavit? Quæ fuit iſta conſolatio dolentiſſimæ matris in morte dilectiſſimi filii: accipe filium Zebedæi pro Filio Dei?* &c. Quod poſterius acumen de *filio Zebedæi pro Filio Dei* totidem ferè verbis S. Bernardus habet in Sermone de duodecim prærogativis B. Virginis Mariæ, ſeu de duodecim Stellis apud Mabillonium T. III. Oper. S. Bernardi col. 1012. Ut ita videri poſſit, auctorem hujus Opuſculi Bernardo atque adeo Rabano Mauro longè poſteriorem eſſe. Verùm præterquam quòd adeo inſolens non ſit, duos diverſorum temporum Scriptores in eoſdem de una re ſenſus & verba convenire, potuit Bernardus ex Rabano ſua mutuare, præſertim cùm aliàs in laudato Opuſculo nihil occurrat, unde id Rabano abjudicetur. Sed hæc quæſtio tanti non eſt, ut ei longiùs immorer. Gratius eruditis accidet, cùm in ſequentibus voluminibus publicatum videbunt ejuſdem Rabani hactenus ineditum Opus de vitiis & virtutibus, cujus ſpem nobis ex Cæſareo Vindobonenſis bibliothecæ Codice, ferè coævo, fecit Perilluſtris deque noſtris ſtudiis meritiſſimus D. Jo. Benedictus Gentilottus, qui Auguſto illi Muſarum & Litterarum Palatio jam diu maxima & cumulatiſſima cum laude præeſt.

ZACHARIÆ EP. SERMO DE S. GEORGIO M.

IV. In nullam non partem me verſavi, ut, quis hic Zacharias fuerit, aut qua ætate, quoque in loco floruerit, exploratum haberem. Verùm nullibi quidquam reperi, in quo acquieſcerem. Novi Zachariam cognomento Chryſopolitanum ſive Goldsborough ex Ordine Canonicorum Præmonſtratenſium, qui circa annum 1157. in Monaſterio S. Martini Laudunenſis teſte Alberico Monacho in Chronico claruit, & eodem anno *Commentarium in Concordiam Evangelicam Ammonii Alexandrini Libris IV.* perfecit, de quo vide Oudinum T. II. Commentar. de Scriptis & Scriptoribus Eccleſiaſticis col. 1442. Sed is Zacharias Epiſcopali dignitate, qua præſentis Sermonis auctor fulſit, conſpicuus nuſquam legitur. Alios, qui tamen perpauci apud Scriptorum Eccleſiaſticorum Nomenclatores occurrunt, Zacharias de induſtria ſilentio prætereo, quòd aut Scriptores Græci, aut ejuſmodi ſaltem loco ac tempore fuerint, ut hujus Sermonis auctores eſſe ægrè potuerint. Omnium, qui in ſuſpitionem ſaltem venire poſſint, occaſionem maximam præbere videtur Zacharias XXIII. Epiſcopus Sabionenſis nunc Brixinenſis, de quo ita Hundius à Gewoldo auctus Tom. I. Metropolis Salisburg. pag. 441. *Zacharias XXIII. Sabionenſis Epiſcopus ſub Ludovico Cæſare, Arnulphi filio, ac Johanne IX. Pont. circa annum 902. magna nominis celebritate vixit. Interfuit expeditioni prædicti Ludovici Imp. contra Ungaros, in qua apud Anaſpurgium cum Dietmaro Archiepiſcopo Salisburgenſi, Ottone Friſingenſi Epiſcopo, & Leopoldo Marchione Auſtriæ occubuit anno Domini 907. ſecundùm Aventinum in Annalibus Lib. IV. fol. 480. Amplius de eo nihil compertum eſt, niſi quòd cum aliis quinque Epiſcopis Bojariæ, nempe Diethmaro Juvavienſi Archiepiſcopo, Waldone Friſingenſi, Erckhanbaldo Eichſtetenſi, Tutone Ratisbonenſi, Richario Patavienſi ipſe tertius in ordine ad prædictum Johannem Summum Pontificem Epiſtolam ſcripſit, conquerentes in ea de defectione Epiſcoporum Moraviæ ac Sclavorum à ſua Diæceſi, Epiſcopo videlicet Patavienſi. Et licèt nihil obtinuerint, tamen hæc Epiſtola, quia rara & antiqua Eccleſiaſtici ſtatus in Bojaria cognitione referta, lectu non indigna, cujus copia in Archivis prædictarum Eccleſiarum adhuc extat, & apud Wolffgangum Lazium in Lib. XII. Commentariorum Reip. Rom. hic brevitatis cauſa omiſſa.* Hæc Hundius. Ex quibus facilis nobis ad conjectandum locus aperitur, hunc Zachariam eum ipſum eſſe Epiſcopum, qui prolatum à me Sermonem poſteris reliquerit. Conjecturam firmat, quòd cum in una Bibliotheca S. Emme-

 rammi

Digitized by Google

rammi Ratisbonæ offenderim, quò & alia plura Metropolis Salisburgenſis vetera monumenta à diligentiſſimis ejus loci Cœnobitis jam olim comportata fuère, tametſi Codex membraneus, quo uſus ſum, ſeculum duodecimum ætate nequaquam excedat. Sed quisquis demum hujus de S. Georgio Martyre Sermonis parens fuerit, nemo quiſquam negaverit, eum gravem, doctum, elegantem atque adeo luce publica digniſſimum eſſe.

TRACTATUS GENTE CONSTANTIS DE PASSIONE S. EMMERAMMI à col. 24.

V. Adhuc multò perplexior res eſt, quis hic Gente Conſtans fuerit, quàm cujus ſedis Epiſcopus extiterit Zacharias, de quo præcedente numero diſputavimus. Nec nomen auctoris *Gente Conſtans* (ita diſſertè Codex Emmeramenſis ſeculo XII. circiter exaratus & à paulo ante laudato minimè diſtinctus) monſtro & portento vacat. Fortè hic *Gente Conſtans* ipſiſſimus ille *Conſtantinus* eſt, qui circa annum Domini DCCLXXXIV. Symberto, aliàs Synoberto, in ſede Ratisbonenſi ſucceſſiſſe dicitur. quidquid in contrarium quidam colligant ex Arnolfo S. Emmerammi Decano Lib. II. de Paſſione & Miraculis S. Emmerammi. De hoc Conſtantino ita Hundius Tom. I. Metropolis Salisburg. pag. 188. *Conſtantinus quidam poſt Sympertum Eccleſiæ Ratisponenſi præfuiſſe legitur, qui tamen in Catalogo Reginoburgenſium Epiſcoporum non ponitur, fortaſſe ob brevitatem regiminis, quod tantum unius anni fuiſſe ſcribunt, ut inter Symbertum & Adaluuinum velut interrex fuiſſe videatur, in electione parùm concordi. Sepultus eſt apud S. Emmerammum, ubi etiam nihil de eo* &c. Quæ non nihil veri ſimilitudinis vel ex hoc ipſo Sermone de S. Emmerammo accipiunt. Nam & Conſtans *venerandus Sacerdos* in titulo adpellatur, quo dicendi modo apud paulo antiquiores nomen & munus Epiſcopale ſignificatur, & ex ipſo Orationis contextu apertè conſtat, auctorem ſingulari quodam nexu S. Emmerammo, Ratisbonæ Tutelari, adſtrictum fuiſſe. Sic enim col. 28. orat: *Sit igitur Roma celebris Laurentio, Hieruſalem Stephano inclyta, Carthago nobilis Cypriano, Smyrna Polycarpo, Hiſpania illuſtris Cucuphate magno: noſtra autem Ratiſpona mirifice in Sacerdote & Martyre ſuo gaudeat Emmerammo, non minus gratiæ beneficium ab hoc ſperans Patrono, quàm & earum quælibet à ſuo indulgentiſſimo parente.* Sive igitur Conſtantinus revera Ratisbonenſis Epiſcopus, ſive Epiſcopatus tantùm pro tempore curator & adminiſtrator, aut fortè etiam Chorepiſcopus duntaxat fuerit, probabilitate non caret, eundem eum eſſe atque noſtrum hìc obſcurum aliàs *Gente Conſtantem*, qui de Paſſione S. Emmerammi luculentam iſtam ad populum Ratisbonenſem Orationem habuit, qua fortè nullum ad commendandam S. Emmerammi laudem præſtantius magisve authenticum monumentum ad nos propagatum fuit.

ARNOLFI HOMILIA DE VIII. BEATITUDINIBUS &c. à col. 29.

VI. Præcipuis celeberrimi Monaſterii Emmerammenſis, quod Ratisbonæ extat, ornamentis meritò Arnolfum ſeu Arnoldum accenſeas, quem ex Comite Vohburgenſi ejusdem loci Monachum & Decanum, *ſui temporis fideliſſimum Scriptorem* Cæſar Baronius Tom. XI. Annalium ad an. MI. adpellat. Floruit adhuc anno MXXXI. quo *rerum Cœnobii S. Emmerammi ſub Abbate Burchardo, ipſo jubente, & nihilominus Arnoldo Præpoſito eas diſquirente, fratrum cætu familiáque probante, deſcriptio facta eſt*, quam habes in Codice Diplomatico Ratisbonenſi, in Tomi noſtri Primi Parte III. col. 1. & ſeqq. in lucem emiſſo. Ei Megenfridus ſeu Meginfridus, Fuldenſis Monachus *Vitam S. Emmerammi Ratiſponenſis Epiſcopi & Martyris* dicavit, editam ab Henrico Caniſio Tomo II. Antiquarum Lectionum, cui deinde Arnolfus ſeu Arnoldus Libros II. de Miraculis S. Emmerammi addidit, ibidem à laudato Caniſio typis expreſſos. Quibus ne quid deeſſet, hìc ejuſdem inſignem ac præſtantem *Homiliam de Octo beatitudinibus & S. Emmerammò M.* ex Codice Emmerammenſi membr. in 4. maj. coævo foras dare viſum eſt. Idem Codex complectitur Opus Megenfridi & Arnoldi ſeu Arnolfi, de Paſſione ac miraculis S. Emmemerammi ſupra laudatum, cui poſterior Carmen Acroſtichon in laudem ejuſdem Chriſtiani Athletæ præfixit. Quod cùm apud Caniſium in meo exemplari, quod eo loco mutilum eſt, non reperirem, Homiliæ ob Auctoris Nobilitatem ſubjunxi. Cæterùm diſtinctus ab hac Homilia Sermo cujuſdam Anonymi Ratisbonenſis eſt de eodem S. Emmerammo, quem in Codice membraneo Monaſterii Weihenſtephenenſis propè Friſingam in 4. manu ſeculi XII. perſcripto vidimus. Hic enim ſic incipit: *Exultandum nobis eſt hodie dilectiſſimi, & ſpiritàli jocunditate lætandum* &c. Longè his omnibus gratior eruditis foret Arnolfi *Liber de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quo ſe in perſcribendo Annalium Bojorum Libro V. uſum fuiſſe Aventinus profitetur. Sed in eo tota Bajoaria perquirendo fruſtra fui, cenſeó-

que

Digitized by Google

que hoc titulo ab Aventino nullum aliud Arnolfi Opus deſignatum fuiſſe, quàm duos Libros de Miraculis S. Emmerammi, in quorum altero præclara Cœnobitarum Emmerammenſium facinora paſſim concelebrat, ut non immerito Anonymus Mellicenſis de Script. Eccl. cap. LXII. idem Arnolphi Opus *Dialogum Collectitii & Admonitii de Virtutibus Sanctorum, qui eodem in loco* (S. Emmerammi) *in pace ſepulti noviſſimam expectant tubam,* inſcripſerit. Quod ſi tamen malè me judicâſſe ſors melior & lubentior fortuna docuerit, celeri tanti theſauri publicatione erratum diluere nequaquam prætermittam. Addam & aliud inſigne Opus Arnulfi, in quo, ùt auctor eſt Sigebertus Gemblacenſis de Script. Eccleſiaſticis cap. 157. *excipiens de Proverbiis Salomonis convenientiores ſententias, & litteram & allegoriam metrico lepore ſcripſit & digeſſit*, niſi id, quod valde vereor, injuriâ temporum & injuriâ hominum nobis dudum ereptum jam ſit.

BERNONIS AB. LIBER: QUALITER ADVENTUS DOMINI &c. à col. 40.

VII. De vita & ſcriptis Bernonis Abbatis Augienſis, quem Sigebertus Gemblacenſis *in humana & divina ſcientia claruiſſe* ſcribit, nemo accuratiùs elegantiusve egit Joanne Egone in Libro de Viris Illuſtribus Augiæ Divitis Parte II. cap. 27. quem excuſum habes in noſtro Tomo I. Parte II. à col. 672. Eò itaque Lectorem, qui plura de Bernone, anno Chriſti MXLVIII. defuncto, noſſe cupit, remittimus. Hìc duntaxat de ejus Opuſculis, nunc primùm prelo commiſſis, tractabimus. Eorum primum eſt inſcriptum Ariboni Archiepiſcopo Moguntino, qui Eccleſiæ ſuæ ab anno circiter MXX. uſque ad MXXXI. præfuit, ùt Nic. Serrarius tradit Rer. Moguntiac. Lib. V. pag. 729. Argumentum Libri eſt: *qualiter Adventus Domini eo anno celebrari debeat, quo Nativitas Domini ſecunda feria evenerit.* Qua de re non una erat tum omnium ſententia: *ut enim*, inquit Berno ad Aribonem cap. I. *apertius, unde quæramus, agnoſcas, intimamus, quod tamen jam dudum te latere minimè credimus: quotiescumque Natalis Domini in ſecunda feria, velut in præſenti anno, evenerit, magnus error per Eccleſias Dei ſe infundit, aliis dicentibus, non debere plus quàm quatuor Dies Dominicos cum ipſa ſacratiſſima Dominicæ Nativitatis Vigilia celebrari: aliis verò è regione contendentibus, magis oportere quatuor plenas hebdomadas Adventum Domini habere, quintum diem Dominicum ſpecialiter vigiliæ Domini dedicantes, nullum aliud, ùt inveſtigare potuimus, defenſionis ſuæ argumentum vel rationem habentes, niſi ut illa quatuor Officia, quæ in Nocturnalibus Antiphonariis inveniuntur, vel Lectiones Sanctorum Evangeliorum, nec non & Apoſtoli pleniùs adimpleantur.* Berno priori ſententiæ in hoc Opuſculo accedit, eamq́ue auctoritate celebriúmque Eccleſiarum conſuetudine confirmat. Egregia ſunt ea, quibus capitis ſecundi diſputationem concludit: *Hunc morem*, inquit, *tota pene, ùt fertur, obſervat Gallia ac ipſa civitas Romana, quondam Mundi Domina, ùt per veraciſſimos relatores, ac præcipuè ſanctæ recordationis Adalboldum Epiſcopum, qui ſcriptis noſtris pulſatus, Romæ poſitus hoc requiſivit, didicimus, quamvis poſtea, neſcio, qua de cauſa aliter agerent, Placentina tamen, ùt ipſe ego eodem in tempore & audiendo & videndo cognovi, aliíſque Italiæ civitatibus antiquæ inſtitutionis regulam ſervantibus. Sed & Abbas Herigerus, vir non parvæ auctoritatis noſtris temporibus, proprium ſuper hac re libellum compoſuit, in quo, ùt aſſerunt, qui illum legerunt, probabilibus argumentis eos convincit contra Patrum inſtituta agere, qui plus quàm quatuor Dominicos dies Adventus Domini celebrare contendunt.* Adalboldus hìc à Bernone laudatus ſine dubio celebris ille Epiſcopus Ultrajectenſis eſt, cujus Opuſculum *de Craſſitudine Sphæræ* Tom. III. Parte II. edidimus. Porrò Herigeri Abbatis Laubienſis de præſenti controverſia Libellus, à nullo, quòd ſciamus, hucusque memoratus, penitus excidiſſe videtur. Bernonis Opuſculum ſequitur *Reſcriptum* Aribonis Archiepiſcopi, in quo *benè & artificioſè inventis, optimè diſpoſitis, facundè elocutis, & poſtremò firma memoria pronuntiatis, ex animo favet Bernonis Tractatibus, & ſiqua illa eſt Pontificatus tantilli auctoritas, ejus, ſicut rogavit, manum eis imponit.* Prodit Opuſculum ex MS. Cod. Inclyti Monaſterii S. Emmerammi Ratisbonenſis in 4. ſexcentorum annorum. Idem vidimus in Eccleſiæ Cathedralis Friſingenſis membraneo volumine, cujus characteres ætatem Bernonis aſſequi videbantur.

BERNONIS ABB. AUGIENS. RATIO GENERALIS &c. à col. 49.

Alterum Bernonis Abbatis Opuſculum, quod nunc primi luce donamus, inſcribitur in mox citato Codice Sanct Emmerammenſi: *Ratio Generalis de initio Adventus Domini ſecundùm auctoritatem Hilarii Epiſcopi*, tametſi nemo veterum recentiorumve Scriptorum

Digitized by Google

ptorum ſub hoc titulo iſtius commentatiunculæ Bernonianæ meminerit. Tenue quidem hoc Opuſculum eſt, ſed, ùt ſperamus, Viris eruditis, duabus de cauſis gratiſſimum. Primò enim excerpit *Librum Officiorum S. Hilarii, glorioſi Eccleſiæ Auctoris & Doctoris eximii*, id eſt, Epiſcopi illius celeberrimi Pictavienſis, cujus tamen Libri nulla apud Scriptorum Eccleſiaſticorum Nomenclatores memoria Supereſt. Deinde paulo ante finem Novam nobis *Aurelianenſem Synodum*, in qua de legitimo Adventum Domini inchoandi ritu actum ſit, recludit, cujus nulla, quod equidem ſciam, apud Conciliorum & Synodorum Collectores mentio injicitur. Adeò nihil facile antiquorum monumentorum ſpernendum eſt.

BERNONIS ABB AUGIENS. DIALOGUS DE IV. TEMP. JEJUN. &c. à col. 53.

Dialogi hujus, à Bernone Ariboni Archiepiſcopo Moguntiaco dicati, argumentum his verbis Sigebertus Gemblacenſis in Libro de Scriptoribus Eccle. cap. 156. complexus eſt: *Sed non præteribo, quod ſcripſit* (Berno) *de jejuniis Quatuor temporum, de quibus celebrandis eſt inter multos diſſonantia, dum alii ſecundum conſiderationem temporum, ad jejunium quartæ & ſextæ feriæ accipiunt dies Februarii, vel Maji, vel Septembris, & Sabbato in Kalendis proveniente terminant jejunium: alii verò ſine conſideratione temporum non jejunant, niſi quarta & ſexta feria jejunii cum ipſo Sabbato in Martio, vel Junio, vel Octobri proveniant. Et talem jejunandi ritum auctorizant multi, & maximè Teutones, his Bernonis ſcriptis.* Porro quid Aribo Bernoni ad hoc Opuſculum pro more reſcripſerit, nullibi hucusque reperimus. Gratum tamen id habuiſſe ſatis conſtat ex Concilio Salegunſtadienſi, anno MXXII. in cauſa diſciplinæ Eccleſiaſticæ ab Aribone celebrato, cujus Capitulum ſecundum his verbis conceptum legitur Tom. VI. Concil. Parte I. col. 828. edit. Harduinianæ: *De incerto autem jejunio Quatuor temporum hanc certitudinem ſtatuimus, ut ſi Kalendæ Martii in quarta feria ſive antea evenerint, eadem hebdomada jejunium celebretur. Si autem Kalendæ Martii in quintam feriam aut ſextam aut Sabbatum diſtenduntur, in ſequentem hebdomadam jejunium differatur. Simili quoque modo ſi Kalendæ Junii in quartam feriam aut antea evenerint, in ſubſequente hebdomada jejunium celebretur. Et ſi in quintam feriam aut ſextam aut Sabbatum contigerit, jejunium in tertiam hebdomadam reſervetur. Et hoc ſciendum eſt, quodſi quando jejunium menſis Junii in vigilia Pentecoſtes ſecundùm prædictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit, ſed in ipſa hebdomada ſolemni Pentecoſtes &c.* Quæ ipſiſſima Bernonis noſtri hac de re doctrina eſt toto ferè Opuſculo, præſertim Cap. IV. quod vide. Hoc Opuſculum ex pervetuſto Codice membraneo celeberrimi Monaſterii Benedictoburani excepi, in calamum dictante Eruditiſſimo & amiciſſimo Patre Carolo Meichelbeckio, cui multis titulis noſter Theſaurus obſtrictus eſt. Idem poſtea etiam inveni in Codice Imperialis Monaſterii ad S. Emmerammum, ſupra citato, ex quo Prologum, qui in Codice Benedictoburano deſiderabatur, ſupplevi.

BERNONIS ABB. AUG. PROLOGUS IN TONARIUM. à col. 69.

Johannes Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 311. tria Bernoni Opera tribuit, quibus Muſicen illuſtrârit, videlicet *de Muſica ſeu Tonis Lib. II.* quorum primus incipiat: *Omnis igitur regularis Mo. De Inſtrumentis Muſicæ Lib. I.* cujus initium: *Muſicam non eſſe contem.* Et *de Menſura Monochordi Lib. I.* cujus nullum exordium recitat. Ex his primos duos Libellos & ultimum unum prorſus eſſe idemque Opus vehementer ſuſpicor. Certè Sigebertus Gemblacenſis de Scriptoribus Eccle. cap. 156. ita de inventis Muſicis Bernonis loquitur, ut ex ejus verbis quis ægrè plura ejusdem de his Opuſcula extundat. *Prætereo ea*, inquit Sigebertus, *quæ de humana ſcientia ſcripſit, in quibus eminet hoc, quod in arte Muſica præpollens de regulis Symphoniarum & Tonorum ſcripſit, & quod in menſurando Monochordo ultra regulam Boëtii, ſed aſſenſu minoris Boetio Guidonis ſuppoſuit unum tonum tetrachordohypaton, & contra uſum majorum in ipſo tetrachordohypato inſeruit utiliter Synemmenon.* Nec niſi de uno de Muſica Opere Bernonis agit Anonymus Mellicenſis de Script. Eccle. Cap. LXXXI. ubi hujusmodi Abbatis Augienſis elogium texit: *Bern Muſicus, vir pius ac doctus in Monaſterio Prumenſi ſub Monaſtica profeſſione deguit, quem poſtmodum Henricus Pius Imperator Abbatem Augiæ conſtituit. Qui gratanter acceptus à fratribus diſperſos recollegit, & à Lamperto Conſtantienſi Epiſcopo conſecratus, magna inſignis pietate ac ſcientia præfuit annis quadraginta. Hic ſcripſit Librum de Inſtitutione Miſſarum, & de Muſica Opus præſtantiſſimum.* Ita Mellicenſis Anonymus, plura de Muſica Bernonis Opera ignorans. Sed ſive Libri de Muſica

Digitized by Google

Muſica ſeu Tonis, & de Monochordo inter ſe diſtincti ſint, ùt vult Trithemius, ſive non, Opus Bernonis de Tonis extat in Codice Mellicenſi, ſignato nunc Lit. N. num. 3. non niſi ſeculò XV. & quidem perquam flagitiosè exarato. Alterum ejusdem Tonarii exemplum ſervatur in Codice membraneo Tegernſeenſi quingentorum circiter annorum. Cujus Monaſterii veteres præſtantiſſimos Libros dum excuteremus, incidimus etiam in aliud egregium de Muſica Opus Theogeri ſeu Dietgeri è noſtris Epiſcopi Metenſis, de quo Anonymus Mellicenſis de Scriptoribus Eccle. cap. 109: *Dietgerus Abbas, à Latinis Theogorus, a Theotunicis quibusdam Theokarius dictus, Domini Wilhelmi Abbatis* (Hierſaugienſis) *primò diſcipulus, deinde in Monaſterio S. Georgii Abbas tertius, ac tandem Metenſis Epiſcopus, aliquantiſper adminiſtrato Epiſcopio ſepultus eſt in Cluniaco. Et hìc quoque Tractatum unum de Muſica ſcribit, in quo de ejus inventione & numeris ac propoſitionibus juxta Arithmeticos breviter quidem, ſed ſatis ſubtiliter agit.* Nec rem Lectori noſtro ingratam nos facturos ſperamus, ſi integrum, qui brevis eſt, Theogeriani Operis Prologum hoc loco dederimus. En eum igitur ex Codice Tegernſeenſi:

Incipit Muſica Theogeri Epiſcopi.

Pytagoras Philoſophus apud Gracos primus Muſicæ artis repertor fuiſſe legitur: translator autem aſſeritur Boëtius genere & ſcientia clariſſimus, & ejusdem artis ſecundùm numerorum proportiones indagator profundiſſimus. Guido verò Monachus extitit vocum inveſtigator diligentiſſimus. Extat autem Monochordum hujus artis argumentum evidentiſſimum, cujus etiam inſtitutor primus dicitur ſupradictus Gracorum Philoſophus. Incipit Opus: *Monochordum autem eſt Muſicum inſtrumentum, quod naturaliter & ſufficienter antiquitus conſtabat octo chordis* &c.

Verùm hæc de Theogeri Muſica non niſi incidenter commemorata ſint occaſione *Tonarii* Bernonis Augienſis, cujus Operis, cùm veteribus figuris & peregrinis litterarum ac notarum ductibus, quos Typographi noſtri ægerrimè imitentur, diſtinctum & pictum ſit, non niſi Prologum hìc edere viſum fuit. Johannes Trithemius etiam Bernonis *Librum Epiſtolarum ad diverſos* laudat, quem quidam amicorum noſtrorum nuperrimè in percelebri Germaniæ biblitheca detexit. Hunc novis hiſtoricis notitiis, ùt ſperò, refertum, quàm primùm accepero, cum eruditis viris publicè communicabo.

VIII. Mox ut inclytus Ordo Canonicorum Regularium, ſub vulgata Regula S. Auguſtini militantium, vel exortus vel reſtauratus fuit, diverſos ob inſtituti novitatem, ùt putabant, adverſarios nactus eſt. Primi eum agreſſi fuiſſe videntur Clerici, quos Seculares adpellant, nec ii omnes, ſed deterioris plerumque notæ, Concubinarii, pompæ ac vanitatum conſectatores, qui Apoſtolicæ vitæ normam rigoremque averſantes in eorum terga ſæviebant, quorum virtutem ſanctimoniamque imitari & æmulari tædebat pudebàtque. Adverſus hocce adverſariorum genus acrem ac vehementem Apologiam ſcripſit Gerhohus, Præpoſitus Reicherſpergenſis ad Innocentium II. Pont. Max. quam à nobis è Bibliotheca Rotenſi erutam Tom. II. Parte altera vulgavimus. Alii iique pro ſanctioris vitæ ac doctrinæ ſpecie robuſtiores Canonicorum Regularium adverſarii quidam Monachi extitère, *qui viſcera pietatis non habentes fratris errantis bovem aut aſinum ad ipſum non ſolùm non reducunt, ſed etiam furto ſubripere moliuntur: qui fratri à latronibus vulnerato ac ſemivivo relicto, non ſolùm non ſubveniunt, ſed vulnus ſupra vulnus infligunt: Et qui quod ſibi fieri nolunt, aliis inferunt, dum eorum filios ac diſcipulos ab his, ſub quibus ſalvari poterant, magiſtris abſtrahere ac ſibi attrahere moliuntur, tanquam apud ſolos eos Chriſtus ſit: tanquam regnum Dei ab eis proceſſerit, aut in eos ſolos pervenerit. Ita ut penè dici audiamus, ſicut quondam hæreſium temporibus dictum eſt: Ecce hìc Chriſtus, aut ecce illud* &c. quæ meliùs & commodiùs apud ipſum Anſelmum Epiſcopum Havelbergenſem in præſenti luculento Opuſculo legi poſſunt, quod in Monachos de Ordine Canonicorum Regularium detrahentes, eleganter ac ſolidè procudit. Notatu dignum Caput XVIII. eſt, in quo Anſelmus credit, *ad honeſtatem ſimul & exercitii rationem ſpectare, ut* Canonici Regulares *in opere manuum non vulgari lingua, ſed Latina ſermones neceſſitatis & utilitatis conferant.* De prolixitate Pſalmodiæ ita idem Cap. XX. cenſet: *Multiplicationem quoque familiarium Pſalmorum ſicut non requiro, ita nec linguis loqui in hujusmodi prohibeo,*

ANSELMI EP. HAVELBERG. LIBER DE ORDINE CAN. REG. à col. 73.

hibeo, maximè hoc approbans, ut id ſtudii pſallentes & orantes habeant, quatenus quod ore profertur, mente verſetur, & ne operis ac lectionis exercitium, vel ſecretæ orationis turtureum ſacrificium per orationis & Pſalmodiæ in communi protelationem excludatur, cùm hæc oporteat fieri & iſta non omitti. Capite VIII. plura Canonicorum Regularium, qui ſingularibus virtutibus & cœleſtibus chariſmatibus prædíti fuerint, exempla profert. Capite XXIX. maximis laudibus in cœlum effert Hugonem à S. Victore, Rupertum Tuitienſem, Bernardum Claræuallenſem, & Nortbertum Archiepiſcopum Magdeburgenſem, qui omnes Anſelmo coævi extitère. Opuſculum hoc acceptum refero V. C. & Eruditiſſimo Georgio Eccardo, qui id ex Codice bibliothecæ Hamerslebienſis exſcriptum fuiſſe ſignificavit. Nomen Anſelmi tam in initio quàm in fine apographi mecum communicati comparet, nec dubito, recentiorem librarium veterem Libelli inſcriptionem, qualis in ipſo exemplari Hamerslebienſi conſpicua fuerit, fideliter expreſſiſſe. Quod tamen impedire nunquam poterit, quin vehementer ſuſpicer, longè diſtinctum ab Anſelmo Havelbergenſi Auctorem præſentis Opuſculi eſſe. Certè Caput VIII & XXV. difficulter quis cum attentione perlegat, quin illico ſuſpicio in animo ſuboriatur, ſcriptionem hanc ex Salzburgenſi aut Patavienſi potiùs Diœceſi quàm ex ulla alia prodiiſſe. Sed quantum conjecturæ meæ tribuendum ſit, videbunt illi, quibus aliquando plures veteres Codices inſpicere licuerit. Ego bona fide typis exprimendum dedi, quod à viro doctiſſimo & in hujusmodi rebus verſatiſſimo accepi. Præter Librum de Ordine Canonicorum Reg. Anſelmus etiam duo alia ingenii ſui monumenta ad poſteros tranſmiſit. Primum eſt inſigne *Opus contra Græcos* à noſtro Luca Dracherio in Spicilegii Tom. XIII. primùm editum: alterum nondum typis excuſum extat in meis ſcriniolis, huncque titulum præfert: *Tractatus Domini Anshelmi Havelbergenſis Epiſcopi de ordine pronuntiandæ Letaniæ ad Fridericum Magdeburgenſem Archiepiſcopum.* Hunc Tractatum libenter Opuſculo de Ordine Canonicorum Regularium ſubjunxiſſem, niſi tardiùs à doctiſſimo amico ad me curatus fuiſſet. Sed quæ editio hìc fieri non potuit, in ſequentibus voluminibus fiet. De Anſelmo Havelbergenſi præter laudatum Dacherium pleríque recentiores Scriptorum Eccleſiaſticorum Cenſores agunt, eosq́ue inter omnium optimè Caſimirus Oudinus Tom. II. Commentariorum de Scriptis & Scriptoribus Eccle. col. 1428. & ſeqq.

ALGERI LIBELLUS DE LIBERO ARBITRIO col. 111.

IX. Clariſſimus P. Domnus Edmundus Martene nuper admodum Algeri ex Scholaſtico Leodienſi Cluniacenſis Monachi *Librum de Miſericordia & juſtitia* edidit in Theſauri Anecdotorum Novi Tomo V. à col. 1019. in cujus præfatione, quam Domnus Nicolaus Leodienſis, de omnibus Algeri Opuſculis agens conſcripſit, pauca quidem, ſed gravia & fide digna de vita & ſcriptis Algeri traduntur. *Algerus Leodienſis*, inquit Nicolaus, ſcriptor æqualis, *ab ipſa infantia totum ſe litterarum ſtudio tradens ſub clariſſimis viris, quorum ſcientia & honeſtis moribus tunc temporis Leodienſis fulgebat Eccleſia, Francia illuſtrabatur, nobiliter floruit: adeo ut nulla ei Chriſtianæ fidei regula videretur incognita, nulla liberalium artium aliena. Et ut de moribus ejus aliquid memoriæ tradamus, primò in Eccleſia ſancti Bartholomæi Apoſtoli, quæ eſt in ſuburbio Leodii, Deo militavit, profeſſione & habitu Clericus, gradu Diaconus, officio Scholaſticus: procedente verò tempore in majorem Eccleſiam ſanctæ Mariæ ſanctique Lamberti ab Oberto Epiſcopo honorabiliter translatus, & à prioribus gratanter exceptus, uſque ad obitum felicis memoriæ Friderici Epiſcopi, annis ferè viginti, pro Eccleſiaſticis negotiis ad diverſas perſonas & Eccleſias multas inſignes conſcripſit Epiſtolas, quæ à pleriſque ſummo conſervantur & leguntur ſtudio* &c. Harum fortè Epiſtolarum non ultima fuit Opuſculum, quod nos *Libellum ſeu Tractatum de Libero arbitrio* inſcripſimus, ſecuti fidem antiqui Codicis Illuſtris nobisq́ue amiciſſimi Viri, Domini Zachariæ ab Vffenbach, & Jannis Trithemii, qui Libro de Scriptoribus Eccle. cap. 328. inter Opera Algeri diſſertè recenſet *de Gratia & Libero arbitrio Librum unum*, cujus initium ſit: *ſciendum eſt, quòd liberum.* Etſi enim Opuſculum, ut nunc eſt, nullam Epiſtolæ formam referat, fieri tamen potuit, ut à librariis compendii gratiâ ea detruncata & prætermiſſa ſint, quæ pro more Epiſtolis præponuntur & ſubjunguntur, id quod pluribus exemplis facile demonſtrari poſſet. Cæterùm Algerus, mirum eſt, quàm dilucidè, Catholicéque graviſſimas intricatiſſimáſque de Gratia, Prædeſtinatione, ac libero arbitrio Quæſtiones in breviſſimo iſto Opuſculo diſſolverit, adeo ut audacter pronuntiare

liceat,

Digitized by Google

liceat, plus lucis in hujuſmodi controverſiis ex eo uno, quàm ex pluribus etiam recentiorum Scholaſticorum voluminibus peti poſſe. Scriptiunculam vel obiter percurrat, qui glorioſiùs nos de ea prædicâſſe putaverit.

ENGELBERTI ABB. ADMONT. TRACTATUS DE LIBERO ARBITR. col. 121.

X. Quis quantúſque Engelbertus Abbas Admontenſis fuerit, abunde, ni fallor, ac ex lectioris notæ monumentis traditum fuit in Præfatione ad Tomi noſtri I. Partem I. ubi ejusdem magnum *de Vita & Virtutibus Sanctæ Dei Genitricis ſemperq; Virginis Mariæ Opus*, itemque *Tractatum de Cauſis longævitatis hominum ante diluvium* cum *Epiſtola Engelberti de ſtudiis & ſcriptis ſuis* in lucem emiſimus. Hæc Opera nunc conſequitur inſignis & doctus *Tractatus de Libero Arbitrio*, quem ex chartaceo Codice Reverendiſſimi ac Perilluſtris Domini Caroli, Abbatis Beatæ Mariæ Virginis ad Scotos Viennæ, magni noſtrorum ſtudiorum fautoris nacti ſumus, cùm non amplius extaret in Bibliotheca Celeberrimi Monaſterii Admontenſis, in quo tamen Tractatum hunc primùm conditum fuiſſe dubitari vix poteſt. Argumentum Operis illuſtre eſt, quod ipſe Engelbertus in Proœmio his verbis exponit: *Cùm Deus rationalem naturam, id eſt: Angelicam & humanam ad ſe cognoſcendum & amandum condiderit, quod eſt ipſa beatitudo naturæ rationalis, ùt dicit Gregorius in Sermone de Angelis, qui incipit*: Angelorum & hominum naturam &c. *Cur ergo ipſam naturam rationalem ab initio ſuæ creationis non fecit talem, quæ peccare non poſſet, & per conſequens à beatitudine, in qua & ad quam creata fuerat, recedere & averti non potuiſſet? & quare tale liberum arbitrium ei dederit, per quod à ſummo bono averti potuit? Ex quo minùs benè conſiderantibus videtur Deus naturæ rationali ſive cauſam ſive occaſionem ſuæ averſionis præbuiſſe.* Quod dubium antequam diſſolvat Engelbertus, tria perquam adcuratè ac doctè pertractat: *primò, quòd naturam rationalem liberum arbitrium de neceſſitate conſequatur. Secundò quòd Divinam juſtitiam magis decebat naturam rationalem in tali ſtatu liberi arbitrii condere, in quo, ſi vellet, in bono ſtare poſſet, vel non ſtare, ſi non vellet. Tertiò quòd Deus nec Angelo nec homini cauſam vel occaſionem (non) ſtandi præbuit in eo, quòd utrumque talem creavit, qui peccare vel non peccare potuit.* His ſtabilitis ad explicandas liberi arbitrii vires propiùs accedit capite IV. ubi quærit, *utrum per liberum arbitrium homo poſſit vitare peccatum?* Cui Quæſtioni poſt datam liberi arbitrii definitionem & recenſitos diverſos ejusdem ſtatus & rationes modóſque tandem ſatisfacit capite X. in quo ſtatuit *dicendum, quòd homo per liberum arbitrium etiam ſine gratia poteſt vitare particulariter aliquod veniale vel mortale, niſi ductum ſit per longam conſuetudinem in affectum ſecundùm illud Pſalmi 72*: tranſierunt in affectum cordis, *ſed nequaquam omne peccatum. Poteſt enim aliquis exiſtens fornicator & adulter vitare furtum, & econverſò aliquis exiſtens fur vel latro vitare adulterium: ſed non omne veniale vel mortale poteſt vitare per ſolum liberum arbitrium. Similiter*, pergit ibidem Engelbertus, *homo per liberum arbitrium etiam ſine gratia poteſt facere aliquod bonum humanis viribus proportionatum & commenſuratum, ùt ædificare & plantare, & domos & familias rectè regere: ſed bonum meritorium ſalùtis æternæ nequaquam poteſt facere ſine auxilio gratiæ, cùm hujusmodi bonum opus, cui debetur præmium ſupernaturale, videlicet remuneratio beatitudinis æternæ, excedat facultatem virtutis humanæ. Unde patet, quòd præceptum de vitando peccatum & de faciendo bonum non eſt rei impoſſibilis cùm utrumque iſtorum ſit homini poſſibile prædicto modo.* Poſt hæc progreditur doctiſſimus Abbas ad diluenda ea argumenta, quæ traditæ ab ſe doctrinæ repugnare videbantur, ubi ſe virum in ſchola S. Auguſtini egregiè verſatum oſtendit. Demum univerſum Tractatum docta & perſpicua diſputatione, in qua oſtendit gratiam, præſcientiam & prædeſtinationem Divinam libero arbitrio nequaquam repugnare, concludit. Quæ omnia attentè legiſſe neminem, etiam à Scholaſtica methodo, quæ Engelberti ævo ſummo loco erat, quàm maximè abhorrentem pœnitebit.

STEPHANI PRIORIS CARTUSIÆ OLOMUCENS. MEDULLA TRITICI SEU ANTI-

XI. Novum prorſus & Reipublicæ Litterariæ hucusque penitus incognitum Scriptorem in ſcenam hìc producimus. Is eſt Stephanus Cartuſiæ olim Dolanenſis, nunc Olomucenſis primus Prior, Vir, qui paucos ætate ſua doctrinæ robore ac orationis lepore ſibi pares invenit. Antequam Ordinem Cartuſienſem amplecteretur, Regni Bohemiæ Cancellarius fuit, ùt conſtat ex MS. Codice laudatæ Cartuſiæ, ubi hæc legas: *Liber Domus Vallis Joſaphat Ord. Cartus. propè Olomutz in Dolano, quem edidit Venerabilis Domnus Stephanus,*

Digitized by Google

WIKLEFFUS à col. 149.

Magiſter in Artibus & Cancellarius Regis Bohemiæ, *poſtremò Prior & Fundator ſupradictæ Domus. Rogo*, *orate pro eo*, *quia ſanctæ vitæ & Malleus fuit Huſſitarum.* Quæ verba à coævo fuiſſe ſcripta, & quidem ante annum MCCCCXXXVII. inde conficitur, quòd *Domus Vallis Joſaphat prope Olomutz in Dolano* circa dictum annum ab Huſſitis vaſtata, ob eamque cauſam intra Olomucenſia pomœria ad annum MCCCCXLIV. translata fuerit cum facultate Capituli Generalis, ab Ordine Cartuſiano eodem anno celebrati. Porro apud quem Bohemiæ Regem Cancellarii munere Stephanus functus fuerit, in Codice haud exprimitur. In recenti Indiculo chartarum & Diplomatum Cartuſiæ Pragenſis, cujus fundationem Carolus IV. confirmavit, occurrit quoddam ejusdem Caroli præceptum, quo quædam *honorabili Stephano Notario tabularum regni Bohemiæ devoto*, *dilecto &c. mandat.* Qui Stephanus ſi idem eſt ac Stephanus ex Cartuſiano Pragenſi primus Prior Dolanenſis ſeu Olomucenſis, ùt perquam vero ſimile eſt, extra controverſiam erit, Stephanum noſtrum Carolo IV. regnante Cancellarii Bohemiæ munus geſſiſſe. Quod ſi verò malis id Stephani munus ad Wenceslai regimen removere, id diuturnum eſſe haud potuit, ſiquidem certo certius eſt, Stephanum anno MCCCLXXXVIII. Dolanenſem Priorem, atque adeo aliquot ſaltem annis priùs Cartuſianum Monachum factum fuiſſe. Sed ſive Stephanus ſub Carolo IV. ſive ſub filio Wenceslao ſacri in Bohemia Palatii Quæſtor extiterit, ad ejus Officii ſplendorem non ſolùm egregiis animi ac ingenii dotibus, ſed fortè generis etiam nobilitate ſuffragante pervenit. Eum certè illuſtri familia progenitum fuiſſe ſuſpicionem non levem injicit Codex MS. Cartuſiæ Olomucenſis, in quo hæc adnotantur: *Iſte libellus conceſſus eſt Domno Stephano Priori Domus Vallis Joſaphat Ord. Cartus. in Dolan per Blaskonem de Koſſovahora*, *ſororium dicti Prioris anni Domini MCCC. nonageſimo octavo.* Ubi nomine *Koſſovahoræ* illuſtriſſimam familiam Comitum de *Kokorzovva*, quos Balbinus celebrat, innui non improbabiliter conjectat Ven. Pater Leopoldus Wydemannus, digniſſimus Cartuſiæ Gemnicenſis Vicarius, cui omnia, quæ ad Stephanum attinent, accepta referenda ſunt. Cæterùm quòd in priori Olomucenſi Codice Stephanus etiam *Fundator ſuprà dictæ Domus Vallis Joſaphat propè Olomutz in Dolano* dicatur, id eo nomine commeritus fuiſſe videtur, vel quòd amplis ſuis bonis eum locum dotârit ditaverítque, vel quòd ea Cartuſia ex diœceſi Litomiſlenſi Dolanum propè Olomucium Stephani operâ translata fuerit. Dolanenſi Solitudini calamitate ac fluctibus pleniſſimo tempore præfuit, eamque maxima cum prudentiæ, doctrinæ ac ſanctimoniæ laude ab anno MCCCLXXXVIII. uſque ad vigeſimum ſeptimum diem Junii anni MCCCCXXI. rexit, quo vel ſequenti ad ſedes Beatorum abiit, ampla laborum ſuorum, quos pro Eccleſia Dei exantlavit, præmia à juſto judice ablaturus. Reliquit is ſequentia Opera, quorum editio nunc primùm prodit operâ & ſtudio ſæpè à nobis laudati ſæpiúsque laudandi Patris Leopoldi Wydemanni, qui omnia ex Olomucenſis Cartuſiæ Codicibus partim avtographis partim apographis non ſine multo ſudore eruit ac prelo paravit.

1. *Medullam Tritici* ſeu *Antivvikleffum*, Opus quadripertitum, quo præcipuos errores ac hæreſes, à Wikleffo in famoſo illo ſuo Trialogo traditas, ampliter ac nervosè confutat. Ad umbilicum id Stephanus perduxit anno MCCCCVIII. ùt ipſe notavit ſua manu ad calcem Codicis Olomucenſis, anno MCCCCXI. ab alio exarati. Addit Leopoldus noſter, idem anno MCCCCXV. Concilii Conſtantienſis Præſidi fuiſſe oblatum & ab eodem approbatum, quod ſine dubio vir accuratus ex Olomucenſibus monumentis hauſit. *Antivvikleffum* ſuum ipſe citat Stephanus in Dialogi Volatilis capite 1. & 2. de quo nos illico dicemus. *Johannes Kbel*, cui *Medullam Tritici* excutiendam & emendandam Stephanus offert, is ipſe eſt, qui promulgationi ſententiæ Sbinconis Archiepiſcopi Pragenſis, adverſus libros & dogmata fautoréſque Wikleffi anno MCCCCX. latæ tanquam teſtis primo loco interfuit, in qua promulgatione ſeu *proceſſu* quia Johannes Kbel tantùm *Eccleſiæ Pragenſis Canonicus*, ſine ulla *Officialatus* mentione dicitur, hinc rectè colligas eum huic muneri anno MCCCCX. aut præcedenti renuntiâſſe. In Codice, quo uſus fuit P. Leopoldus, præter *Medullam Tritici* ſeu *Antivvikleffum* etiam ſequentia, quæ ad Wikleffi in Bohemia cauſam ſpectant, extabant. I. *Alexandri V. Bulla ad Sbinconem Archiepiſcopum Pragenſem, ut contra fautores Johannis Wikleff procedat.* II. *Sbinconis Archiepiſcopi Proceſſus contra eoſdem anno MCCCCX.* quem paulo ante citavimus. III. *Teſtimonium Cancellarii Oxonien-*

Digitized by Google

Oxonienſis Wikleſſo datum anno MCCCCVI. IV. *Declaratio contra prædictum Teſtimonium, quod confictum fuiſſe aſſeritur.* V. *Bulla Johannis XXIII. data an. MCCCCXIII. contra Wikleff.* VI. *Ejusdem de eadem re Bulla ad Epiſcopos Pragenſem, Olomucenſem & Litomiſslenſem directa.* Quæ cùm aut edita jam omnia ſint, aut non adeò arctè cum Stephani Opere connectantur, à nobis hìc prætermiſſa ſunt.

STEPHANI PRIORIS OLOMUC. ANTIHUSSUS. à col. 361.

2. *Antihuſſum*, cujus evulgandi occaſionem præbuit ambigua quorundam dubiorum diſſolutio Johannis Huſſi, ejusdemque fraudulenta ad Fratres Dolanenſes epiſtola, in qua queritur, *qualiter Dominus Stephanus multis opprobriis non ſolùm ſe, ſed etiam eos, qui Sermones à ſe Chriſti audiunt, durè perſequatur* &c. Epiſtolæ Huſſi breviter primùm reſpondit Stephanus amplioris Operis ſpem faciens, quam otium nactus in Antihuſſo deinde explevit. In eo præcipuè tria pertractat, quæ inter Catholicos & Huſſi aſſeclas magno utrimque motu controvertebantur. Primum: *ſi in Papam, an non credendum ſit?* Secundum: *utrum poſſibile ſit, aliquem hominem, qui non confitetur ore mortali Sacerdoti, ſalvari?* Tertium: *utrum aliquis ſanctorum Doctorum ſentiat aut dicat, quòd aliqui de Pharaonis populo ſubmerſi in mari rubro, & de Sodomitis ſubverſi ſint ſalvati?* Ad quæ omnia Stephanus cautè ac eruditè reſpondet, ſimulque tragœdias, ab Huſſitis in Bohemia datas, admodum graphicè depingit. Vidit hoc Opus Johannes Cochleus, qui unum atque alterum benè longum locum Lib. I. Hiſt. Huſſis. adducit, qui totidem verbis apud Stephanum noſtrum Capite V. & VII. reperiuntur. Falſus autem fuit Cochleus & cum eo Odoricus Raynaldus ad an. MCCCCXI. & ſequentem, qui *Antihuſſum* non Stephano Olomucenſi, cujus revera eſſe omnia clamant, ſed Stephano de Palez, celebri Huſſii adverſario attribuunt, quaſi verò nullus Huſſo Stephanus adverſari potuiſſet, quàm Stephanus de Palez, cujus amplus *Tractatus*, in tres partes tributus, *de Auctoritate Romanæ Eccleſiæ* tam in Bibliotheca Cartuſiæ Olomucenſis quàm in Canonia San-Dorotheana Viennæ manu exaratus reperitur. Jam verò ad Stanislaum de Znoyma quod attinet, quem ſibi Stephanus hujus Operis judicem ſumit, fuit is celebris Ordinis Prædicatorum Theologus, qui tamen, quod mireris, ne quidem in recentiſſima Bibliothecæ Dominicanæ editione, à Cll. Patribus Jacobo Quetif & Jacobo Echard procurata, locum ſortitus eſt, etſi is illi majori jure ac merito quàm pluribus aliis debeatur. Scripſit enim I. *Tractatum* ſeu *Expoſitionem ſatis prolixam & eruditam ſuper Orationem Dominicam.* Incip: *Pater noſter &c. Hæc eſt Oratio, non gentilitate vana ſucata, nec ſapientia humana colorata, nec participata Deiſica prudentia compta: ſed neque ipſa per ſe Divina Sapientia per os creatæ alicujus perſonæ fabricata: ſed ore proprio unigeniti Filii Dei, infinito ſtudio ac artificio vocaliter compoſita* &c. Habetur in Codice Olomucenſis Cartuſiæ, exarato eadem manu anno MCCCCXVII. qua Stephani Olomucenſis *Antivvikleſſus* deſcriptus eſt. II. *Tractatum de Sancta Trinitate*, cujus initium eſt: *Sancta & venerabilis materia Trinitatis Perſonarum, & Unitatis Subſtantiæ in Deo, cùm ſit altiſſima & ſecretiſſima, ita ut &c.* Extat in eodem Codice. III. *Tractatum de Corpore Chriſti.* Init: *Viſum eſt non eſſe inutile, quòd quidam Tractatus de non remanentia ipſarum ſubſtantiarum panis & vini poſt Conſecrationem &c.* Ibidem conſtâtque Tractatus novem Capitibus. IV. *Tractatum contra XLV. Articulos Wikleffiſtarum & Huſſitarum.* Init: *Quia ſancta mater Eccleſia ex textibus & ſententiis Evangelicis & Apoſtolicis determinavit clarè & expreſsè in Capitulo: Firmiter credimus, & ibidem docet &c.* Comprehenditur eodem manu deſcripto volumine, tametſi nomen Stanislai expreſsè præfixum non habeat, quod tamen in alio Cartuſiæ Olomucenſis Codice, quem nondum vidit noſter Wydemannus, diſſertè haberi dicitur. Collatio utriusque Codicis rem omnem definiet. V. *Epiſtolam transmiſſam Dominæ N. relictæ quondam D. Petri de Plumbnavv contra Huſſitas.* Incipit: *Orationibus & ſervitiis utinam valentibus aliquid in Domino cordialiter præmiſſis &c.* Legitur in eodem ſæpiùs citato Codice. VI. *Tractatum prolixiſſimum de Eccleſia.* Initium eſt: *Ubi ſana fides non eſt, non poteſt eſſe juſtitia, quia juſtus ex fide vivit &c.* Ex Codice vix amplius legibili Cartuſiæ Gemnicenſis, qui olim Pragenſis fuit. Hactenus Opera Stanislai de Znoyma, ad quem Stephanus *Antihuſſum* ſuum retulit, ferè omnia uno Codice Olomucenſi poſteris conſervata. Nec prætermittendus alius inſignis, ſed hactenus ignotus nobis Auctor, cujus vaſtum Opus *de auctoritate Romanæ Eccleſiæ* eodem volumine continetur.

tinetur. Is eſt Magiſter Paulus, Plebanus Eccleſiæ in Dolan, Cartuſiæ Olomucenſi ſubjectæ, qui ad annum MCCCCXVII. id condidit adverſus Magiſtrum Simonem, Plebanum in Thowatzolb, Johannis Huſſii, jam Conſtantiæ concremati, vindicem ac defenſorem. Initium Operis oblitus fuit amiciſſimus nobis Wydemannus adnotare. Sed ad recenſenda Stephani Opera velut ex diverticulo revertamur.

STEPHANI PRIORIS OLOMUCENS. DIALOGUS VOLATILIS. à col. 431.

3. *Dialogum Volatilem inter Aucam & Paſſerem &c.* Dicavit hoc elegans Opuſculum Stephanus Johanni Epiſcopo Litomiſslenſi *pro habitis*, ùt ipſe ait, *& olim effectualiter in benedictionibus gratiarum oſtenſis ſibi cum Fratribus largiſſimis beneficiis.* Quæ Stephani verba ſine dubio reſpiciunt confirmationem fundationis Cartuſiæ in agro Litomiſslenſi, anno MCCCLXXXI. à Johanne Epiſcopo factam, ùt refert Balbinus in Notis ad Caput I. Libri IV. Epitomes Rerum Bohemicarum, ubi hanc ejusdem Cartuſiæ chronologiam texit: *Hanc Cartuſiam fundator Albertus de Sternberg, Epiſcopus Litomiſslenſis, Rubum Mariæ voluit appellari. Fuit conſtructa in fundo bonorum, ad Epiſcopalem menſam pertinentium, juxta caſtrum Trezka nuncupatum. Primus hujus Cartuſiæ Rector & Prior fuit Venerabilis Pater Joannes de Lampach, Cartuſiæ S. Michaëlis prope Moguntiam Profeſſus, anno* 1378. *in Vigilia Nativitatis Domini. Anno* 1381. *Joannes Epiſcopus Litomiſslenſis, fundationem Prædeceſſoris ſui confirmavit. Anno* 1389. *magnus Prior Cartuſianorum ſeu Generalis, omnia bona Domus Rubi beatæ Mariæ cum eadem Domo transfert ad Domum Vallis Joſaphat prope Dolan. Anno* 1392. *primus lapis Eccleſiæ in Dolan ponitur per Joannem Marchionem Moraviæ. Anno* 1397. *Boniſacius Papa translationem hanc confirmat. Anno* 1406. *Jodocus Marchio Moraviæ auget fundationem Dolanenſem, quam Albertus de Sternberg morte præventus, conſummare non potuit. Anno* 1437. *nocte ante Purificationem beatæ Mariæ, Cœnobium Vallis Joſaphat ab Huſſitis eſt occupatum, & ab hæreticis Moraviæ proceribus deinde ſolo æquatum. Itaque boni Patres, ad Olomucenſem Cartuſiam ſe recepêre. Porro Olomucenſis Cartuſia fundata eſt in honorem SSS. Trinitatis.* Hæc Balbinus, ex quibus omnia Stephani Opuſcula, præſertim epiſtola nuncupatoria hujus Dialogi lucem accipiunt, ſi tamen Johannes Epiſcopus Litomiſslenſis, cui Dialogum anno 1414. ſcriptum, dedicavit Stephanus, idem omnino Johannes eſt, ſub quo translatio Cartuſiæ ex Diœceſi Litomiſslenſi in Dolan contigit, quod in litteris ad me datis Wydemannus non extra omne dubium collocavit. Librum Stephanus *Dialogum Volatilem* inſcripſit, propterea quòd in eo Aves interloquantur, *Auca* ſcilicet, quam nomen Huſſi Latinè ſignificat, & *Paſſer*, quo nomine modeſtiæ cauſa ſe ipſe Stephanus notavit. Antequam diſputationem Paſſer cum Auca exordiatur, multa generatim præmittuntur, quæ omnium hæreticorum animos ad ſuſcipiendam Catholicam fidem præparent. Argumentum totius deinde Dialogi conficiunt Huſſi contumacia, faſtus, impetus, nimia in Sacerdotes acerbitas, & Eccleſiaſticarum cenſurarum contemptus. Quæ monſtra tam ratione, quàm Sanctorum Patrum auctoritate Stephanus inſectatur. Obſervatu digna ſunt caput XXII. & XXIII. in quibus celebre illud S. Gregorii M. dictum: *timenda eſt paſtoris ſententia, ſive ſit juſta ſive injuſta*, diffusè utrimque ventilatur, & explicatur. Prodit hoc Opuſculum ex Codice Cartuſiæ Olomucenſis, maximam partem autographo, in quo etiam eadem manu extat exarata Stephani *Epiſtola ad Huſſitas*, de qua nunc agendum.

STEPHANI PRIORIS OLOMUC. EPISTOLA AD HUSSITAS col. 503.

4. *Epiſtolam*, ſeu veriùs *Librum Epiſtolarem ad Huſſitas.* Ea dividitur in quinque partes, quarum argumenta in *Præambulo* his verbis Stephanus exponit: *Prima* (imò & Secunda) *agit de factis eorum* (Huſſitarum) *præteritis & præſentibus, qui non ceſſant clamare quotidie una voce pro juſtificatione ſui Magiſtri Huſſ, etſi per hoc generale Concilium* (Conſtantienſe) *perditæ memoriæ & damnatæ, dicentes in infamiam ſanctæ Matris Eccleſiæ:* Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus. *Unde & publicis ululant & impudicis vocibus, qui de vertigine maligni ſpiritus confictis, & ex hoc manifeſtiſſime mendoſis, quòd tantum in eorum ſecta fides & lex Chriſti integra & inviolata permanſerit: quòd quoque per eos primò recte ſint expoſita Scripturarum profunda, & ab aliis abſcondita myſteria. Hoc quoque referunt mentientes, & coram nobilibus, ruſticis & mulieribus ſe protervè jactantes, quòd in præcedentibus temporibus non fuerint homines recte & ſalubriter informati de Scripturarum veritate, & ſpecialiter de perceptione*

Sacra-

Digitized by Google

Sacramenti ſub utraque ſpecie, panis ſcilicet & vini ſacramentaliter & de neceſſitate ſalutis continuè communicandi per vulgares. Propter quod & hoc audent affirmare, quòd, qui in antea non perceperunt ſic Sacramentum ſub utraque ſpecie viſibili, à damnatione ſint excuſabiles, quia nondum cognoverunt veritatem. Verumtamen ſi qui jam poſt eorum revelationem eis & veræ doctrinæ viam oſtenſam à perceptione Sacramenti ſic ſub utraque ſpecie viſibili ſe abſtraxerint non ſine peracto ſacrilegio, damnationis æternæ periculum non evadent. In *Tertia autem parte de Imaginibus agitur, quarum approbatum uſum & venerationem in Domino univerſalis ſervat Eccleſia, quod adverſarii affirmant & dicunt eſſe idolatriam. Quod quàm ſit irrationabile, pluribus Divinis rationibus & ſanctarum Scripturarum fidelibus teſtimoniis comprobatur.* In *Quarta parte agitur de Religioſis, quos non cappa, ſed profeſſio facit Monachos. Quorum vitam, converſationem & habitum hi adverſarii Huſſitæ non ſolùm ex illis hæretici hæreticorum Wikleff profanis & maledictis, traditis ad portas inferi regulis, ſed etiam ex propriis novæ adinventionis ſcandaloſis & detractoriis cavillationibus publicè mirabiliter, ſed Deo propitio damnabiliter deteſtantur.* In *Quinta & ultima parte, quæ incipit :* Noviſſimè defuncto jam capite veſtro, *fit mentio, quòd non ſolùm rudiores Huſſitæ, ſed etiam illorum, qui videntur aliquid eſſe, Magiſtri ſummo dogmatizant ſtudio (quod & ampliùs approbant damnabili effectu, neglecto, ùt aſſerunt, in priſcis temporibus per ſingulos, ùt præmittitur, Doctores uſque ad ipſos hoc ipſo documento) quòd videlicet vulgaris promiſcui ſexus populus, quin imò & pueri debebant, ſed jam amplius in perpetuis temporibus futuris debent Sacramento Dominici Corporis ſub utraque viſibili ſpecie, ſcilicet panis & vini communicari ſacramentaliter ſub pæna perpetui anathematis aliter faciendi.* Hæc ſumma eſt prolixiſſimi Tractatus præſentis, in quo negari non poteſt, multa ineſſe, ex quibus Hiſtoria Huſſitica mirè illuſtretur. Ex Capite II. Partis primæ aliíſque locis ſatis apparet, Stephanum præcipuè ac deſtinatò telis ſuis impetiiſſe Magiſtrum *Simonem de Tuſſnovvitz* ſeu *Thuſnicz*, maximum Huſſitarum defenſorem, qui ſi idem eſt, ùt videtur, ac Magiſter *Simon de Tyſs*, magnum profectò fructum ex Epiſtola Stephani cepit, ùt qui ad Catholicam fidem tandem reverſus *Tractatum* etiam *contra Quatuor Articulos Huſſitarum* ediderit. Supereſt is in Codice Cartuſiæ Olomucenſis & ita orditur : *Magnificentiſſimis ac Nobiliſſimis Dominis Baronibus, aliiſq́ famoſis Clientibus & prudentibus Civibus Civitatum in Concilio, electis in Congregatione Gazlavienſi per prædictum Generale Concilium Capitaneis & Diſpenſatoribus regni Bohemiæ quidam viliſſimus & abjectiſſimus Sacerdotum. Salus & pax Chriſti & ſuæ Eccleſiæ ſit cum omnibus vobis. Ad honorem Dei Omnipotentis pro incremento & conſervatione fidei Orthodoxæ, & pro labe prædictam fidem in regno Bohemiæ & Marchionatu Moraviæ inficiente expurganda, motus conſcientia ac naturali compaſſione, intendo veſtras Dominationes cum timore, & ea, qua decet, reverentia paucis verbis ſcriptis adhortari, & præſertim contra Quatuor Articulos, in quorum fide veſtras defixiſtis voluntates, alióſque Chriſticolas in regno Bohemiæ nitimini compellere, ut per eos teantur &c.* Non æquè Stephani labores profuère alteri Magiſtro, de quo ad calcem Codicis iſthæc notantur : *Iſtam Epiſtolam Magiſter Sigiſmundus, Huſſita præcipuus petivit ſibi concedi ad unum menſem videndum, quam tandem miſſam ſibi retinuit apud ſe per tres menſes. Et ex tunc aviſatus remiſit ſilentio ſervato ſine omni reſponſo anno Domini* 1418. *circa feſtum Ægidii*, anno videlicet, poſtquam hoc Opus finiſſet Stephanus, qui præter jam memorata conſcripſit.

5. *Inſignem Homiliam in illud Luc. I :* Exurgens Maria abiit &c. *de Sacramento Altaris adverſus Huſſitas*, quam ex Olomucenſis Carthuſiæ Codice à P. Wydemanno exſcriptam ſuo tempore in lucem vindicabo.

6. *Epiſtolam invectivam Matris Eccleſiæ contra abortivos filios & filios Belial, contendentes pro Papatu, G. Jo. P.* Incipit : *Alma Mater Catholica & Apoſtolica Eccleſia, unica & virgo ſine ruga, Sponſaq́ boni Paſtoris Jeſu Chriſti illibata* &c. Quam ab eodem Venerabili viro ex Olomucenſis Cartuſiæ codice acceptam in Codice meo Diplomatico Hiſtorico-Epiſtolari reperies.

7. *Tractatum de Corpore Chriſti.* Incipit : *Eſtote ſine offenſione Eccleſiæ Dei. Scribitur I. Cor. 10. Anno Nativitatis Domini MCCCCXV. currente in Praga ſunt nonnulli, ùt*

reor,

Digitized by Google

reor, incurioſi, qui plusquam oportet, ſapere videntur. Intra ſe vident, ſed extra videre nolunt. Ritum Eccleſiæ verbo & ſcripto impugnare præſumunt, Pauli immemores dicentis: eſtote ſine offenſione Eccleſiæ Dei &c. In fine: *Explicit Tractatus de Corpore Chriſti, in quo multis modis oſtenſum eſt, quòd Laici non debent nec poſſunt ſub utraque ſpecie communicari, anno Domini MCCCCXVI. finitus Sabbato in Cathedra S. Petri.* Dum initium & finem hujus Tractatus attentè P. Wydemannus, in cujus manu erat, expenderet, putabat eum eſſe Stephani noſtri. Verùm quia hujus nomen in Codice deſideratur, nec Stephani in eo manus, ùt in plerisque aliis ſuorum Operum codicibus apparet, & Auctor diverſo ſtilo utitur, adhuc incertus hæret, cuinam tandem tribuendus ſit. Hæc paulò diffuſiùs de Scriptis Stephani primi Prioris Dolanenſis, nunc Olomucenſis, ſub quo & Nicolaus, vir doctus ac elegans in eadem Cartuſia floruit, cujus duo inſignia & erudita Opera, nondum typis expreſſa, & Ven. PP. Leop. Wydemanni ac Sebaſtiani Tregeri non uno loco à me pro merito laudatorum, manibus ex Olomucenſis Cartuſiæ codicibus deſcripta poſſideo, commodiori loco publicanda. Primum eſt *Tractatus Sacrorum & Religioſorum Ordinum deſenſivus adverſus Wikleſſum & Huſſum*, cujus initium hujusmodi eſt: *Miſericordiæ Domini, quas in medio templi ejus devotè ſuſcepimus, digna conſideratione penſatæ, devotorum hymnorum cantica reſonare nos faciunt in excelſis &c.* Eò ſine dubio reſpexit Stephanus Prior Dolanenſis in Medulla Tritici Cap. 4. ubi ita ſcribit: *ſuper quo quia quidam vir bonus, olim Magiſter Artium, nunc autem depoſito Magiſterii faſtigio inter Chriſti diſcipulos concluſus cellula, quaſi vilis latitat ſub regula, religioſum deſcripſit Tractatulum, in quo nequaquam pepercit adverſariis* &c. Alterum Opus Nicolai eſt *Collationum ſeu Sermonum in diverſa Catholicorum dogmatum & Divinarum Scriptuarum capita* cum quibusdam *Additionibus*. Incipit Prima *Collatio de Excellentia humanæ conditionis: Producturus Deus Omnipotens in eſſe naturæ genus humanum, ineffabili magiſterio voluntatis ſuæ, in tantam gratiæ & gloriæ illud præordinavit ſublimitatem, ut & præ cunctis mortalibus rationis dono præcelleret* &c. Porro hic Nicolaus Stephano, anno MCCCCXXI. morte ſublato, in Prioratu Cartuſiæ tunc Dolanenſis, nunc Olomucenſis ſucceſſit, geſſítque id munus annis IV. & menſibus III. elatus tandem anno MCCCCXXV. die XXIII. Novembris. Sed de his ſatis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ
IN
TERTIAM PARTEM TOMI QUARTI
THESAURI ANECDOTORUM NOVISSIMI.

LUDOVICUS SENIOR DE ADVENTU RELIQ. S. LAURENTII M. à col. 1.

1. Inclytum Divi Laurentii Ord. S. Bened. Cœnobium, ad muros urbis Leodienſis adſitum, Beato Euraclo ſeu Eraclio Leodienſium Epiſcopo, illuſtri Saxonum ſanguine oriundo, ſua initia accepta refert. Is enim, ubi Sanctorum Martini Turonenſis Epiſcopi & Pauli Apoſtoli Collegiatas in civitate Leodienſi fundâſſet dotâſſetque Eccleſias, iis Beatiſſimi Martyris Laurentii apparitione, ac ùt Laurentiana vetera monumenta tradunt, hortatu ad laudem Sanctiſſimæ Trinitatis hanc tertiam Cœnobiticam in illius honorem adjecit. Fundamenta jacta ſunt anno Domini nongenteſimo ſeptuageſimo, in publico monte, loco quidem tum infami & latronum ſuppliciis polluto, aſt commodo, ſalubri & peramœno. Sexaginta poſt annos Reginardus, Leodienſis Pontifex, in agro Colonienſi claro genere prognatus, diruta veteri S. Laurentii Eccleſiolâ novam, priorique longè ampliorem à fundamentis conſtruxit, conſtructamque adjuvantibus Johanne Portuenſi Epiſcopo, Johannis Papæ Legato, & Sancto Pelegrino Colonienſi Archiepiſcopo, ſub titulo & honore S. Laurentii M. dedicavit III. Novembris anno Domini MXXXIV. regiminis ſui decimo, adjectis ſubinde pluribus & opulentis prædiis, accitísque triginta Monachis, qui ſub beato Stephano,

Digitized by Google

no, ex Monaſterio S. Vitoni Virdunenſis evocato, Deo ſtrenuè religioſéque militarent. Neque Reginardi expectationem exitus fefellit. Namque ab ejus ævo ferè ſemper Monaſterium S. Laurentii Leodienſis & pietatis & doctrinæ ſchola fuit. De ſingulis doctis illius viris agendi hìc locus non eſt, ut quos in alio Opere commeritis laudibus mactaturi ſimus. De iis duntaxat hìc quædam delibabimus, quorum ſcripta & Opuſcula in noſtra Collectione cum erudito Orbe communicamus. Quæ ipſa, utì etiam omnia, quæ Leodium ſpectant, & à nobis commemorantur, debere nos Adm. R. & Cl. D. P. Cœleſtino Lombardo, S. Laurentii Bibliothecario, Viro domeſticarum antiquitatum peritiſſimo, noſtrique ac ſtudiorum noſtrorum amantiſſimo, ultro multáque cum grati animi ſignificatione confitemur.

Ac primò quidem diſſerendum de Ludovico, cognomento *Seniore*, Monacho & Diacono S. Laurentii eſt, qui *Scriptum* edidit *de Adventu Reliquiarum B. Laurentii M. Româ Leodium*, cui ipſe anno MLVI. IV. Idus Junii interfuit, ùt ex iis conſtat, quæ paulo ante finem Opuſculi de repentina ſerenitate äeris commemorat, ubi, *quod oculis vidit*, invocato in teſtem Deo, dicturum & ſcripturum ſe ſpondet. De eo agit Reinerus Monachus Leodienſis Lib. I. de Scriptoribus Monaſterii S. Laurenti cap. V. his verbis: *Ludovicus bonæ recordationis ſenior, qualiter ab Urbe Roma reliquiæ nobis delatæ ſunt Laurentii, jam ante exſcripſerat.* Capite dein ſequenti & VII. Falchalinum Scholarum Laurentianarum Magiſtrum, qui *Franconi*, ex *Scholaſtico ſancti Lamberti* Monachi S. Laurentii, *in Opuſculis de Quadratura circuli & de jejuniis Quatuor Temporum cooperatus eſt*; & Heribrandum Quintum ejuſdem loci Abbatem, virum *ad dictandum ſive ad verſificandum promptiſſimum, tamque Divina quàm humana præditum litteratura* celebrat, quorum uterque Ludovici *diſciplinis coaluerat.* Nec plura de eo ſuggerunt S. Laurentii monumenta vetera, quæ quidem Cl. P. Lombardo perſpecta ſint.

B. JOHANNIS MONACHI VISIO &c. à col. 5.

II. Quæcumque de auctore præſentis Opuſculi dici poſſunt, paucis Reinerus, Johannis diſcipulus, Lib. I. de Scriptoribus Monaſterii ſui cap. 16. complexus eſt. *Quin etiam Johannes*, inquit, *tam ſpiritu quàm carne illius* (Gisleberti) *frater, ſcholaſticus & eruditione & officio ſuit, cujus extremui plerumque ſerulam puer, ut clavam Herculis nemo unquam plus extremuerit. Heu quotiens, dum noſtra exigit aut diſcutit opuſcula, & aduncis correptas manibus obliquo tabellas oculo intuetur! Heu quotiens illum Virgilii monoculum me putavi Polyphemum incuriſſe! Idem aliquando infirmatus, miróque ſatis ordine extra ſe & ſupra ſe factus plurima vidit memoratu digna, quæ & gratiâ ædificationis ſcripto edidit. Binos etiam cantus compoſuit, id eſt: de ſancto Chriſtophoro martyre, & de ſancta Maria Ægyptia, Hiſtoriam Tobiæ, itemque Martyrium S. Stephani Pròtomartyris heroico pede percurrit, & Cantica Canticorum aliquanta ex parte antiphonatim modulatus eſt.* Ex his nihil præter *Viſionem Status animarum poſt mortem* &c. in Bibliotheca ſua hodie ſupereſſe graviter apud me queſtus eſt Cl. & diligentiſſimus P. Lombardus, qui & notavit, Johannem ſub utroque Wazelino Abbate floruiſſe, quorum primus Monaſterium S. Laurentii regere deſiit ac obiit anno MCXLVII. alter anno MCLVI.

REINERII LIBELLI III. DE CLARIS SCRIPTORIBUS MONASTERII SUI. à col. 17.

III. Reinerii, Raynerii, Reinerive, Cœnobitæ Laurentiani Leodii plures hactenus meminêre, nominatim Baronius, Valerius Andreas, Gerardus Joannes Voſſius, Chapeavillus, Mabillonius, Caſimirus Oudinus aliique, ſed paucis admodum & nequaquam, ùt tantus vir merebatur. In cauſa fuit, quòd maxima pars Reineri Opuſculorum in tenebras abdita hucúſque ignoraretur. Sed omnia de eo deinceps certiora & ampliora erunt, poſtquam pleraque ejus ingenii monumenta Cl. P. Lombardus ex autographis codicibus exſcripſit, noſtróque Theſauro inſeruit. Ætatem Reineri, quem plerique circa annum Domini MCXXX. claruiſſe ſcribunt, certam habemus ex ejuſdem libello de caſu fulminis ſuper eccleſiam Monaſterii ſui. *Nam præſenti anno*, inquit, *qui eſt ab incarnatione Dominica MCLXXXII. XI. Kal. Aprilis, in craſtinum, ſcilicet poſt dies Palmarum mirabilis in altis Dominus intonuit ſuper nos fulmine cum maximo atque horribili fragore cadente* &c. Ejuſmodi certas ad ſtabiliendam Reineri ætatem notas Chronicas in aliis etiam ejuſdem Opuſculis reperies. Quo autem anno mortem cum vita commutaverit, ex nullis Monaſterii ſui monumentis Cl. Lombardus potuit extundere. Virum fuiſſe excellenti ac perelegan̄ti ingenio præditum omnia ejus Opera loquuntur, ſtilo perſcripta erudito, terſo & qui vix ſeculi ſui ſit. Nec virtute ac vitæ ſanctimonia inferior extitit, ut qui cœleſtibus etiam viſioni-

bus claruerit, quas in Opuſculis ſuis tanquam ab aliis habitas paſſim refert, & veteribus, quas tractat, hiſtoriis interſerit. De Operibus ſuis ipſe accuratè agit Libro II. de claris Scriptoribus Monaſterii ſui, ex quibus ea duntaxat recenſere juvat, quæ in noſtro Theſauro nunc primùm comparent.

1. *De claris Scriptoribus Monaſterii ſui Libelli III.* Hi ita in Codice avtographo inſcribuntur: *De ineptiis cujusdam idiotæ Libellus ad amicum ſuum*, quæ inſcriptio, ſine dubio ab ipſo Reinero profecta, inſignem auctoris modeſtiam prodit. In eo ſatis accuratè, quid à quolibet majorum ſuorum ſcriptum poſteritatiq́ue commendatum ſit, recenſet. Optandum foret, ut idem circa coætaneos ſibi Sodales præſtitiſſet. *Sed morabantur eum*, ùt ipſe initio Libelli II. fatetur, *duo*, *ſcilicet ne aut livoris argueretur, ſi remiſſiùs laudaret, quæ laudanda eſſent, aut daretur adulationi, merita ſi dependeret præconiis.* Cæterum ex hoc Reineri Opuſculo non parum lucis vetus Hiſtoria Litteraria accipiet, quæ tanto ſtudio ab eruditis noſtri temporis excolitur. Errat verò non leviter vir eruditus Jo. Gottfridus Olearius T. II. Bibliothecæ Script. Eccle. ubi pag. 121. ſcribit Reineri *Libros III. de Viris illuſtribus Monaſterii ſui*, qui ipſiſſimi noſtri hi III. Libelli ſunt, in Collectione Rer. Leod. à Jo. Chapeavillo editos fuiſſe, cùm in ea nihil Reineri præter vitam S. Lamberti reperire ſit.

OPUSCULUM IN IX. ANTIPHONAS O. &c. à col. 51.

2. *In Novem Ante-Natalitias Antiphonas ab O. exordientes Opuſculum*, ſeu *Quid ſignificent novem O, & quæ ſit dierum illorum ratio*, quem titulum ſe commentationi ſuæ præfixiſſe, in Prologo ad amicum Reinerus teſtatur. Hoc Opuſculum præcedenti mox ſubjunximus, propterea, quòd idem argumentum Reinerus, licèt ſuccinctiùs, in ejus Libello III. pertractet, atque adeo alterum ex altero ſuppleri poſſit. Prodiit quidem hæc Commentatio jam pridem, nempe anno 1618. Leodii. Verùm cùm ejus editionis exempla rariſſima ſint, ejúsque nemo unus, qui hucusq́ue Reinerum celebravit, meminerit, eam in noſtra Collectione repetere viſum fuit. Commodo ac uſui erit Divini Verbi Præconibus, qui in diverſis Eccleſiis ultima Dominici Adventus Hebdomada in has ipſas myſteriorum plenas Antiphonas Sermones ad populum habere conſueverunt. Quæ autem ſit ratio, quòd Reinerus Novem ejuſmodi Antiphonas, non Septem, quot nunc in omnibus ferè Eccleſiis decantari ſolent, expoſuerit, Lector ex Nota Cl. P. Lombardi col. 68. cognoſcet.

VITA S. PELAGIÆ. à col. 69.

3. *Speculum Pænitentiæ* ſeu *Vitæ S. Pelagiæ Lib. II.* Hiſtoriæ hujus non tam auctor quàm interpolator Reinerus eſt, ùt ex ipſius verbis, quibus Prologum finit, conſtare poteſt: *Cujus*, inquit, *monimenta converſionis* (Pelagiæ) *ab alio quidem ſcripta reperi, ſed cùm oratio parùm idonea, tum verò barbariſmorum erat atque ſolæciſmorum tanta confuſio, ut illuſtrem materiam ſtilus obſcurior laceram reddidiſſe ac deſpicabilem videretur. Verùm de Scriptoris vitio, quàm de auctoris imperitia id accidiſſe ſuſpicor, dum quatuor aut amplius clauſulis, tum & dimidiis ſe verſiculis paſſim mutilatum textus pronuntiaret. Glorioſis autem rebus plurimum tollit gratiæ ſermo contemptibilis. Meliori ergo aliquantum facie prædictam curavi materiam reformare, rudemq́ experiri adoleſcentiæ indolem Opuſculum in duos digeſſi libros, atque titulo prænotavi* Speculum Pœnitentiæ. *Nam quantum remedii hujus ſit bonum, quàm felix proventus, in hoc etiam ſpeculari poteſt benivolentiæ expiatus collyrio cujusvis oculus.* Porro etſi horum Libellorum argumentum ſatis decantatum ſit, non æquè tamen cognita hucusque fuerunt plura Virtutum exempla, quæ vel de ſe diſſimulato nomine, vel de aliis Lib. I. cap. IV. & Lib. II. & cap. III. Reinerus narrat, id quod & in aliis hiſtoriarum & Vitarum ſuarum Libellis agit, ut adeò vel hoc nomine in lucem proferri dudum commeriti fuerint. Scimus non deeſſe homines, qui ejusmodi omnia deriſui habeant. Sed nec deſunt, qui delectu habito magnos etiam in animo fructus ex iisdem capiant. Quibus ſi noſtris laboribus amplius prodeſſe cupimus, nemo prudens id ægrè ac impatienter feret in Opere, quod diverſiſſimorum hominum uſibus deſtinatum eſt. Opuſculi hujus ipſe meminit Reinerus Lib. II. de claris Script. Monaſterii ſui cap. III.

DE VITA ET PASSIONE S. MARIÆ VIRG. CAPPADOCIS LIB. II. à col. 83.

4. *Palmarium Virginale*, ſeu *de Vita & Paſſione ſanctæ Mariæ Virginis Cappadocis Libri II.* Hos adoleſcens adhuc edidit Reinerus eo maximè fine, ut otium fugeret, ac ſalutaribus ſtudiis animum imbueret. Stimulum ad ſacra argumenta tractanda addiderat viſio B. Johannis Magiſtri ſui, in qua Beatiſſimi Laurentii vocem & monitum: *O quam delectabile eſt atque jocundum Divinis rebus intendere animum*, audiſſe ferebatur. Is enim

ipſe

Digitized by Google

ipſe eſt, de quo ita in Prologo ſcribit Reinerus: *Frater etenim quidam pueris ſive adoleſcentibus Terentium legebat. Sed ſcenica lectio plus obeſſe quàm prodeſſe auditoribus infirmis ſolet. Interea Magiſter ille infirmatus eſt, ita ut penè deſperaretur. Qui extra ſe per extaſim factus plura vidit & audivit memorabilia, quæ poſtea ſcripto edidit. Beatum quoque Laurentium, quam præmiſi, ſententiam minaciter ſibi objeciſſe non tacuit, redarguentem, quòd ludicris ſordidaretur, dum Comico uteretur. Nam cenſeatur parum religioſus, qui pectus vel linguam occupet nugis turpibus. Divina igitur tractare & honeſta ſaluberrimum eſt. Augeſcit ſcientia, vitatur otium, proficit ad virtutes anima. Nempe quoſdam legimus Patrum intexere mattas ſive ſportellas ſolitos fuiſſe, quarum grandes cumulos dum congeſſiſſent, quoniam qui diſtraheret, non erat, igni ſuppoſito cremaſſe, & alias denuo factitaſſe ad ſimilem redigendas ſortem. Philoſophi quidem ſpirituales ſic argumentati fuerint, otioſitatem eſſe inimicam animæ, quam adeò inſectarentur. Verùm improbus ego conſerendorum ignarus juncorum, neque ſportulis idoneus attexendis, ſcribere ſaltem aliquid conabor, adoleſcentiamq́ artibus aſſueſcere bonis, nec fornacibus, ſed codicibus dedere ingeniolum. Itaque* gemino *diſtinctum* Libro Opuſculum *compoſiturus ſum, cujus ſit titulus:* Palmarium Virginale. *Etenim Sancta Virgo Maria, quo agone certaverit, hoſte devicto qualiter palmam adepta ſit cœlicam, in eo deſcribetur.* Hactenus Reinerus, cujus ſententia etſi longior eſſet, huc transferenda videbatur, ut quibus ſtudiis animos ſuos exercerent Religioſi, addiſcerent. Neque enim ejus generis deſunt noſtris temporibus homines, qui non *codicibus* ſed pictis etiam chartis & aliis nugis ingeniolum dedant, iis quoque indignari ſoliti, qui bonas horulas exſcribendis veterum monumentis conſecrant, quæ ipſi luce omnino indigna, utpote ſuis moribus perquam infeſta, exiſtimant. De Maria Martyre Cappadoce ac ancilla vide Baronium in Martyrologio Romano ad diem primam Novembris & Laurentium Surium, qui eodem die Mariæ acta ex Vincentii Speculo Hiſtoriali recitat, quo integro ferè ſeculo antiquior noſter Reinerus eſt.

VITÆ S. TIEBALDI LIBB. II. à col. 95.

5. *De Vita S. Tiebaldi Libri II.* De his utì & præcedentibus duobus Opuſculis ita loquitur ipſe Reinerus Lib. II. de claris Scriptor. Monaſterii ſui cap. III. *Geminis ergo Libellis converſionem deſcripſi Sanctæ Pelagiæ, Opuſculumq́ hoc illuſtravi titulo:* Speculum pœnitentiæ. *Dehinc Paſſionem Virginis Mariæ Cappadocis æquè duplici Libello explicavi ita prætitulando:* Palmarium Virginale. *Subſequenter Vitam Tiebaldi Eremitæ duobus itidem Libellis complexus ſum, appellaviq́* Florem Eremi. *Atque hæc antea quidem, ſed ſcabro dictationum fuerant ſtilo deſcripta, quæ ego monitu quorundam ſcientiolæ, qua potui, lima purgavi. Parendum eſt quippe amicis pia injungentibus. Sanctorum verò res geſtæ communis cenſentur materiæ, nec vanitatis pungendus eſt notâ, quem pietatis exercent ſtudia* &c. Non prodit quidem Reinerus, cui, quæ de Sancto Tiebaldo commemorat, debeat. Verùm qui vitam ejuſdem ſanctiſſimi Eremitæ, à Petro Vangadiciæ Abbate in litteras relatam, & à Surio & Mabillonio Parte II. Seculi VI. Benedictini à pag. 156. editam, cum Reineri Opuſculo vel leviter contulerit, illico reperiet, hunc illius vitulâ arâſſe, nec niſi elegantiori oratione Reinerum Petri opus conveſtiviſſe, ac ſingularibus quibusdam ſui temporis eventis, pro more ſuo, telam diſtinxiſſe. Latuit id tamen omne Mabillonium, inter eos, qui Sanctum Tiebaldum laudârunt, Reinerum aliàs nequaquam prætermiſſurum.

DE CONFLICTU DUORUM DUCUM &c. à col. 109.

6. *De Conflictu duorum Ducum & animarum mirabili revelatione* &c. Libelli II. Iſtud Reineri Opuſculum, quemadmodum & ſequens *de adventu Reliquiarum S. Laurentii Romä Leodium*, ideo duntaxat in Collectionem noſtram immiſimus, ut, quid etiam verſu potuerit Reinerus, eruditis patefaceremus, liberum ac integrum iis relinquentes, quid vel quantum ejusmodi hiſtoriis tribuere velint. De priori Opuſculo hæc Reineri verba ſunt Lib. II. de Clar. Scriptor. Monaſterii ſui cap. VI. *Ne mucidis autem dormitantes tabellæ ceris ſtilus parieti affixus rubiginis lepra tabeſceret, ſcripſi ad quemdam familiarem Opuſculum de* Inſignibus Inſularum Sardiniæ & Siciliæ *duobus verſificè digeſtum libellis. Item ad alium duos Libellos: primum* de Conflictu duorum Ducum, & animarum mirabili revelatione: *ſecundum* de quodam milite captivato, & per ſalutarem Hoſtiam liberato. De poſteriori autem ita ſcribit ejuſdem Libri cap. VIII. *Scripſi etiam verſificè* Libellum de Adventu Reliquiarum S. Laurentii in Leodium ab urbe Roma. *Quin & ad ipſum Marty-*

Digitized by Google

rem & ad alios plures Sanctorum dicendas, *rogatu Fratrum*, *plurimas conſcripſi orationes*, quarum unam metricam ad S. Laurentium habes col. 127. Cui mox ob idem orationis genus *Officium de Sancto Spiritu*, ſenſu pietatis plenum ſubjunxi. Quid verò hujus Officii ſcribendi occaſionem Reinero dederit, apud eundem videre potes citato Libro cap. VIII. Cæterùm in Opuſculo metrico *de Adventu Reliquiarum S. Laurentii* Martyris nihil ferè aliud egit Reinerus, quàm ut id, quod Ludovicus Senior de eodem argumento proſa oratione tradidit, verſa etiam redderet, quod pro ætate ſua non ineleganter exſecutus eſt.

DE ADVENTU RELIQ. S. LAURENTII &c. à col. 121.

7. *De Adventu Reliquiarum S. Laurentii Roma Leodium Liber metricus* &c. De hoc Opuſculo Reineri mox actum eſt.

TRIUMPHALIS BULONICI LIBB. V. à col. 129.

8. *Triumphalis Bulonici Libelli V.* Quantas turbas & calamitates Hugo & Rainaldus, filii Rainaldi Barrenſis Comitis, Eccleſiæ Leodienſi intercepto caſtro Bulonico ſeu Bulliono dederint, latè deſcribit Bartholomæus Fiſenus in Hiſtoria Eccleſiaſtica Leodienſi Libro X. ad annum MCXLI. Earum miſeriarum Iliadem, ac tandem Leodienſis Eccleſiæ poſt recuperatum ope S. Lamberti Martyris caſtrum Bullionenſe triumphum, duo inſignes veteres Scriptores in litteras retulerunt. Primus eſt Nicolaus Canonicus Leodienſis, auctor æqualis, cujus *Triumphum S. Lamberti M. de Caſtro Bullonio* ex veteri Codice Monaſterii Alnenſis primùm in lucem extulit Joannes Chapeavillus Tom. II. Scriptorum rerum Leodienſium à pag. 577. Alter eſt, quem illuſtrandum hìc ſumpſimus, Rainerus de Eccleſia Leodienſi non uno nomine optimè meritus, qui ejuſdem argumenti Libellos V. admodum elegantes & graves compoſuit, ùt ipſe teſtis eſt Lib. II. de clar. Scriptor. Monaſterii ſui cap. IX. *Præterea*, inquit, *quinque exaravi Libellorum Opuſculo*, *qualiter diebus noſtris Eccleſia Leodienſis Bullonienſe caſtrum*, *pervaſoribus triumphatis Divina receperit virtute*, *tituloque præſignavi:* Triumphale Bolonicum. *Hoc ipſum Muſico quoque adſtruxi modulamine.* Muſicum modulamen excidiſſe videtur, ſolo reſiduo *Triumphali*, quod ex autographo à Cl. P. Lombardo erutum, ad illuſtrandam nonnihil amplius Hiſtoriam Leodienſem hìc publici juris fecimus.

EVRACLI EP. LEOD. VITA à col. 155.

9. *Evracli Epiſcopi Leodienſis Vita.* Hanc ex antiquioribus quibuſdam monumentis Reinerus concinnavit. Ita enim in Prologo diſſerit: *Evracli utique geſta quoniam fuêre præclara*, *fuerant & præclaro digna ſcriptore*, *qui peritia dictionis bonæ ſecundum Prophetam diceret juſto: quoniam bene*, *quoniam fructum adinventionum ſuarum comedet. Dixerunt & quidam Scriptores aliquid de illo*, *ſed minùs benè*, *quia minus diligenter aut plenarie. Sparſim igitur dicta exegit quorundam Fratrum benivola ſimulque importuna petitio*, *ut in unum colligerem*, *& diligentiore ſtilo facerem ex pluribus ſcriptis unam ſcriptionem*, *quemadmodum feceram in deſcribendo Vitam S. Wolbodonis Leodienſium item Epiſcopi* &c. Non meminit hujus vitæ Reinerus Libro II. de clar. Scriptor. Monaſterii ſui, ubi Opuſcula ſua ſingulorumque occaſiones & titulos recenſet. Aſt non omnia ibidem retuliſſe Reinerum, aut plura deinceps poſt finitum illum Librum II. ſcripſiſſe vel ex hoc loco demonſtrari poteſt, ubi ſe ab auctore vitæ S. Wolbodinis, editæ à Mabillonio Seculo Benedictino VI. Parte I. minimè diſtinguit.

VITA REGINARDI EPISCOPI LEODIENS à col. 167.

10. *Vita Domni Reginardi Epiſcopi.* Nec hujus Opuſculi mentionem facit Reinerus in Libellorum ſuorum indiculo, quem Libro II. de claris Scriptoribus Monaſterii ſui contexuit. Nec tamen propterea minùs liquidum eſt, illud neminem alium quàm eundem Reinerum auctorem agnoſcere. Ut enim jam nihil de Codice, in quo Vita Reginardi cum aliis certis Reineri Opuſculis permixta eſt, dicam, auctor ea in Prologo affert, quæ nulli niſi Reinero poſſunt convenire. *Ad quem*, inquit de Reginardo, *deſcribendum etiam Fratres quidam hortatu benivolo & jugi me precatu quaſi pigrum ac deſidem excitaverunt*, *importunè objectantes non minus gratitudinis*, *non minus obſequii me pro patrefamilias debere noſtro*, *cujus beneficiis educatus maximè eſſem à puero*, *quàm Sanctis Præſulibus Wolbodoni & Evraclo*, *quorum jam antea duobus Libellis Vitas deſcripſiſſem.* Quæ ipſiſſima Opuſcula Reineri ſunt, à nobis præcedenti numero recenſita.

DE CASU FULMINIS &c. col. 187.

11. *De caſu fulminis ſuper Eccleſiam Monaſterii ſui Liber.* Cùm anno Domini 1182. XI. Kal. Aprilis Eccleſia Monaſterii S. Laurentii, ictu fulminis percuſſa, dirè conflagrâſſet, tragœdiam ſingulari Libro Reinerus perſecutus eſt, eumque inſcripſit ac obtulit Friderico Monacho *familiari amico ſuo* ac dein Cœnobitæ Stabulenſi, ùt patet ex epiſtola Rei-

Digitized by Google

Reineri ad eundem data Cap. VII. in qua præterea queritur de Friderico, quòd, *poſtquam Stabulas abiiſſet, poſtquam Stabulenſis effectus eſſet, nullum ſibi alloquium, nullam litterarum ſcedulam miſerit, quaſi arietes, oves, vitulos Arduenna non habeat, de quorum ſolent pellibus confici pergamenæ.* Hujus Opuſculi nulla memoria extat in Libro II. Reineri de claris Scriptoribus Monaſterii ſui. Ex quo paulo ante dicta de non recenſitis inibi omnibus ejuſdem Opuſculis amplius confirmantur, ſimulque conficitur, Libellos illos tres, omniaque in iis commemorata Opuſcula ante annum Domini MCLXXXII. à Reinero compoſita fuiſſe.

LIBELLUS GRATIAR. ACTIONIS &c. à col. 197.

12. *Libellus gratiarum actionis ſuper Dedicatione nova Eccleſiæ Monaſterii ſui.* Libellus hic præcedentem nativo ordine conſequitur. Cùm enim lugubrem Baſilicæ ſuæ caſum & excidium in priori fleviſſet & miſeratus eſſet Reinerus, in iſto fauſtam ejuſdem reſuſcitationem ſibi celebrandam, perpetuumque grati adverſus B. Laurentium animi monumentum eſſe relinquendum exiſtimavit. Fuit Opuſculum hoc eodem anno, quo prius, conditum, ùt Cap. VI. nos ipſe docet Reinerus his verbis: *Igitur à prima Dedicatione hujus Eccleſiæ ad ſecundam Dedicationem anni ſupputantur CLI. ab anno autem Dominicæ incarnationis MCLXXXII. Denique XI. Kal. Aprilis Divina ſuimus animadverſione plagati, ſed eodem nihilominus anno, IV. ſcilicet Nonas Novembris Divina miſeratione ſanati. Hujus ſanationis lætitiam, hoc eſt: Dedicationis ſolemnitatem exemplo Salomonis vel Machabæorum per octo egimus dies, atque, ùt ſcriptum eſt, obtulimus holocauſta precum, & ſalutaria laudis in canticis ſpiritualibus & gratiarum actionibus tanquam in vaſis Muſicorum diverſis confitentes Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordiæ ejus* & cætera, quæ ſine diſpendio temporis ipſe Lector percurret. Id enim in Reineri Opuſculis ſingulare eſt, quòd brevitatem cum elegantia orationis nullibi non conjungat, id quod & ad lectionem facile pellicit, & ab eadem ſine faſtidio ac tædio dimittit.

DE INCENDIO ECCLESIÆ S. LAMBERTI &c. à col. 207.

13. *Breviloquium de incendio Eccleſiæ S. Lamberti.* Ejuſdem commatis hoc Opuſculum eſt ac numero 11. relatum. Nempe leſſus eſt, quem Reinerus fecit, cùm *anno ab incarnatione Domini MCLXXXVIII. Quarto Kal. Maji, quo die S. Lamberti celebratur Tranſlatio, ad primam ſcilicet ſubſecutæ noctis Vigiliam ignis à domo prorumpens cujuſdam Canonici, circumpoſitas domos, dein clauſtrum clauſtraleſq; officinas repente corripuit & abſumpſit, nimiumq; dæmonica exagitatione invaleſcentes flammæ tuo, Sancte Lamberte, Monaſterio incubuêre, & tecta quamvis conveſtita diligentiſſimè plumbo, ambaſque turres, nec non & palatium vetus cum Eccleſia Sanctarum Virginum, nonnulliſque circum manſionibus ingenti conflagratione ruinâq; dejecêre.* Breviculum quidem hoc Scriptum Reineri eſt, ſed quod tamen inſigni uſui eſſe potuiſſet Bartholomæo Fiſeno in perſcribenda Hiſtoria Eccleſiaſtica Leodienſi, in qua ne verbo quidem hujus memorabilis eventus meminit ad annum MCLXXXVIII. quo eum contigiſſe ex Reinero advertimus.

LACHRIMARUM LIBELLI III. à col. 211.

14. *Lachrimarum Libelli III.* Elegantiſſimi, & qui pietatis ſenſu reliqua omnia ſuperent, ſunt præſentes III. Lachrimarum Libelli, à Reinero ad Philo-Chriſtum ſeu quemlibet Jeſu Chriſti amatorem conſcripti, fortè jam à ſenio gravi & morti vicino. Vocat autem propterea *Libellos* ſeu *Libros Lachrimarum*, quòd in iis eæ duntaxat doctrinæ ac exempla proponantur, quæ animum terrenis rebus immerſum ſalubriter futurorum expectatione ac metu concutiant, & amaras pœnitentiæ lachrimas ex captis mundi vanitate oculis eliciant. Cæterùm in iis non pauciora Hiſtorica quàm Aſcetica Lector deprehendet, tametſi fortè non deerit, qui tam ex his quàm ex aliis hucusque recenſitis libellis Reinerum arguat, quaſi qui plus juſto ſomniis & narratiunculis parùm gravibus tribuerit. Verùm Reinerum, virum aliàs doctum & politum, in his non ſine judicio & diſcrimine verſatum fuiſſe, Libro II. Lachrimarum cap. 1. his verbis nos docet: *Nec verò intendimus favori, ſed compunctioni: Lachrimarum quærimus inſtrumenta, non levis jactantiolæ argumenta, maximè cum duobus tantummodo nobis noſtra loquamur familiaria vel ſcribamus. Sunt etenim ùt diverſæ facies, ita diverſæ hominum opiniones, dum quod alius æſtimat bonum, alius opinetur malum. Talis objicere contra hujusmodi ſolet Scholare illud:*

Somnia ne cures: nam mens humana quod optat
Dum vigilat, ſperat, per ſomnia cernit idipſum,

Et illud Sapientis: multos errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis. . . . . *Neque*

que inficiamur, ſed quod item ſcriptum eſt, magis apponimus: Somnia malè facientium vanitas eſt, & ſicut parturientis cor tuum phantaſias patitur: *tamen non diſſimulantes, quod ſequitur*: niſi ab altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio. *Vaniſſimum quippe eſt æquè & ſtultiſſimum intendere ſomniorum phantaſiis, quorum nec genera, nec ſormas, nec ſignificantias Pharaonis ſapiens aliquis aut conjector, non Regis Nabugodonoſor quiſquam ariolus, non magus, non Chaldæus, nec ipſe quidem Muhamad Saracenorum Propheta & Deus, licèt Angelum Gabrielem ſuum culpaverit ſuiſſe Myſteriarchen, comprehendere, interpretari ad plenum potuiſſet. Tantus ſomniorum eſt acervus phantaſticorum, ut Judaici Gomor ſuperet infinitè menſuram. Seponimus ejusmodi: eas commendamus ſolummodo, quæ ad hos, qui tribulato ſunt corde & humiles ſpiritu, emittuntur ab altiſſimo viſitationes, qui ſuper flumina Babylonis ſedentes flent, dum recordantur Syon, qui fluctuantia & transcurrentia hujus ſeculi confuſione pleni, ùt adverſa ſic proſpera deputantes fletui cum Apoſtolo dicunt: non habemus hìc manentem civitatem, ſed ſuturam inquirimus* &c. Qui locus ùt prolixus, ita percommodus & aptus eſt ad Reinerum ab ſubſpicione nimiæ credulitatis vindicandum, in quam apud nonnullos ob relatas frequentiùs quà proprias quà alienas viſiones haud dubiè veniet. Doctiſſimus P. Lombardus, qui hos cum ſequentibus Libros è tenebris eruit, accuratè notavit, in eo Codice, quo uſus eſſet, nomen Reineri non eſſe prima ſed non nihil recentiori manu depictum, imò ipſos etiam Libellos Lachrymarum non eodem, quo cætera indubia Reineri Opuſcula, charactere perſcriptos eſſe, denique in alio apographo, anno 1428. à Johanne Stabulao, celebri S-Laurentiano Cœnobita exarato, hanc tantùm inſcriptionem reperiri: *Incipit Libellus Lacrimarum primus editus à quodam fratre Eccleſiæ noſtræ.* Obſervavit poſtremò, ab auctore horum Libellorum ipſum Reinerum velut *Triumphalis Bulonici* conditorem Lib. 3. cap. 4. in hunc modum citari: *cæterùm prædictus Frater quomodo tam adorabilem tertiò Majeſtatem viderit, nunc reticebo, quia intimus hic noſter in Opuſculo, cujus eſt titulus*: Triumpale Bulonicum, *hoc retulit* &c. Ex quibus omnibus P. Lombardus evinci poſſe putabat, hos Libellos Lacrimarum non Reineri, ſed cujusdam alterius Reinero familiaris Cœnobitæ Laurentiani eſſe. Sed conjecturas has nullas eſſe, omnibus liquidiſſimum erit, qui hoc de Lachrimis Opuſculum cum reliquis minimè controverſis Reineri Libris contulerint. Tanta enim ingenii, ſtili, pietatis, & feſtivitatis utrobique ſimilitudo eſt, ut eorum nihil Reinero abjudices, quin omnia auferas. Nec poſtrema eruditiſſimi amici noſtri ratio invicta eſt. Nec enim adeò inſolens apud antiquos viſionum & miraculorum Scriptores eſt, ut modeſtiæ vel invidiæ declinandæ causâ ea aliis tribuant, quæ ipſis contigerunt. Ex pluribus non niſi unum in rem præſentem exemplum ex Tomi noſtri III. Parte II. adducam. Ibi Othlonus Decanus Emmerammenſis in Libro de Curſu Spirituali cap. XXI. tentationes & portenta, quæ ſibi juveni Monacho obviàrunt, his verbis enarrare aggreditur: *Libet hìc ſcripta cujusdam fidelis mihique notiſſimi Fratris inſerere, qui ad converſionem veniens, & Scripturam ſacram legendo frequentans, (habebat enim ſpem magnam in hac lectione) nimia diuturnaq; hoſtis antiqui impugnatione fatigabatur in eadem Sacra Scriptura* &c. Quis non crederet *fidelem* illum & Othlono *notiſſimum Fratrem* ab ipſo Othlono diverſiſſimum eſſe? Nihil tamen minus eſt. Nam quæcunque loco citato ex illius *fidelis Fratris ſcriptis* narrat Othlonus, in Libro Metrico de Doctrina ſpirituali, ſuo nomine, apertè, ac ſine ullis involucris de ſe ipſe canit cap. 14. & ſequenti. Maneat itaque certum, hos Lachrimarum Libellos à nullo alio quàm à Reinero fuiſſe profectos, ùt rectè alia manus, licèt recentior in Codice adnotavit.

DE PROFECTU MORTIS LIBB. II. à col. 249.

15. *De Profectu Mortis Libri duo.* Unum eundemque eſſe auctorem Librorum de Profectu mortis (qui itidem magnam partem hiſtorici ſunt) ac Libellorum Lachrimarum, ex illorum cap. X. conſtat, in quo Wilhelmum hoc *Opuſculum de Profectu mortis* jubet *accipere, & Opuſculo adjungere illi, quod ante aliquot dies compoſuit, cui & pro qualitate materiei* Lacrimarum *præfixit titulum.* Nec dubium, quin Libelli de profectu mortis id idem Opuſculum ſint, quod in fine Libelli III. Lacrimarum his verbis promiſerat: *Et quidem Fratres, me æſtimo lacrimoſa jam vobis narratiuncula ſatis feciſſe, quæ noverim, referendo, & ſi aliqua reſtent, quæ Opuſculo inſerentur illi, quod ante aliquod tempus inceptum perficere veſtra me affectio & hortatus impellit.* Ita Reinerus ipſe, qui quàm præ-

clarè

Digitized by Google

clarè promiſſis ſteterit, abunde ex utrísque libellis conſtat, quos Wilelmo, celebri cuidam Monacho, cujus virtutes Lib. II. cap. 10. maximis laudibus celebrat, dedicâſſe videtur. Libellus alter ſub finem mutilus eſt, fortè propterea, quòd morte, cujus *profectum* ſibi adeò conſtanter ob oculos poſuit, præventus eum ad calcem perducere nequiverit. Atque hæc de Reineri Opuſculis, in noſtro Theſauro publicatis. De aliis omnibus tam editis quàm ineditis, extantibus & deperditis alio loco diſſeremus.

ANDREÆ PRESBYT. ORD. CAN. REG. S. A. CHRONICON GENERALE à col. 273.

IV. Sat clarum in Republica Litteraria hucusque nomen fuit Andreæ, Monaſterii ad S. Magnum, quod in ſuburbiis Ratisbonæ conſtructum eſt, Ordinis Canonicorum Regularium S. Aug. Presbyteri ob editum *Chronicon Ducum Bavariæ*, cujus pluſculas editiones Caſimirus Oudinus T. III. Commentariorum de Scriptis & Scriptoribus Eccleſiaſticis col. 2467. recenſet. Aſt longè deinceps id clarius evadet ejusdem *Chronico Generali*; quod diligentiſſimus ſodalis noſter, R. P. Joachimus Prieſterſperger, ex coævo ac vaſto chartaceo Codice Celeberrimi Monaſterii Lunælacenſis ſeu Monſeenſis erutum, nobis hìc evulgandum reliquit. Orditur id Andreas à primo æræ Chriſtianæ anno, ac finit in anno Domini MCCCCXXII. ùt liquet ex iis, quibus noſtra editio concluditur. *Expliciunt hæc anno Domini MCCCCXII. in die S. Agnetis poſt horam Veſperarum. Qui dedit Alpha & Omega, ſit laus & gloria Chriſto.* Scimus quidem vel ex Monſeenſi Codice, Andream inſignem poſtea plurium annorum appendicem ad Chronicon ſuum adjeciſſe, in quam poſt paulo ante recitatam clauſulam ita ipſe Andreas præfatur: *Licèt Chronicis ſupraſcriptis per verbum:* expliciunt hæc anno Domini MCCCCXXII. in die S. Agnetis, *finem tunc temporis impoſuerim, & poſtea ad ulteriora ſcribenda dimiſerim quàm plura folia vacua, poſt quæ Concilium Piſanum & Concilium Conſtantienſe, & etiam quædam Chronica, & præſertim materiam Huſſitarum hæreticorum usque ad annum MCCCCXXVIII. latiùs in hoc volumine ſcripſi: quia tamen largiente Domino, bonorum omnium diſtributore tempus eſt iterum ſcribendi, ideo prædicta folia, ut non appareant vacua, adornando quasdam hiſtorias ſecundùm formulam, quæ ſequitur, hìc litteris memoriæ commendavi.* Verùm quia inſtituta hujus appendicis cum Andreæ *Chronico Ducum Bavariæ* collatione comperimus, idem omnino ferè ad verbum in utroque Opere narrari, illam hoc loco publicare haud operæ pretium viſum fuit. Porro quid ſibi præcipuè Andreas in Chronici ſui concinnatione propoſuerit, qualemque maximè rationem ſecutus fuerit, his in Prologo verbis ipſe denarrat, ex quibus etiam nonnulla diſcimus, quæ ad penitius noſcendam Auctoris vitam & ætatem pertinent: *Proinde ego Frater Andreas, litteratorum humiliumque minimus, profeſſus Monaſterii Sancti Magni Confeſſoris in præurbio Ratisbonæ, Ordinis beati Auguſtini Canonicorum Regularium, conſiderans & mente revolvens, quia memoria digna litteris ſunt mandanda, præſertim quia nos materiales homines aliorum vita magiſtramur & dirigimur ... Ideo ea, quæ temporibus meis, & præcipuè in Concilio Conſtantienſi acta ſunt, ſcilicet ab anno Domini MCCCCV. quo in hebdomada Pentecoſtes in Eyſtavia ordinatus ſum Presbyter, ut ad majorem notitiam perveniant, & ad meam potiſſimè utilitatem, quamvis ignoranter, tamen affectanter conſcribere curavi. Præterea quia non eſt bonum, quod non pulchriùs eluceſcat, ſi plurimorum notitia fuerit comprobatum, & bonum quantò communius, tantò divinius, Cronicas antiquorum usque ad tempora Johannis XXII. & Ludvvici IV. Imperatoris Romanorum & Bavariæ Ducis exfloravi: Cætera verò, quædam ex diverſis collegi, quædam ſicut ex relatione virorum fide dignorum accepi, usque ad tempora Martini Papæ V. & Sigismundi Regis Romanorum fideliter conſcripſi, & fidelius juxta ingenii mei parvitatem in hanc formam redegi, & ab ipſa Sapientia, quæ eſt Chriſtus, attingens à fine usque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuaviter, cæpi ordiri hoc ordine, ut tempus Nativitatis ſummi Pontificis & Regis Jeſu Chriſti, ac deinde Romanos Pontifices in columna vel pagina prima: & Romanos Imperatores contemporaneos, ut clariùs eluceſcant, ad modum figuræ Scholaſticæ Hiſtoriæ ex oppoſito in columna vel pagina altera in circulis rubeis deſcribam: eos verò Pontifices, qui in numero Pontificum Romanorum non ponuntur, præter Linum & Cletum, in circulis nigris. Similiter Imperatores, qui in numero Imperatorum non ponuntur, in circulis nigris, & aliquando non geminatis, causâ diſcretionis, ponendo tempora Sanctorum & Virorum Illuſtrium, ac cætera quædam digna memoria ad modum rivulorum*

ſecus

Digitized by Google

ſecus alveum decurrentium annotando. Fateor tamen cum Johanne Andreæ in Jeronymiano Lib. IV. in proœmio, quòd exflorare libros, licèt ſit utile, non tamen ſubtile. Scio namque ex proferendorum vel referendorum omiſſione facile me poſſe reprehendi. Sed gaudeo: quia ſicut adverſarius veritatis vinci non potero, ergo ſemper ſicut diſcipulus benivolè edoceri deſidero. Noverit ergo Lector, quòd meæ mentis intentio eſt, nomina Pontificum & Imperatorum Romanorum ac cæterorum ſimpliciter, ùt in Cronicis inveni, deſcribere, non ſingulorum opiniones ac diverſitates determinare. Hucusque ipſe Andreas de inſtituti ſui ratione. Quocirca eruditus Lector obſervet, in noſtra editione *circulos rubros nigrosve*, qui grave negotium typographis faceſſiſſent, nos nequaquam retinuiſſe, ſed illis, id eſt, rubris majuſculos non nihil ac diverſi generis typos & characteres, his verò minuſculos ſuffeciſſe, id quod cuivis non rudiſſimo ſatis erit ad Pontifices & Imperatores legitimos à ſpuriis ſecernendos. Jam verò ad *antiquas cronicas*, ab Andrea *exfloratas*, quod attinet, eæ ſunt *Cronica ſatis antiqua & autentica, quæ habetur*, ùt ait, *in Monaſterio Pruffning*, id eſt: Priflingenſi propè Ratisbonam, à nobis, dum illius loci bibliothecam luſtraremus, non amplius reperta: *Cronica Herimanni, quæ eſt Ratisbonæ ad S. Emmerammum*, cujus meminit ad annum Domini DXXII. quamque nos in eleganti ſeculi XII. Codice ibidem vidimus. *Cronica ad S. Emmerammum*, à priori diſtincta, cùm ex ea res anni MCCLI. Andreas narret in Friderico II. *Martyrologium Monaſteri ad S. Magnum*, quod ad annum CLXXVIII. in Eleutherio Papa citat. *Chronicon Magiſtri Conradi de Monte puellarum*, quod in pluribus Bavariæ bibliothecis manu exaratum habetur. *Chronicon Martini Poloni*, ex quo fortè prodigioſam & ſtultiſſimam Johannæ Papiſſæ fabellam exſcripſit Andreas, qui tamen in eo tradendo portento non unus eſt: *Flores temporum* &c. Etſi verò pleráque in Hiſtoria Eccleſiaſtica & civili ab Andrea commemoratata, viris eruditis aliunde cognita jam ſint, non tamen ideo nos malè mereri putamus, quòd integrum illius Chronicon in noſtra Collectione producamus. Ad id enim cum laude faciendum ſatis nobis viſum fuit, quòd non paucas in hoc Chronico rerum, temporum ac hominum circumſtantias deprehenderimus, quas alibi fruſtra quæſieris, id quod ibi maximè verum eſſe perſpicies, ubi ad perſcribendam ſuorum temporum hiſtoriam propiùs Andreas accedit. Nec in eo deſunt, quibus Hiſtoria etiam Litteraria illuſtretur. Ex pluribus unum notamus de Boëtio, cujus Libros V. *de Conſolatione Philoſophiæ de Latino in Teutonicum anno Domini MCCCCI. à Magiſtro Petro, Presbytero Profeſſo Monaſterii in Caſtello Ord. S. Bened. in Reichenbach conſtituto* translatum fuiſſe auctor eſt Andreas col. 598. Hæc translatio non videtur alia quàm quæ anno 1472. unacum Commentariis, D. Thomæ attributis, Norimbergæ in maximo folio prodiit, eſtque nunc in manibus Eruditiſſimi deque noſtris ſtudiis meritiſſimi Viri Johannis Buchelii ſeu Buchelſii, Sereniſſimo Electori Palatino Rheni à Conſiliis & Bibliotheca. Ad calcem hujus editionis iſta legimus: *Hic Liber Boëtii de Conſolatione Philoſophiæ in textu Latina Alemanicáque lingua refertus ac translatus unacum apparatu & expoſitione Beati Thomæ de Aquino Ord. Prædicatorum finit feliciter. Anno Domini MCCCCLXXIII. XXIV. menſis Julij.*

Condidit hoc civis alumnus Nurembergenſis
Opus arte ſua Antonius Coburger.

Incipit translatio Germanica: Hie hebt ſich an das puech von dem Troſt der Weißhait des Maieſters Boëcii, der auch Anicius was genant / von gar einem edelen Römer / der Anicius hieß: das alſ vil geſprochen iſt / ſam der unüberwunten / wann Er nit überwunten wart in chayner widerwertikhait &c. Primum metrum Boëtii hoc modo Germanicè verſum incipit: *Carmine qui quondam* &c. Die getícht / die ich etwen mit wuntſamen Fleiß verpracht han: ach nu wird ich betwungen / daß ich chleglich anfach laydige mas zu tichten. Wann nembt war / die Göttin der puchtichter &c. Sed hæc incidenter tantùm: ad Andreæ Chronicon Generale redeundum eſt, quod manu deſcriptum non in una bibliotheca Monſcenſi, ſed etiam in Cæſarea Vindobobonenſi & Clauſtroneoburgenſi extat. Immò illuſtris Zacharias ad Vffenbach illud tam Latinè, qualiter ab auctore conſcriptum eſt, quàm Germanica lingua ab Leonardo Hefft Ayſtettenſi, cive Ratisbonenſi circa finem ſeculi XV. donatum, in ampliſſima ſua Bibliotheca poſſidet, ùt & in

litteris

litteris ad nos datis, & in Catalogo Manuſcriptorum Codicum ſuorum typis in fol. evulgato, Parte IV. col. 153. atteſtatur.

Poſtremò advertendus eſt Lector eruditus, in eodem Monſeenſi Codice, qui Andreæ Generale Chronicon complectitur, etiam extare ingentem *Collectionem monumentorum ad Hiſtoriam Concilii Conſtantienſis pertinentium*, quam idem Andreas non ſine incredibili labore undique congregavit. Faciem & œconomiam univerſi Operis ex ejus Præfatione perſpectam habebis, quæ hujusmodi eſt: *Quoniam largiente Domino Cronica Summorum Pontificum & Romanorum Imperatorum à Nativitate Chriſti noſtri Salvatoris usque ad tempora Martini Papæ V. & Sigismundi Regis Romanorum ſecundùm ingenii mei parvitatem perduxi: Opus ſubſequens, videlicet Concilium Conſtantienſe, quod principaliter ſcribere propoſui, quod etiam ad ſcribendum ipſam Cronicam quodammodo me movit, ut ad poſterorum notitiam perveniret, & ut filii, qui naſcentur & exurgent, narrent geſta in eo filiis ſuis, Domino præſtante, aggreſſurus hoc ipſum Opus divido in ſeptem partes. In Prima ponuntur Epiſtolæ ſive litteræ diverſorum non tantùm tunc contemporaneorum, ſed etiam quorundam prædeceſſorum & anteceſſorum. In ſecunda ponitur Concilium Piſanum. In tertia quædam Aviſamenta. In quarta Acta Concilii Conſtantienſis. In quinta Sermones. In ſexta quidam Tractatus facti in Concilio. In ſeptima quædam ſupplementa. In quibus omnibus debitum ordinem per ſingula ſecundùm res geſtas ſervare non potui, eò quòd ſecundùm temporis exigentiam, quando hæc habere potui, apud diverſos collegi. Quapropter ordinem formalem, prout ipſum Concilium Conſtantienſe celebratum eſt, ſapientibus, qui interſuerunt ipſi Concilio, ſcribendo recommendo. Ego enim horum, ſecundùm quod plures plura, vel diverſi diverſa ſcripſerunt, tantùm pictor ſum.* Hic Prologus Andreæ in Collectionem ſuam, cujus monumenta ſingula inedita diligenter ac minutè ſupra laudatus Zacharias ab Vffenbach Bibliothecæ ſuæ Parte IV. à col. 46. enumerat. Nobis de Andrea, non *Monacho*, ùt quidam ſcribunt, ſed *Canonico Regulari* Ratisbonenſi alibi ſermo redibit.

V. *Pius II. Pontifex Maximus, natione Tuſcus, patria Senenſis, gente Picolominea, ſedit annos VI. Brevis Pontificatus ingens fuit gloria. Conventum Chriſtianorum Mantuæ pro fide habuit. Impugnatoribus Romanæ Sedis intra atque extra Italiam reſtitit. Catharinam Senenſem inter Sanctas Chriſti retulit. Pragmaticam in Gallia abrogavit. Ferdinandum Aragoniæ in regnum Siciliæ cis fretum reſtituit. Rem Eccleſiæ auxit. Fodinas inventi tum primùm aluminis apud Tolſam inſtituit: cultor juſtitiæ & religionis, admirabilis eloquio. Vadens in bellum, quod Turcis indixerat, Anconæ deceſſit, ubi & claſſem paratam, & Ducem Venetorum cum ſuo Senatu Commilitones Chriſti habuit. Relatus in Urbem eſt Patrum decreto, & hìc conditus, ubi caput Andreæ Apoſtoli ad ſe ex Peloponeſo advectum collocari juſſit. Vixit annis* 58. *menſ.* 9. *dies* 27. Hucusque Æneæ Sylvii, poſtea Pii II. Pont. Max. Epitaphium, à Franciſco Cardinali Senenſi avunculo Sanctiſſimo poſitum, relatum à Ludovico Jacobo à S. Carolo in Bibliothecæ Pontificiæ Lib. I. pag. 191. ubi etiam diffuſus Operum Pii II. Catalogus extat, cui poſt ea, quæ eruditiſſimus Antonius Muratorius Tom. II. Anecdotorum Ambroſianorum à pag. 183. annotavit, nihil poſſe ſuperaddi videbatur. Verùm latuit omnes inſignis hic & eruditiſſimus Æneæ *Pentalogus de Rebus Eccleſiæ & Imperii*, olim ab auctore in duos libellos tributus, ſed in Codice Sanct-Emmerammenſi, quo uno nobis uti licuit, ſine ulla certa diviſionis nota, perpetua ſerie decurrens. Hos autem *duos*, ùt ipſe Sylvius in Præfatione ait, *admodum parvos Libellos edidit, quos veluti columbas duas regiæ Majeſtati dono transmitteret, ut quemadmodum Veneres illæ errabundum in ſylvis Æneam ad aureum Proſerpinæ ramum, ſicuti Maro fingit, monſtrantes viam perduxerunt: ſic & hæ ſuæ occupatum ac penè ſtudium Regis* (Friderici III.) *animum, & quaſi quibusdam cogitationum ſylvis impeditum, ad pacandam Eccleſiam, petendámque ſuam Italiam dirigant, & ad veram ſibi virtutem iter oſtendant, quod ramo aureo longè eſt præſtabilius.* Cæterùm Politicarum rerum peritis judicandum relinquo, quouſque Æneæ conſilia, in hoc Opuſculo audiente Friderico III. à celeberrimis ejus Conſiliorum Adminiſtris agitata, valere illis quidem temporibus potuerint. Id enim curioſiùs exquirere nec noſtri inſtituti nec voluntatis eſt. De interlocutoribus potiùs, quos in Pentalogo ſuo loqui facit Æneas, quæ-

ÆNEÆ SYLVII POSTEA PII II PENTALOGUS à col. 637.

Digitized by Google

dam litteraria in medium proferamus. *Nicodemus* Epiſcopus Friſingenſis, cujus maxima apud Fridericum III. auctoritas fuit, is ipſe eſt, cui Vitus Arnpeckius, Presbyter Landshutanus Chronicon Bajoariæ, à nobis Tom. III. Parte III. editum inſcripſit. Sylveſter Chiemenſis Epiſcopus, Præſul, ſingulari pietate præditus fuit. Ei Stephanus Præpoſitus Monaſterii ad S. Dorotheam Viennæ Ord. Can. Reg. S. Aug. Tractatum dicavit *de Quatuor Noviſſimis*, in cujus Præfatione quia extraordinarium quidpiam de Sylveſtro memoratur, eam integram hìc juvat exhibere. Sic autem habet : *Reverendo in Chriſto Patri & Domino ſuo gratioſiſſimo, Domino Silveſtro, Chimenſis Eccleſiæ Præſuli digniſſimo Frater N. Monaſterii S. Dorotheæ virginis Wiennæ profeſſus, Capellanorum ſuorum minimus, obedientiam tam debitam quàm devotam cum optamine ſalutis hominis utriùſque. Cùm in præfato Monaſterio indignus ego Prioratus officio fungerer, & vice quadam veneranda Paternitas veſtra noſtrum ſua viſitatione dignantiſſima honoráſſet, ſimúlque refectione copioſiſſima fuiſſet conſolata Conventum, inter cætera ſalutis verba inter nos habita pro ſpiritus inedia depellenda, agnovi rem memoria & imitatione digniſſimam, quomodo videlicet Paternitas veſtra verba illa ſaluberrima Eccleſiaſtici VII. deſcripta :* Memorare noviſſima tua *&c. tam intimo cordis complectatur affectu, tamq; jugi memoria teneat, quòd ea in ſuo ſigneto ſculpta & in ſuis argentariis habeat expreſſa. Qua in re tantùm ædificatus ſum, tantóque veſtræ gratiæ junctus affectu, ut ſæpius animo volverem, ſi quid eidem gratum offerre valerem. Verùm cùm me de illorum profeſſione fore viderem, in quorum perſona dicit B. Petrus Actuum III. argentum & aurum non eſt mihi &c. & quod offerrem, exterius non haberem, ne in conſpectu veſtro vacuus apparerem, de Quatuor Noviſſimis juxta præmiſſam Sapientis ſententiam in omnibus noſtris operibus memorandis, aliqua pauca ex diverſis Sanctorum atque Doctorum ſcriptis in unum compendium collecta, veſtræ Paternitati devotus offero, veſtræq; prudentiæ & diſcretioni examinanda atque corrigenda committo, non quòd veſtra Paternitas meliora non habeat, ſed pauperum more, qui cùm dominos ſuos placare, aut eisdem placere appetunt, licèt dominos ſuos melioribus ac pretioſioribus abundare non ambigant, eis tamen pro ſua devotione ac ſubjectione demonſtranda manipulum florum aut poma pauca vel fructus alios modicæ reputationis apportant.* Opus hoc integrum extat in Codicibus coævis Bibliothecæ Sanct Dorotheanæ ac Mariæ-Cellenſis in Auſtria. *Caſpar Slickius*, Friderici III. Cancellarius non ſolùm rerum publicè gerendarum dexteritate ſed etiam eloquentia clariſſimus fuit. Habemus in eodem Emmerammenſi Codice, unde Silvii Pentalogum exprompſimus, plures Slickii ad ſummos ætate ſua Viros Epiſtolas, quas in loco, ſi Deus vitam indulſerit, proferemus.

ERMANRICI DIALOGUS DE VITA B. HARIOLFI &c. à col. 745.

VI. Opuſculum Ermanrici, ex Monacho Abbatis Elvvangenſis, merito plures alios hujus Partis Libellos præcedere debuiſſet, utpote cujus auctor Rudolphi, celebris illius Fuldenſis Cœnobitæ diſcipulus ante medium ſeculum IX. jam floruerit. Verùm non priùs id ad nos pervenit unacum Chronico Elvvangenſi, quod utrumque debemus Viro Clariſſimo & Eccleſiaſticarum Antiquitatum ſtudioſiſſimo, A. R. D. P. Magno Ster, Incliti Monaſterii Neresheimenſis Bibliothecario, qui Reverendiſſimi ac Perilluſtris Domini Abbatis ſui hortatu & favore nullo non modo noſtram Collectionem augere ac illuſtrare in animum induxit. Porro Ermanricum ſcripſiſſe *Dialogum de Vita & Miraculis S. Hariolphi Abbatis primi Elvvangenſis* jam dudum Poſſevinus, & ex eo Bollandiani monuerunt Tom. II. Jan. pag. 56. & 74. ubi etiam ſe illum in lucem evulgaturos promittunt. Ut adeo mirum ſit, cur recentiores Bibliothecarii Eccleſiaſtici, Caveum puto, Olearium, Oudinum &c. nullam penitus hujus Opuſculi inter Ermanrici commentationes mentionem faciant. Extat id manu ſeculi XV. exaratum etiam in Codice chartaceo Tegernſeenſi, & item in Codice B. Mariæ Virginis ad Scotos Viennæ, recentiſſimis tamen temporibus deſcripto. Præter Dialogum de Vita S. Hariolphi ſcripſit etiam Ermanricus *Vitam S. Solæ ſeu Soli* Monachi, editam ab Henrico Caniſio & Mabillonio Parte II. Sec. III. Benedictini pag. 429. in qua tamen utraque editione nonnulla deſunt, quæ hìc ex quodam Codice Tegernſeenſi ſeptingentorum annorum ſupplebimus. Itaque poſt Epiſtolam Gundramni ad Ermanricum, quæ in editis Vitæ S. Solæ præmittitur, hæc Ermanrici ad Gundramnum reſponſio ſubjungenda eſt :

Dile-

Digitized by Google

Dilectiſſimo in Chriſto Gundrammo, eximii miniſterii, Ermanricus Conlevita tuus, indignus licet, devotus tamen in Domino.

Dum ubique urbanitate ac munimento Divinorum eloquiorum comptus, nec non & in coturno ſublimis habearis, & dum latè ſeges Doctorum pene ad maturitatem ſit, ita ut ubicunque Grammatici ac Philoſophi Eccleſia in ſancta ymnidicos reſonent modos: miror multùm, cur hos omnes, qui benè ſcioli ac tibi ſunt in his notuli, prætereundo Metenis perveneras, petens, & ſacramentis obſtans * *ceu minimam ac infirmam paleam granum quoddam ad boni odoris paſtum eliminare. Quod ita arduum ſenſui meo videtur, quantùm ad tale opus minus à cernentibus judicor. Sed ad hæc ne obſiſterem, intuliſti illud Socraticum: Apis, inquiens, quod nequit viribus, conatur ingenio. Item cernis, quòd fert formica ſolliculum ſibimet permaximum, ac per id ſtatura non deſpicitur, cùm magnitudo oneris deportetur, licet leve ſit, quod velle conſtat. Hæc ita fore res divulgent. Sed tamen, ùt Catholica fides tenet, noſtrum eſt velle, & Dei omne bonum cæptum perficere, dum nec concipi quid boni poteſt eo non incipiente, neque perfici, niſi ille aſſit perficiens, qui & ordiens. Quapropter ſummis precibus ad auxilium noſtrum eſt ille petendus, qui propter nos dignatus eſt deſcendere in terram ùt ſummum granum & æternum, ùt fructiſerum, ita ut peracta reſurrectione ſua ſeges innumerabilis credentium Orthodoxorum increverit, amenque & Deogratias ubique dicatur. Inde & deſcendit illud purum granum, odorem bonorum operum Deo & hominibus undique ſpargens Solus, vulgariter Sualo cognominatus, ex diſcipulatu S. Bonifacii Monachus ſactus, cujus tu modo & tugurium poſſides, & vitam deſcribere me non ſolùm poſcis, ſed & obnoxius* * *angis, quod me tunc facere velle cum Dei amminiculo profiteor, ſi Venerabilem Abbatem, Domnum Abbatem Rabanum, tuum patruum, licentiam ſcribendi petieris, vel potiùs, ſi permagni laboris non eſſet, ipſe dignaretur tanti viri ſigna annotare, vel ſi hoc ob nimiam ejus occupationem fieri nequeat, Ruodolfo in omni arte ex ejus doctrina peritiſſimo, ſalvo Domini Abbatis privilegio identidem jubeat. Ad ultimum, ſit ſaltim tuæ mentis ſit id agere, & hoc ſacias me prænoſcere, opto me tecum in Chriſto ubique benè valere.* Tum ſequitur illico in eodem Codice

Oratio & Metrum bipedale Ermanrichi ad Ruodolfum.

Verſus ab immo
Ordiar ergo:
Corde ſupernis
Jungere Sanctis
Concupiendo,
Quatenus iſtic
Facta beatum
Lætificent me, &
Semper in ævo
Gaudia longa
Curre. * *Ideóque*
Muſa celebris
Nolo pigreſcas,
Nolo deſiſtas,
Quin benè cantes.
O bone Chriſte
Mitis & alme,
Rector & auctor,
Quidquid in Orbe
Eſt benè cretum.
Tetenus vernant
Omnia recta,
Incipiúntque
Te ex, finiuntq́
Omnia tecum.

Tu mihi labrum
Rore ſuperno
Tangas ab alto,
Carmina cælo
Ut pia pangam.
En Ruadolſe
Doctor amande,
Te peto ſcribens,
Corrigas unca
Verba benignus,
Et plana firma,
Nec deme vera,
Quatenus iſta
Littera fuſca
Reddat habenda.
Nam neque Solus
Ceſſat orando,
Quin foveat nos
Hic, & in ævum
Remunerando,
Cujus erunt hìc
Geſta notata.
Prima * *proplema*
Adtenus acta
Suſcipe nauta.

* Ita Cod.

* Sic Cod. forte obnixiùs

* Ita ubique Cod.

Carmen Ermanrici excipit Epiſtola ejusdem ad Rudolfum, qualis à Caniſio & Mabillonio excuſa fuit. Quæ verò ex Codice Tegernſeenſi obſervavimus, iis haud dubiè uſui erunt, qui Vitam S. Soli aliquando recudendam curabunt.

CHRONICON ELWANGENSE à col. 757.

VII. Diu jam eſt, quòd *Chronicon Elvvangenſis Monaſterii exceptum per D. Matthæum Mareſchallum* Marquardus Freherus Tomo I. Scriptorum Rerum Germanicarum ediderit. Sed cùm id non tam Chronicon Elvvangenſe quàm ejus Epitome, eàque non uno loco perquam turbata, hiulca & perplexa eſſet, optârunt illico eruditi viri, ut integrum tandem ac ſine lacunis Opus in publicum evulgaretur. Quocirca nemo non ſingulari nomine ſupra laudato Cl. P. Magno Ster, Bibliothecario Neresheimenſi deinceps obſtrictus erit, cujus egregio & indefeſſo ſtudio ea eruditorum vota feliciter expleta ſunt. Eruit is hoc nobile Hiſtoriæ Germanicæ ac præcipuè Suevicæ monumentum ex Codice membraneo, ſeculo tamen XV. non antiquiore, Eccleſiæ Elvvangenſis ſeu Elvvacenſis, de qua plura vide apud erudititiſſimum Struvium in nova Freherianæ Collectionis editione, quam Argentorati anno 1717. procuravit. In hac editione Chronicon Elvvangenſe cum anno Domini MCCCCLXXVII. terminatur. Aſt Codex Elvvangenſis, ex quo ecgraphon ſuum Cl. Magnus mecum communicavit, ultra annum MCCCCLXXIII. nequaquam progreditur, ut adeo ſciri non poſſit, an noſtro, an alio Codice uſus fuerit Mareſchallus in concinnanda ſua Epitome, aut unde illam ſuam mantiſſam quatuor annorum acceperit. Porro Chronicon hoc Elvvacenſe magnam partem ex Chronico Monaſterii Neresheimenſis Ord. S. Ben. deſumptum eſſe, ex hujus editione conſtabit, quam nos in ſequenti volumine adornaturos adpromittimus. Adjeciſſemus id Chronico Elvvacenſi jam nunc unacum inſigni Codice Diplomatico Neresheimenſi, ab eodem Cl. Viro confecto, niſi hæc illuſtria monumenta non nihil ſeriùs ad manus noſtras perveniſſent. Atque hæc hactenus in tertiam noſtri Quarti voluminis partem, quam minùs amplam ſtipatamque eſſe nemo jure queretur. Idem ut in ſequentibus voluminibus, quoad licuerit, fiat, nullam non operam dabimus, efficiemusque, ut, quemadmodum imperitorum judiciis nihil, ita Eruditorum ac doctorum virorum votis plurimum detuliſſe meritò videri poſſimus.

THE-

Digitized by Google

THESAURI ANECDOTORUM NOVISSIMI

TOMI IV.

PARS I.

Digitized by Google

Digitized by Google

REMIGII AUTISSIODORENSIS Ord. S. Bened.

COMMENTARIUS IN GENESIM,

Erutus ex MS. Cod. Inclyti Monaſterii Garſtenſis Ord. S. Ben. in Auſtria à P. Bernardo Pez, collato cum Codice Tegernſeenſi ab Adm. R. D. P. Adalberto Düſtl ejusdem loci Aſceta Benedictino.

Digitized by Google

In Dei Nomine.

INCIPIT EXPOSITIO REMIGII SUPER BRESITH, ID EST: SUPER GENESIM.

D*Eſiderius* vocabatur Epiſcopus quidam familiaris & amicus beati Hieronymi, ad quem ſcribit hanc Præfationem.

Præfatio Latinè, *Prologus* vel *Proœmium* Græcè dicitur, id eſt: breviatio. *Imen* Græcè, Latinè dicitur *via.*

Præſagio, id eſt: prædivinatione vel ſigno futurorum.

Sortitus eſt nomen cum Daniele, qui & ipſe *vir deſideriorum* appellatus eſt: & ſicut ille deſiderabat præſcire futura: ſic iſte deſiderabat notitiam habere Scripturarum.

Pentatevchum. Penta quinque, *tevchum*, id eſt: quinque libros Moyſi.

Obtrectatorum, id eſt: invidorum.

Sugillatione, id eſt: reprehenſione. Tunc enim omnes LXX. legebant, & magna veneratione ſuſcipiebant.

Nova pro veteribus cudere, id eſt: Hebraicam veritatem pro veteribus, id eſt: LXX. Interpretibus.

Ita ingenium quaſi vinum probantes. Sicut enim vinum probatur nare vel guſtu: ſic illi probabant ingenium, cùm dicebant Hieronymum in reprehenſione LXX. hoc facere.

Portione, id eſt: pro vili.

Pro paupertate mea. In alia enim Præfatione dicit, quòd in tabernaculo Dei alii offerrent aurum, lapides Onychinos, byſſum, coccum & purpuram: ſibi verò ſufficere, ſi ſaltim pilos caprarum offerret. Hanc dicit vilem portionem humiliando ſe, cùm tamen ipſe magna offerret in tabernaculo Dei, hoc eſt: in Eccleſia.

Editioni antiquæ, id eſt: translationi LXX.

Theodocio Judæus fuit, qui tranſtu- A. lit Divinas Scripturas, ſed in multis erravit judaizans. Illius translationem Origenes immmiſcuit translationi LXX.

Proprium ſyntagma, id eſt: compoſitionem.

Si, inquit, *omnia colligerem, quæ in Evangeliis vel Epiſtolis inveniuntur, & quæ ſunt in LXX. proprium librum poſſem conficere. Multi ignorantes hæc in Hebraica ſcripta non eſſe veritate ſe-* B. *ctantur deliramenta apocryphorum. Apocryphon* dicunt Græci ſecretum. Inde apocryphi dicuntur libri, qui nullam habent auctoritatem & non ſunt in publico legendi. In aprocrypharius Legatus ſecretorum. *Deliramenta*, id eſt: vanitates, vel inſanias & ineptias. Lyra quippe ſulcus dicitur aratri. Hinc delirare dicuntur boves, cùm exorbitant. Inde dicimus deliros homines inſanos, exorbitantes à ratione & ſenſu.

C. *Hiberas Nænias*, id eſt: Hiſpanicas vanitates. Propriè *næniæ* ſunt, quæ ſuper tumulos mortuorum ſcribuntur, quibus nihil vanius.

Libris authenticis, id eſt: auctoritate plenis.

Ptolomæus Rex Ægypti. Hic unius Dei cultor extiterat edoctus ab Ariſtæo Philoſopho Platonico. Dicunt ergo Judæi, ideo LXX. tacuiſſe myſterium Sanctæ Trinitatis, ne Ptolomæus, qui unius D. Dei cultor erat, deprehenderet Divinitatem Patris & Filii: & ideo non errando, *ſed prudenti conſilio hoc fecerunt.*

Neſcio, quis primus auctor conſtruxerit mendacio ſuo cellulas Alexandriæ. Alexandria metropolis eſt Ægypti. Refert autem Joſephus, quòd Ptolomæus rex miſerit nuntios cum magnis muneribus ad Sacerdotem Judæorum, & rogaverit

gaverit eum, ut libros Divinarum Scripturarum faceret transferri de Hebræo in Græcum, quia ipſe Græcus erat, & Hebræam linguam ignorabat. Tunc ille miſit ei LXX. viros peritiſſimos. Qui venientes Alexandriam in una baſilica congregati tranſtulerunt Scripturas de Hebræo in Græcum, conferentes ad invicem. Sed illi, qui LXX. nimiùm venerabantur, confinxerunt, per ſingulas cellas diviſos fuiſſe, & Spiritu Sancto dictante eadem ſcriptitâſſe.

* ita Cod. ΥΠερισтεс *, id eſt: protector fidelis, qui protegebat Ptolomæum ſapientiæ ſuæ ſcuto.

Niſi fortè putandus eſt Tullius Oeconomicum, id eſt: diſpenſatorium, quia œconomos dicitur diſpenſator: quem librum tranſtulit Tullius de Græco in Latinum, non tamen prophetavit, quia interpres, non vates fuit.

* Protagoram. *Platonis Pythagoram* *. Plato ſcripſit librum, quem Pythagoram appellavit, quia ad Pythagoram Philoſophum & amicum ſuum ſcripſit. Hunc tranſtulit ſimiliter Tullius.

* *ambo Cod.* Protheſifontem. *Et Demoſtenis pro Cteſiphonte* *.

A. Demoſtenes Græcus Rhetor fuit, qui ſcripſit librum pro Cteſiphonte *, eò quòd ante * Cteſiphontem eum ſcripſerit. * *Iid.* Protheſifontem. * *Iid.* ante Protheſifontem.

Hiſtoria. Hiſtoria dicitur *apo tu hiſtorin*, id eſt: à videndo. Diſtat inter hiſtorias & Annales: quia hiſtoriæ ſunt earum rerum, quas videmus vel videre poſſumus: annales verò earum, quas non videmus.

Inter ſpiritalia charismata, id eſt: dona vel gratiam Spiritus Sancti.

In Apoſtolo, videlicet Paulo, ubi commemorat dona Spiritus dicens: *quos-*
B. *dam quidem dicit Apoſtolos, alios Prophetas &c.* In quibus charismatibus ultimum penè gradum interpretes tenuerunt: & hoc in ejusdem Pauli Apoſtoli Epiſtola reperitur, ubi dicit: *alii datur ſermo per ſpiritum ſapientiæ &c.* usque dum concludit dicens: *alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.*

Et emendatiora ſunt exemplaria Latina quàm Græca, Græca quàm Hebræa. Unaquæque enim * res, quò frequentiùs transfertur, eò firmiùs emendabitur. * *In Cod. Garſt. deeſt* enim.

INCIPIT TEXTUS BRESITH *.

* *Hic titulus ibidem deſideratur.*

Cap. I.

℣. I. *In principio creavit Deus cœlum & terram.*

AUctor hujus operis, ſicut Sancti Doctores tradunt, cognoſcitur fuiſſe Moyſes, qui per revelationem Dei Mundi creationem cognovit, qui tamen more Scripturæ de ſe quaſi de alio loquitur. In principio hujus voluminis Philoſophi confutantur, qui de Mundi creatione conati diſputare, ſicut Plato, qui tria dixit eſſe principia, Deum videlicet, exemplar & materiam, & Deum non quaſi auctorem ex nihilo cuncta creâſſe, ſed quaſi opifici in rebus creandis materiam adjutorium præſtitiſſe. Ariſtoteles autem duo dixit eſſe principia, materiam ſcilicet & ſpeciem, tertium quiddam neſcio quid volens dicere operatorium appellavit. Quorum erroribus obvians Moyſes, utpote à Deo electus veritatem dicitur demonſtrâſſe, oſtendens Deum cuncta ſimul ex nihilo formâſſe, non quidem in tempore, ſed in initio temporis

C. dicens: *in principio* & ſubauditur: *temporis*, patet procul dubio tunc tempus cœpiſſe, quod antea minimè erat.

Creavit enim *cœlum & terram.* Cœlum non iſtud viſibile firmamentum accipere debemus, ſed illud empyreum, id eſt: igneum, vel intellectuale cœlum, quod non ab ardore, ſed à ſplendore igneum dicitur, quod ſtatim repletum eſt Angelicis Spiritibus, de quibus in Job dicitur: *cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.* *Job. XXXVIII. 7.*
Et nota tria hìc elementa commemorari.
D. Nomine enim cœli aërem collige, nomine terræ ipſam terram, & ignem, qui in ejus viſceribus latet. Quarti verò elementi, id eſt: aquæ in ſequentibus fit commemoratio.

Terra autem inanis & vacua. ℣. II.

Id eſt: inutilis, infructoſa & incompoſita. Omnia enim elementa commixta erant & confuſa, & totum hoc aëris ſpatium, quod eſt à terra usque ad cœlum, plenum erat aquis, quæ tamen

non erant ejuſmodi qualitatis, cujus nunc A. ſunt, ſed in modum nubium tenues, quam qualitatem adhuc illæ ſupercœleſtes aquæ retinent.

Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.

Sicut mens vel ſapientia alicujus artificis ſuperfertur operi, quod facturus eſt, ut, quomodo vult, ita illud faciat: ita & Spiritus Sanctus ſuperferebatur præordinans & quaſi diſponens, quid, qualiter facere vellet.

℣. III.

Dixit Deus.

Non voce carnea, nec motu labiorum, ſed *dixit*, id eſt: voluit. Velle B. enim ejus dicere eſt. Unde ſcriptum eſt: *dixit, & facta ſunt.* (Pſal. CXLVIII. 5.) Vel etiam *dixit*, id eſt: Filium genuit, per quem omnia facta ſunt.

Fiat lux. Lux dicitur à luendo, id eſt: à purgando tenebras. Lux autem illa non ejuſmodi erat, quæ nunc eſt Sole ſuperpoſito, ſed qualis eſſe ſolet vel ante Solis ortum, vel poſt ejus occubitum.

℣. IV.

Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona:

Non quod tunc primò viderit, in cujus præſentia ſemper hoc fuit, ſed *vidit*, C. id eſt: à nobis videri voluit lucem eſſe bonam.

Et diviſit lucem à tenebris.

Tenebræ à tenendo dictæ ſunt, quia tenent oculos, ne videant. Utrumque autem fecit Deus & lucem & tenebras, ſcilicet ut in luce operarentur homines, & in nocte requieſcerent. Ergo & tenebræ opus Dei ſunt. Unde in Hymno trium puerorum, in quo omnis creatura ad benedicendum Deum invitatur, etiam tenebræ cum luce ponuntur.

Allegoricè quòd dictum eſt: *in principio fecit Deus cœlum & terram*, D. nomine principii Filium Dei non incongruè poſſumus accipere, ſicut ipſe de ſe Judæis dixit: *ego principium, qui & loquor vobis.* (Joh. VIII. 25.) Deus enim Pater principium eſt ſed non de principio, quia à Patre non factus nec creatus, ſed genitus eſt: per quod principium Deus Pater cœlum & terram creavit, id eſt: cœleſtes & terrenos. Per cœlum enim cœleſtes ſive cœleſtem vitam ducentes: per terram verò terrenis negotiis inhiantes ſignantur. Qui utrique per principium creati ſunt, quia nato Jeſu Chriſto patuit, qui eſſent cœleſtes, quique terreni.

Terra verò erat inanis & vacua.

Id eſt: corpus humanum inane à meditatione cœleſti, vacuum à fructu bonæ operationis.

Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.

Quia infidelitatis tenebræ & ignorantiæ abyſſum humani cordis operiebant.

Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.

Quia Divina præſcientia ſuper fluida & infructuoſa corda hominum ferebatur prævidens & diſponens, quorum corda dignè poſſet inhabitare.

Fiat lux.

Lux vocabulo fides accipitur. Benè ergo lux prima die facta eſt, quia primo mandato legis fides commendatur, cùm dicitur: audi Iſraël, Dominus Deus tuus Deus unus eſt.

Factum eſt veſpere & mane dies unus. ℣. V.

Per *mane* initium fidei: per *veſperam* verò perfectio bonæ operations intelligitur. Cujus diei mane in veſperam deducitur, cùm initium fidei completione bonæ operationis perficitur.

Fiat firmamentum in medio aquarum. ℣. VI.

Quo ſcilicet firmamento aquæ ſuperiores diviſæ ſunt ab aquis inferioribus: & illa pars ſuperior in modum cryſtallini lapidis congelata eſt, cætera verò inferior in mare redacta eſt. Et hoc quidem ſecunda die actum eſt, cujus diei opera minimè *bona* eſſe dicuntur, ſicut cæterorum dierum, ubi dicitur: *vidit Deus, quòd eſſet bonum*, non ideo, quòd bonum non ſit, quod factum eſt, & pulchrum, ſed propter binarium numerum, qui eſt transgreſſio unitatis & malam habet ſignificationem. Unde & eum Sancti Patres diſcordiæ dedicaverunt. Ipſe etiam bigamiam ſignificat. In ejus etiam ſignificatione bina animalia de inmundis miſſa ſunt in arcam.

Germinet

ỳ. XI. *Germinet terra herbam viren-tem & lignum pomiferum.*

Omnia perfecta à Deo cognita ſunt. Unde homo in perfecta ætate creatus eſt, & arbores cum foliis ſuis ſimul & fructu. Hinc & lignum pomiferum dicit *habens unumquodque ſementem.* Hæc ſementis eſt frugum & arborum: Semen verò hominum & animalium ſeminium, vel ſementum exordium cujuſcunque rei.

ỳ. XIV. *Fiant luminaria in firmamento cœli.*

Luminaria Solem & Lunam & cæteras ſtellas accipimus. Verùm ſol & luna B. & ſeptem Planetæ non ſunt in firmamento poſitæ, ſed in æthere pendent: ideo in firmamento poſitæ dicuntur.

Et dividant diem ac noctem.

Sol diei præeſt: Luna nocti.

Sint in ſigna.

Hoc vel propter terminum Paſchalem dicitur, quia Luna ſignum eſt Paſchalis termini, qui non niſi poſt XIVam Lunam celebratur: vel quia ſydera ſigna ſunt navigantibus per mare, vel iter agentibus per Libyam, ubi veſtigium itineris ad motum venti diſſipatur. Luna C. apud Hebræos tribus nominibus nuncupatur, Lare, Lavana, Mavors. *Lara* vocatur à numero dierum menſis: *Lavana* à candiditate: *Mavors* à defectu, quia deficit ſingulis menſibus.

ỳ. XX. & XXI. *Reptile animæ viventis.*

Reptilia piſces hoc loco accipe. *Mutabilem * animam* dicit animalium ad comparationem hominis. Quia licèt mortalis ſit homo ad comparationem Dei, tamen immortalis eſt ad comparationem cæterorum animalium, qua parte imaginem Dei retinet.

* *Vulg.* motabilem an.

ỳ. XXVI. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.*

Cùm cætera jubendo fecerit, quaſi maximam rem facturus Deus & cunctis, quæ fecerat, præferendam quaſi quodam concilio dicit: *faciamus.* Quod licèt quidam ad Angelos referendum dicant, meliùs tamen ad Sanctam Trinitatem refertur.

A. *Ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.* ỳ. XXVII.

Imago dicta quaſi imitago. Diſtat inter imaginem & ſimilitudinem. Imago eſt in ratione & in immortalitate: ſimilitudo verò in morum ſanctitate & juſtificatione. Similitudinem itaque peccando perdidit: imaginem non amiſit. Nec audiendi ſunt, qui dicunt, hominem in corpore Dei imaginem habere. Hanc enim potiùs cum animalibus communem habemus: quia quomodo ea quinque ſenſus corporis habent, ita & nos. In anima quippe imaginem Dei habemus. Quod Deus in majori Mundo, hoc anima in corpore noſtro operatur. Unde & Microcoſmos Græcè vocatur, id eſt: minor Mundus. Deus enim extra Mundum poſitus non excluditur, intra Mundum includitur, & præſidendo ſuſtentat, & ſuſtentando præſidet, & circumdando implet, & implendo circumdat. Sic & anima nec extra corpus poſita excluditur à corpore, nec intra corpus includitur, ſed ubique tota, ubique integra.

Maſculum & fœminam.

Non utrique uno tempore facti ſunt per ſpeciem, ſed in præſentia Dei cuncta ſimul facta eſſe dicuntur. Unde eſt illud: *qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* Eccli. XVIII. 1.

Myſticè firmamentum ſanctam ſignificat ſcripturam, ſicut in ejus ſignificatione in Apocalypſi dicitur: *& cœlum receſſit ſicut liber involutus*: aquæ multæ populi ſunt. Tunc ergo firmamentum in medio aquarum factum eſt, quando Scriptura Divina populis innotuit. Aquæ quidem ſuper firmamentum ſignificant Angelicas catervas, quæ bene ſuper D. firmamentum eſſe dicuntur, quia Deum ſemper præ oculis habentes non indigent legali inſtitutione, neque Evangelicis præceptis. Quæ verò ſub firmamento ſunt aquæ, homines ſignificant, qui Divinis edocentur præceptis, ſine quibus ad cœleſte regnum pervenire nequeunt. Apoc. VI. 14.

Tertia die congregatæ ſunt aquæ in locum unum, & apparuit arida. Per aridam ſignificantur corda electorum ſitientia aquam Baptiſmatis & fontem doctrinæ cœleſtis. Collectis ergo aquis in unum, id eſt: reprobis ſeparatis à juſtis apparue-

Digitized by Google

apparuerunt ſancti diviſi ab amaritudine infidelitatis & in concuſſa fidei firmitate roborati.

Quarta die facta ſunt luminaria in firmamento. Per firmamentum, ſicut diximus, ſacra Scriptura non inconvenienter accipitur, per luminaria verò Evangeliſtas, Doctores, & Prædicatores intelligimus, qui illuminati Spiritus Sancti gratia alios ad lucem fidei ſua prædicatione convertunt. Qualibus per *Petrum * dicitur: *in medio nationis pravæ & perverſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in Mundo verbum vitæ continentes.* Benè autem luminaria in firmamento poſita vel conſtituta, ut illi ſemper inhæreant: quia Doctores debent contemplari & cohærere ſacroſanctæ Scripturæ. Quod aptè præfigurabant vectes illi, qui in quatuor arcæ circulis poſiti nunquam inde abſtrahebantur. Per quatuor quippe circulos totidem Evangeliorum volumina præfigurantur: per vectes Doctores, in quorum cordibus portatur arca, id eſt: lex Divina. Nunquam ergo vectes à circulis arcæ auferebantur: quia prædicatores doctores nunquam habere debent vacuam meditationem legis Dei.

*Paulum

Philip. II. 15. 16.

Exod. XXXV.

Quinta die produxerunt aquæ reptile animæ viventis. Per hæc animalia, quæ ex aquis ſunt formata & vivunt in aquis, ſignatur ordo baptizatorum, qui velut piſces ſine aquis baptiſmatis Chriſti vivere nequeunt. *Volatile* nihilominus typum retinet Sanctorum, qui penna virtutum & contemplationis ad cœleſtia feſtinare contendunt.

Per jumenta, quæ ſexta die creata ſunt, Doctores ac quilibet Eccleſiaſtici viri exprimuntur, qui minùs valentes adjumento ſuæ prædicationis in fidei firmitate corroborant. *Beſtiæ* verò præſignant potentes vel ſuperbos, qui more beſtiarum in quoſcunque ſuæ crudelitatis ſævitiam exhibent. Per *ſerpentes*, qui hoc in loco in bonum accipiuntur, Sancti deſignantur prudentes & aſtuti, caventes dolos diaboli, quibus Dominus dicit: *eſtote prudentes ſicut ſerpentes.*

Matth. X. 16.

Hac ipſa die factus eſt homo, id eſt: Chriſtus per Virginem natus eſt ſecundus Adam, qui primi hominis peccata tolleret.

A. Poſſunt tamen hæc ſex dierum opera ad totidem ſæculi ætates referri. Prima itaque die fecit Deus lucem. Hac ipſa ætate creavit hominem rationabilem ad ſimilitudinem ſuam. Quaſi enim homo lux vocatur ad comparationem animalium inrationabilium, de quo dicitur: *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Diviſit lucem à tenebris in hac die: quia hac ætate filii Dei, id eſt: filii Seth ſeparati ſunt ab impia generatione Cain, cujus veſpera fuit multiplicata iniquitas hominum, ideo ut induceret Deus diluvium.

Joh. I. 9.

B. Secunda die factum eſt firmamentum: quia hac ætate arca in diluvio enatavit, & omni genere hominum damnato ſolæ octo animæ in ea ſalvatæ ſunt: cujus veſpera ſuperba fuit præſumptio, quia homines voluerunt ædificare turrim, & linguarum confuſio facta eſt.

Tertia die congregatæ ſunt aquæ: quia hac ætate ſeparatus eſt populus Dei per Abraham à cæteris nationibus, & illis congregatis vel concluſis in amaritudine & volumine peccatorum iſti in cultu unius Dei ſolidati ſunt, ut herbam virentem virtutum germinarent, & fru-
C. ctum bonorum operum proferrent: cujus veſpera fuit in perditione Saulis & Jonatæ in monte Gelboë, quando ab allophylis interfecti ſunt.

Quarta die facta ſunt luminaria: quia quarta ætate dignitas regia ſplenduit in David & in Salemone & in cæteris regibus & Prophetis, qui maximè hac ætate floruerunt. Hujus veſpera fuit in Sedechia, quem rex Babylonis multavit oculis everſa Jeruſalem & deſtructo templo tranſtulit in Babylonem.

Quinta die ex aquis producta ſunt animalia: quia hac ætate populus Judæorum inter gentes velut in aquis captivus
D. verſabatur, & tamen à cultu Dei non recedebat. Multum etiam jam ſancti quaſi aves per contemplationem ad cœleſtia ſublevabantur ſicut Jeremias, Ezechiel, Neemias &c. Cujus veſpera fuit infidelitas & maximum peccatum eorum, qui Chriſtum ſibi repromiſſum videntes recipere noluerunt.

Sexta die homo factus eſt. Hac ætate natus eſt Chriſtus per Virginem. Qui prælatus eſt beſtiis terræ & piſcibus maris & vola-

Digitized by Google

& volatilibus cœli: quia omnes gentes jugo fidei ſuæ ſubjecit. Cujus ætatis veſpera finis erit ſeculi.

Septima die requievit Deus: quia ſeptima ætas eſt animarum requieſcentium in Chriſto & expectantium generalem corporum reſurrectionem.

Cap. II.

℣. IV. *Iſtæ generationes cœli & terræ.*

Recapitulatio eſt creaturæ Dei. Generationes cœli & terræ appellat ornatus eorum. Ornatus cœli ſunt Angeli & ſydera: ornatus terræ homines & jumenta: arborum & florum varietates.

In die,

Id eſt: in tempore. Diem hìc poſuit pro tempore ſicut Apoſtolus: ecce nunc tempus acceptabile, ecce dies ſalutis! Hoc in loco evaneſcit error Philoſophorum: qui dixerunt Mundum Deo eſſe coæternum, vel etiamſi à Deo & ſine initio factus eſt, eum tamen ex materia non à Deo creatum conſtare dixerunt, quod tamen utrumque effluit, cùm dicitur: *in die fecit cœlum & terram.* Cùm enim dicit: *in die*, oſtendit eum non eſſe coæternum Deo. Cùm verò addit: *fecit cœlum & terram*, Mundum à Deo conditum manifeſtat. Si verò diem pro una die acceperimus poſitam, ſecundùm illum ſenſum intelligendum eſt, quem Propheta dicit: *qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* *Eccli. XVIII. 1.* Juxta quem intellectum B. Gregorius dicit: *rerum natura per ſubſtantiam ſimul creata eſt, ſed per ſpeciem ſimul creata non eſt.*

℣. V. *Omne virgultum, antequam oriretur, & omnem herbam: antequam germinaret.*

Quod dicit: *antequam germinaret* aut *oriretur*, patet profectò, non eo modo, quo nunc arbuſta & herbæ ex ſemine vel ex radice proferuntur, aut humana induſtria proveniunt, tunc procreata eſſe, ſed ſubitò ad nutum & juſſionem Dei erupiſſe cum foliis & fructu omníque perfectione.

Non pluerat ſuper terram.

Hoc ad ſuperiora refertur. Non pluerat quidem, ut ex provectu ſcilicet

A. pluviarum naſcerentur frutices & herbæ. Quomodo etenim plueret, cùm omne ſpatium aëris plenum eſſet aquis tenuiſſimis in modum nebulæ, ſicut jam ſupra dictum eſt? ſed ex quo aquæ illæ collectæ ſunt in unum, & apparuit arida, uſque ad diluvium pluviæ minimè leguntur fuiſſe.

Sed fons aſcendens è terra univerſam ejus ſuperficiem irrigabat. ℣. VI.

Fons autem ille vel per occultos meatus terræ decurrens aſcendebat ad irri-
B. gandam terræ ſuperficiem more Nili fluminis, qui alvei ſui metas progrediens irrigat plana Ægypti: vel etiam irrigans univerſam ſuperficiem terræ, non quò omnem terræ ſuperficiem operiret, ſed rivatim more fluminum per diverſa loca dirivaretur. Vel, quod melius placet more Sacræ Scripturæ, ſingularem poſuit pro plurali, vel fontem pro fontibus, ſicut muſcam pro muſcis, ranam pro ranis. Aut etiam fontem propter univerſitatem omnium aquarum, quæ ſimul ſunt & quaſi unus fons in matrice abyſſo.

C. *Formavit Deus hominem.* ℣. VII.

Cavenda eſt hìc paupertas intellectus humani, ut cogitemus Deum manibus operatum fuiſſe hominem, & labiis carneis locutum, aut tale aliquid, quod nefas eſt de Deo cogitari. Deus enim ſpiritus eſt, & ideo non diſtinguitur membris, nec gravatur mole corporis, ut de illo aliquid carneum cogitemus vel intelligamus. Sed quod dicit: *formavit* hominem ex limo, id eſt: volendo & jubendo extra produxit.

Et inſpiravit.

D. Quod dicit: *ſpiravit*, non intelligendum eſt, quòd hunc corpulentum aërem homini ſufflaverit vel inmiſerit, ſed *inſpiravit*, id eſt: animavit eum vita rationali, quod in ſequentibus *ſpiraculum vitæ* appellavit. Ad comparationem enim cæterorum animalium, quorum animæ moriuntur, homo rationalem animam ſortitus eſt. Unde & Græci differentiam facientes animalium, quæ tantùm ſine ratione vivunt, zoa vocant, quia zoë vita dicitur: quæ verò rationis partici-

participantur Pſychica *, quia Pſyche anima. In faciem autem hominis ſpirâſſe (dicitur) quia in capite maximè omnes ſenſus vigent, horum uno, id eſt: tactu per omne corpus diffuſo.

* Cod. Garſt. Yki Pſiche. Cod. Teg. partic. Pſiche quia &c.

ỳ. VIII. *Plantaverat Paradiſum voluptatis à principio.*

Id eſt: hortum voluptatis. Græcè enim Paradiſus hortus, Hebraicè Eden vocatur. *A principio*, id eſt: in initio remotis aquis à ſuperficie terræ & in unum collectis. Ubi autem nos habemus: *Paradiſum à principio*, quidam codices habent: *Eden ad ortum*, ex quo poſſumus conjicere Paradiſum in B. Oriente ſitum. In quacunque autem Orbis parte ſit, ſcimus eum terrenum eſſe, & interjacto Oceano & montibus oppoſitis à noſtro orbe longè remotiſſimum. Eſt enim in altiſſimo loco ſitus pertingens uſque ad lunarem circulum. Unde & illuc aquæ diluvii minimè perveniſſe dicuntur.

In quo poſuit hominem.

Ex quo, quòd poſitus in Paradiſum homo dicitur, datur intelligi, non ibi fuiſſe conditum, ſed in hac noſtra mortali terra: quia Divina præſcientia illum peccaturum & ob hoc ab illa ſancta terra C. in hanc convallem miſeriæ propellendum.

ỳ. IX. *Produxítque de humo*,

Subauditur: Paradiſi,

Lignum vitæ & reliqua.

Lignum vitæ ſpecies arboris fuit ita vocata, quòd naturaliter hanc virtutem ſortitum eſt, ut ſi quis ex eo fructum comederet, perpetua ſoliditate firmaretur, & beata immortalitate veſtiretur, nullis deinceps infirmitatibus vel anxietatibus deprimendus, nulla ſenii laſſitudine vel imbecillitate deterendus. *Lignum* autem *ſcientiæ boni & mali* nullius arbo- D. ris certa ſpecies credenda eſt, ſed in poſterum ventura nomen ejus inditum fuit, ex qualitate ſcilicet obedientiæ vel inobedientiæ, quæ obedienti ſcientia boni exiſteret: inobedienta verò mali, ac per hoc peccati nervum incurrenti ſcientia mali fieret. Obedientia autem ſola virtus eſt, quæ hominem Deo conciliat, ſicut econtra tumor, id eſt: inobedientia longè à Deo ſeparat. Quid enim A. aliud eſt inobedientia quàm nolle ſubdi Deo, ſed ſuæ velle eſſe poteſtatis?

Et fluvius egrediebatur, qui dividitur in quatuor capita. ỳ. X.

Nomen uni Phiſon,

Qui interpretatur *oris mutatio*: qui exiens de Paradiſo & in noſtrum orbem diſcurrens pulchritudinem & amœnitatem ſuæ mutat ſpeciei. Ipſe eſt enim Ganges.

Qui circuit omnem terram Evilath,

Id eſt: Indiæ trahens aureas arenas. *Evilath* pars eſt Indiæ dicta ab Evilah filio Jectan filii Heber, à quo Hebræi dicti ſunt. Habent autem hæc flumina certos ortus. Phiſon autem in Caucaſo monte oritur: *Geon* juxta Atlantem Mauritaniæ: Tygris & Ephrates in Armenia.

Ibique invenitur bdellium. ỳ. XII.

Bdellium enim arbor eſt aromatica magnitudine olivæ, folio roboris, odore caprifici, cujus lachryma vel gummi eſt lucida & ſubalba veluti man. Unde in Exodo dicitur: *erat autem man quaſi ſemen coriandri albi, colorem habens bdellii.* Exod. XVI. 31.

Et lapis Onychinus

Onyches * Græcè unguis. Hinc *Onychius lapis* albis maculis intertinctus ad ſimilitudinem humani unguis.

* Cod. Onikes.

Geon ipſe eſt Nilus, qui per Mauritaniam currit. Interpretatur autem *præruptus* vel *præruptio*, qui ex altiſſimis * rupibus præcipitatus adeo validùm ſonum reddit, ut incolas ſuos ſurditate damnet. Locus autem, à quo elabitur, Cataduppa vocatur.

* In Cod. Garſt. deeſt: rupibus.

Tygris per Armeniam currit. Et dicitur Tygris à beſtia velociſſima, quam imitatur velocitate ſua.

Euphrates interpretatur *frugifer*, eò D. quòd terram, quam præterlabitur, frugiferam reddat.

Allegoricè autem Paradiſus præſentem ſignificat Eccleſiam, quæ rectè hortus delitiarum dicitur, dum nobis in ea ſpiritales delitiæ adminiſtrantur. *Lignum vitæ in medio Paradiſi* Chriſtus eſt in medio Eccleſiæ, de quo per quendam ſapientem dicitur: *lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eum.* Ipſe eſt etiam fons, qui de Patris ſubſtantia deſcendens ad irri- Prov. III. 18.

Digitized by Google

ad irrigandam ſuam Eccleſiam ſanctam venit. De quo per Prophetam Zachariam dicitur: *erit fons patens domui David in ablutionem peccatoris & menſtruatæ*, Domus David ſancta eſt Eccleſia, cui, id eſt: ad cujus ſalutem *patet fons*, id eſt: Chriſtus, *in ablutionem peccatoris*. Peccator eſt, qui malum, quod mente cogitat, operibus exequitur. Menſtruata eſt, quæ alienam carnem non tangit, ſed propria fœdatur. Significat peccatricem animam, quæ malum, quod cogitat, nequaquam effectu explet. Unde non extrinſecus quaſi aliena carne fœdatur, ſed intrinſecus velut propria carne ſuis cogitationibus inquinatur. A quo uno & ſingulari fonte *quatuor flumina* emergunt, id eſt: ab ipſo procedit doctrina quatuor Evangeliorum, vel quatuor virtutes, quibus præpollet Eccleſia.

Zach. XIII. 1.

B.

ỳ. XV. *Poſuit hominem in Paradiſo, ut operaretur & cuſtodiret.*

Opus illud non ad laborem vel laſſitudinem fuit, ſed potiùs ad delectationem: ſicut videmus plerumque homines quibuſdam operibus delectari, à quibus ſi interdicantur, non modicè contriſtantur.

Et cuſtodiret illum.

Non à furibus, quia tunc temporis nulli erant, ſed ſibi cuſtodiret, ut in eo delectaretur.

ỳ. XVII. *Morte morieris.*

Non de morte corporis dicit, ſed de morte animæ. Non enim ſtatim ut comedit, mortuus eſt corpore, ſed in anima per peccatum. Sed propter mortem animæ, id eſt, peccatum, ſubſecuta eſt poſtea ſuo tempore mors corporis, id eſt: pœna peccati.

ỳ. XVIII. *Faciamus ei adjutorium.*

Id eſt: fœminam ad procreandas herbas & arbuſta, non autem, ut illa filiorum procreatio talis eſſet, qualis nunc eſt, ſcilicet, ut ibi filii mortuis parentibus ſuccederent, ſed potiùs ut parentes videntes filios ex ſe natos lætarentur, & cum illis diu feliciter vivendo, expectarent illum beatum ſtatum & vitam Angelicam, ad quam transferendi erant ſi-

A. nito ſeculo non per mortem, ſed per quandam Divinæ imitationem virtutis. Impleto namque omnium electorum numero, ubi nullus reprobus naſceretur, guſtarent omnes de ligno vitæ, & ſic ab iſto medio ſtatu transferrentur in illum beatum ſtatum, ubi jam nec velint nec poſſint peccare.

Formatis igitur &c. ỳ. XIX.

Superiùs ex aquis volatilia progenita dictum eſt. Nunc verò dicit è terra ſimul cæteris animantibus eſſe formata: quod duplici modo ſolvi poteſt, ut vel ſubaudiendum relinquatur, cùm dicit: formatis de humo animantibus terræ, & volatilibus cœli, ſubaudis: de aqua formatis: vel univerſaliter terræ nomine comprehendantur & aquæ, quæ in terra ſunt, ſicut & in Pſalmo Propheta ſimul cum terra comprehendit etiam, quæ in aëre & in aquis conſtant, dicens: *laudate Dominum de terra dracones & omnes abyſſi, ignis, grando, nix, glacies, Spiritus procellarum &c.*

Pſal. CXLVIII. 7. 8.

Et adduxit eam ad Adam.

Non ſicut paſtor minans gregem ſuum, ſed *adduxit*, id eſt: nutu ſuæ diC. ſpoſitionis venire fecit: ſicut & in diluvio ex univerſis animantibus in arcam congregari fecit.

Omne, quod vocavit Adam, ipſum eſt nomen ejus.

Hebraicè Adam rebus omnibus nomina impoſuit. Sed facta diviſione linguarum ſingulæ gentes ſecundùm proprietatem & placitum ſuum univerſa vocitaverunt. Ideo autem Dominus cuncta animantia venire fecit ad Adam, ut D. ex ſuo arbitrio eis nomina imponeret, ut per hoc cognoſceret, quia charior & dignior aliis rebus haberetur, cui talis poteſtas à Domino concedebatur.

Myſticè Adam Chriſtum ſignificat, qui de ſinu paternæ majeſtatis deſcendens hominibus viſendus apparuit. Qui univerſæ creaturæ, id eſt: hominibus, quas regenerando in novam transtulit creaturam, nomen impoſuit, quia eos ex ſuo nomine Chriſtianos vocari voluit, ſicut per Prophetam dictum eſt: *ſervos ſuos vocabit nomine alio.* *Iſa. LXV. 15.*

Digitized by Google

℣. XXI. *Immiſit Dominus ſoporem in Adam, & tulit unam de coſtis ejus.*

Nunquid vigilante Adam ſine dolore Dominus coſtam ejus auferre non potuit, quam eo dormiente abſtuliſſe dicitur? Potuit utique. Sed hoc in myſterio potiùs fuiſſe credendum eſt, ut in principio Mundi præfiguraretur Sacramentum Dominicæ paſſionis, quod ſuo tempore, id eſt: in noviſſima ſeculi ætate futurum erat. Nam dormitio Adæ mortem Chriſti ſignificat in cruce. Quo in cruce pendente myſteria ſanguinis & aquæ de ejus latere profluxerunt, quibus ſancta conſtat Eccleſia, & unde roboratur. Unde & benè dicit: non formavit coſtam, ſed *ædificavit* quaſi domum Eccleſiæ præſignans, quæ ex vivis & electis lapidibus ædificatur. Et quod ſuperiùs dixit breviter: *maſculum & fœminam creavit eos*, nunc apertiùs exponit, quomodo ipſam fœminam creaverit:

℣. XXIII. *Hoc nunc os ex oſſibus meis.*

Adam videns mulierem ſibi ſimillimam ex omnibus creaturis recognovit eam ex ſuæ carnis ſubſtantia formatam, vel etiam, ùt B. Auguſtinus dicit, factus Adam in extaſi mentis & prophetiæ ſpiritu afflatus ſcivit coſtam ſibi ſubductam & mulierem formatam.

Vocabitur virago.

Virago à viro eſt dicta, ſicut & in Hebræis *is* vir dicitur, & deinde *iſſa* derivatum, id eſt: mulier. Ex hoc *Iſraël* etiam compoſitum eſt.

℣. XXIV. *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem.*

Hunc locum exponens Apoſtolus dicit: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* (*Eph. V. 32.*) *Homo* Chriſtus intelligitur propter aſſumptam humanitatem. Qui dereliquit *Patrem*, quando de ſinu paterno deſcendens novus homo mundo viſibilis apparuit non deſerendo Patrem, cum quo ſemper in Divinitate inſeparabiliter manſit. Dereliquit *matrem*, id eſt: Synagogam, de qua & carnem aſſumpſit. *Adhæſit uxori ſuæ*, id eſt: conjunxit ſibi Eccleſiam non habentem maculam aut rugam. *Et factæ ſunt duo in carne una*, id eſt: Chriſtus, qui caput, & membra ipſius, id eſt: Eccleſia, ſicut ipſe Patrem orat pro primitiva ſua Eccleſia, id eſt: Apoſtolis ſuis dicens: *volo, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.* (*Joh. XVII. 21.*)

Erat uterque nudus, & non erubeſcebant. ℣. XXV.

Quæ cauſa erubeſcentiæ eſſet in illis, quos nullus motus inhoneſtus, nulla carnis titillatio agebat? Niſi enim homo peccâſſet, nunquam voluptatis ardore inſtigaretur. Sed ſicut nos oculum hac illac ſine læſione aliqua vel petulantia volvimus, vel ſicut digitum protendimus: ita membris genitalibus non ad delectationem, ſed ad gignendam prolem uteremur. Benè ergo dicitur? *non erubeſcebant*, quòd nudi eſſent, qui meliùs veſte innocentiæ & immortalitatis jocunditate veſtiebantur.

Cap. III.

Sed & ſerpens erat callidior, ℣. I.

Sive *ſapientior*, ſicut Theodocion dicit, non quidem per ſui naturam, utpote qui animam rationalem non habet, quæ capax eſt ſapientiæ, ſed quia plenus erat dæmoniaco ſpiritu, quo ſcilicet veluti quodam organo ipſe ſpiritus nequam utebatur. Ergo illa calliditas vel ſapientia non erat ſerpentis, ſed dæmonis, qui per ſerpentem loquebatur, ſicut ſolent loqui per energumenos vel fanaticos & vates dæmoniorum: ipſe verò ſerpens ea, quæ loquebatur, ignorabat, ſicut energumeni ea, quæ per illos malignus ſpiritus vel hoſtis loquitur, ignorant. Proprium eſt maligni ſpiritus, ut, quemcunque invaſerit, ita eum pondere ſuæ infeſtationis deprimat, ut intellectum omnem & rationem ab eo auferat, & horum, quæ loquitur, penitus expertem reddat. Econtra Spiritus Sanctus quoscunque ſua dignatione idoneos fecerit, & ſui gratia repleverit, videntes, hoc eſt: intelligentes faciat, ut non modo præſentia, verùm etiam futura per ſpiritum cognoſcant. Unde & Apoſtolus dicit: *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjectus eſt.* (*1. Cor. XIV. 32.*)

Cur præcepit vobis Deus? & reliqua.

Callidus hoſtis ob hoc mulierem interrogat, ne poſt prævaricationem aliquam

quam reatus ſui excuſationem haberet poſſet. Fortaſſis enim dicere poſſet: oblita enim mandatorum Dei, & ideo deliqui. Quam omnimodis excuſationem amovens mandata Dei repetendo inculcat & ad memoriam reducit.

ỷ. IV. *Nequaquam moriemini.*

Doloſè hortatur diabolus hominem ad contemptum præcepti Dei, ut nollet ſubdi Deo, ſed magis ſuæ eſſe poteſtatis.

ỷ. V. *Scit enim Deus, quòd in quacunque die comederitis ex eo, eritis ſicut Dii.*

Quærunt multi: ſi Deus prævidebat hominem poſſe decipi, cur permiſit eum tentari? Sed, ùt beatus Auguſtinus dicit, non magnæ laudis eſſet, ſi benè in Paradiſo viveret nullo perſuadente. Ut enim Apoſtolus dicit, *non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.* (2. Timoth. II. 5.) Et certè liberum habebat arbitrium, ut, ſi voluiſſet, reſiſteret tentatori. Quod ſi feciſſet, dignè utique remuneraretur. Artificiali & arguta quidem machinatione diabolus ſuæ perſuaſionis dolos compoſuit dicens: *eritis ſicut Dii*, ut ſi per inobedientiæ contemptum hominem ſubvertere nequiret, ſaltim in hoc, quòd fidem in eo corrumperet, & cum ad idolatriam ſuaderet, victorem ſe gloriaretur. Si autem ad inobedientiam & contemptum Dei illum ſeduxiſſet, in utroque victor exiſteret.

ỷ. VI. *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum.*

Hic apertè oſtenditur mulier inexcuſabilis eſſe. Licuit enim ei ſub tali deliberatione dolos advertere inimici. Conſideravit enim pulchritudinem ligni & quia ſuave eſſet ad manducandum.

Dedit viro ſuo.

Non quidem dicitur, quòd ſuaſerit ei, ut manducaret, ſed in hoc, quòd dicitur: *dedit*, intelligitur, quia ſuaſit ad comedendum, quamquam non eſſet opus, ut ſuaderet: quia cùm vidit eam comediſſe & minimè mori, ipſe quoque ſecurus comedit.

ỷ. VII. *Et aperti ſunt oculi eorum.*

Quare dictum eſt: *aperti ſunt oculi?* A. Nunquidnam Deus eos in Paradiſum non videntes conſtituerat? Non utique. Sed aperti ſunt oculi eorum ad concupiſcentiam & cognitionem beſtialis motus quem priùs in ſe minimè cognoverunt. Eſt enim quoddam genus cæcitatis, quod Græcè *aoraſia*, id eſt: *avidentia* dicitur, qua quædam videntur, quædam verò non. Qua cæcitate tenebantur illi duo diſcipuli cum Domino pergentes in Emaus, de quibus dicitur: *oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent.* (Luc. XXIV. 16.)

Cúmque cognoviſſent ſe eſſe nudos.

B. Cognoverunt ſe eſſe nudos in hoc, quòd beſtialem motum ſenſerunt, quem antea non ſenſerunt. Unde & ad ficum confugerunt, quia fortaſſis, ùt B. Auguſtinus dicit, hanc arborem primam poſt prævaricationem repererunt, *& ex foliis* ejus *fecerunt ſibi perizomata*, id eſt: ſuccinctoria ſive bracas, & appoſuerunt ſibi in membris genitalibus, circa lumbos videlicet, in quibus ſementiva vis eſſe dignoſcitur. Congruè autem ex foliis fici feciſſe ſibi perizomata dicuntur, quæ pruritum quendam in ſe habere noſcuntur. Significat autem pruritum C. carnis & incentivæ libidinis ardorem, de qua B. Ambroſius dicit: *beati, qui ligant equos ſuos ad vitem olivæ, ad arbores lætitiæ & pacis, non ad ficum, quæ eſt humilis ad altitudinem, mollis ad laborem, ſterilis ad fructum.*

Et cùm audiſſent vocem Domini Dei. ỷ. VIII.

Deus primo homini per ſubjectam creaturam, id eſt: per Angelum ſub humana ſpecie apparentem loquebatur: unde & vocem Domini audiſſe dicitur. Nec vacat, quòd *poſt meridiem* eandem vocem percepiſſe dicitur, quando jam D. dies à calore ſuo frigeſcit: quia jam in eo fervor charitatis & lux veritatis defecerat. Unde nona hora ſpiritum emiſit, qui ſexta hora fuerat crucifixus. Et rectè hoc ordine actum eſt: ut qua hora homo de Paradiſo ejectus eſt, eadem illuc reſtitueretur.

Audivi vocem tuam & abſcondi me, ỷ. X.

Sicut amens & nimio timore perterritus. Abſcondit autem ſe, non ut ejus

 ſcelera

ſcelera Dominus non videret, ſed ut ſe A. indignum factum ejus aſpectui oſtenderet. Duplici autem verecundia arctabantur: vel quia illum obſcœnum motum in membris ſuis ſentiebant, quem antea nunquam experti fuerant: vel quia intelligebant ob transgreſſionem Dei præcepti hoc ſibi contigiſſe.

Adam ubi es?

Non quaſi neſcius interrogavit, quem nihil latere poteſt, ſed miſeriam prævaricationis illi exprimit, cùm dicit: *Adam ubi es?* Id eſt: quàm miſer effectus es! qui immortalis conditus fueras, mortis B. damno teneris, & innocentiæ beatitudine privaris. Vel ſicut B. Gregorius dicit, interrogatur à Domino, non ut Deus diſceret, quod ignorabat, ſed ut ad humilitatem confeſſionis illum provocaret, ut, quod prævaricando deliquerat, confitendo deleret. Sed ille peccatum ſuum in alium retorquere voluit dicens:

✝.XII. *Mulier, quam dediſti.*

Quaſi in hoc Deum infamaret, qui ei dederat, per quam deceptus fuerat. Similiter & mulier interrogata in ſerpen- C. tem reflexit culpam dicens:

Serpens decepit me.

Quo morbo laborat usque hodie humanum genus. Denique ſerpens non interrogatur, quia diabolus, qui per ſerpentem locutus fuerat, irrecuperabiliter deliquerat. Et benè Adam primò interrogatur, cui præceptum dederat Deus, quod præceptum per virum venit ad mulierem: ſicut econtra per ſerpentem peccatum venit ad mulierem, & per mulierem ad virum.

✝.XIV. *Et ait Dominus ad ſerpentem: quia feciſti hoc, maledictus eris inter omnia animantia.*

Quod ſerpenti dicitur, ad diabolum eſt referendum.

Supra pectus tuum gradieris.

Diabolus ſupra pectus graditur, quia dolos & inſidias portans in pectore homines decipere conatur. Unde & meritò *ſerpens* vocatur, quia occultè ſerpit. *Terram comedit:* quia terrenis operibus paſcitur & delectatur.

Inimicitias ponam inter te & mulierem & ſemen tuum. ✝.XV.

Mulierem hìc Eccleſiam dicit, cui diabolus contrarius eſt. *Semen* verò *mulieris* bona opera ſunt Eccleſiæ: *ſemen ſerpentis* opera omnis iniquitatis. Hæc eſt enim mulier illa, de qua Johannes in Apocalypſi dicit, quòd eam draco perſequeretur volens eam devorare. Poſt quam etiam fluvium ex ore ſuo emiſit, quia perſecutionem gentium contra Eccleſiam ſuſcitavit. *Apoc. XII. 13.*

Ipſa conteret caput tuum.

Id eſt: Eccleſia *conteret caput tuum,* id eſt: initium malæ voluntatis, antequam ad opus prorumpat. Unde & in Pſalmo *beatus* dicitur, qui *parvulos Babylonis tenuerit, & ad petram alliſerit.* *Pſal. CXXXVI. 9.* Parvuli Babylonis eſt initium peccati, & origo malæ voluntatis. Hi ſunt parvuli *confuſionis*, qui antequam proficiant, alliedendi ſunt ad petram, id eſt: Chriſtum.

Et tu inſidiaberis calcaneo ejus. ✝.XVI.

In *calcaneo* finis eſt corporis. *Calcaneo* ergo diabolus *inſidiatur*, quia maximè in fine vult homines decipere.

Mulieri quoque dixit: multiplicabo ærumnas tuas, in dolore paries filios.

Quia illa ſi non peccâſſet, ſine dolore paritura erat: idcirco poſt peccatum ei hæc pœna irrogatur, ut in dolore pariat jam filios.

Et ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.

Etiamſi non peccâſſet, ſub poteſtate viri futura erat. Sed illa ſubjectio minùs D. pœnalis eſſet, quia ex dilectione procederet, quæ nunc ei pro pœna imponitur, ut etiam nolens viro ſubdatur.

Moraliter ſub poteſtate viri mulier conſtituitur: quia ſpiritui caro ſubdenda eſt, ne repugnet, ſed magis obtemperet.

Adæ verò dixit: quia audiſti vocem uxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo. ✝.XVII.

Terra maledicitur, non ipſe Adam, ut videlicet cæteri, propter quos iſta ſcribenda erant, terrerentur, ne ſimilia facerent

Digitized by Google

facerent, & ſimili pœna pleſterentur. Cain verò quia primæ prævaricationi parricidium adduxit, ipſe maledicetur,
Gen. IV. 11. cui dictum eſt: *maledictus eris ſuper terram.*

Terra tua ſpinas & tribulos germinabit.

Spinæ verò antea erant, quia inter reliquas arbores & virgulta ſpinas Deus creavit, ſed non ad hoc, ut homini laborem inferrent, quæ poſt peccatum ad laborem & afflictionem humano generi datæ ſunt: ſicut etiam ſerpentes & noxia quæque ante peccatum erant innoxia.

Myſticè *ſpinas & tribulos terra germinat*: B. quia caro noſtra punctiones & aculeos vitiorum gignere non deſiſtit. Et hoc attendendum, quòd Adæ extrinſecus pœna imponitur, cùm dicitur: *maledicta terra in opere tuo:* mulieri intrinſecus, cùm dicitur: *multiplicabo ærumnas tuas &c.* quia mulier ſeducta decepit virum, ideo gravior ei pœna irrogatur.

℣.XXI. *Fecit Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas.*

Pelles ex mortuis animalibus detrahuntur. Per *tunicas* ergo *pelliceas* oſtendebatur, quia mortales jam facti erant ex immortalibus, & non ſolùm amiſerunt beatum ſtatum, in quem mutari poterant, ſi non peccâſſent, verùm etiam ipſam felicem vitam, qua in Paradiſo beatè vivere poterant, perdiderunt. Ipſi quidem fecerunt ſibi perizomata, ut peccatum ſuum Deo obſconderent: Deus verò *fecit illis tunicas pelliceas*, quibus totum corpus eorum induit: quia in corpore & in anima juſto judicio damnavit. In anima quidem propter peccatum prævaricationis: in corpore verò propter pœnam peccati. Stulta verò quæſtio eſt, ſi quis velit requirere, qualiter vel D. quo operante pelles ab animalibus ſubductæ ſint. Qui enim de nihilo condidit omnia Deus, hoc quoque quomodo vel qualiter voluit, fecit.

℣.XXII. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt!*

Irridendo eorum ſuperbiam replicat Deus verba, quæ ſuaſor dixerat in caput damnationis eorum, dicens: *ſciens bonum & malum.* Quaſi diceret: non ſo-
A. lùm non potuit Adam pervenire ad id, quod petiit, ſcilicet ut ſimilis Deo fieret, ſed etiam id, quod erat, amiſit. Appetiit ſimilis eſſe Deo, non humiliter imitando Deum, ſed ſuperbiendo & ejus dominium reſpuendo. Quod autem ſequitur. *quaſi unus ex nobis*, ſanctæ Trinitatis mentio inculcatur.

Nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam.

Quod verò dicit: *ne fortè mittat manum ſuam*, verba Dei ſunt. Quod denique ſequitur:

Ejecit eum de Paradiſo, ℣.XXIII.

Actus ipſe eſt, & eſt defectiva locutio irato vel perturbato conveniens, non quòd in Deum ullus iræ vel perturbationis motus cadat, qui eſt ſummæ tranquillitatis, ſed more ſacræ Scripturæ hoc dictum eſt, quæ de Deo loquens, quæ ſunt hominum, ipſi Deo attribuit.

Sumat de ligno vitæ & vivat.

Sicut jam diximus, impleto numero electorum guſtaturi erant omnes de ligno vitæ, & ad illum ſtatum beatum migraturi. Et quia ſe indignum fecerat illo ſtatu, rectè cuſtodia ei adhibita eſt, ne
C. poſſet ulteriùs lignum vitæ contingere.

Collocavit autem ante Paradiſum voluptatis Cherubim & flammeum gladium. ℣.XXIV.

Id eſt: per miniſterium Angelicum igneam cuſtodiam conſtituit. *Flammeus gladius* tribulationes & labores ſignificat hujus ſeculi, quibus Sancti in præſenti vita exercentur. Sive per *flammeum gladium* ſignificatur ſententia juſtæ damnationis, quæ homini data eſt. Qui tamen ita damnatus eſt, ut poſſet paſſione Chriſti redimi. Unde & rectè gladius ipſe *verſatilis* dicitur, qui poſſet aliquando removeri. Remotus eſt enim Henoch & Eliæ & Domino baptizato, omnibúſque cottidie fidelibus, cùm de hac vita ad illam ſupernam transeunt beatitudinem. Et non dicit: *flammam & gladium*, ſed *flammeum gladium*: quia quicunque ad Paradiſum redire cupiunt, neceſſe eſt, ut igne Spiritus Sancti omnes concupiſcentias hujus vitæ exurant, & gladio verbi Dei præcidant, quicquid in ſe noxium & inutile conſpexerint.

Alia

Alia tranſlatio habet: *contra Paradiſum*: quoniam vehemens contrarietas Adæ contigit. Non enim parvò contraria ſunt beatitudo & miſeria. Siquidem qui priùs beatus, factus eſt miſer: & qui antea immortalis conditus, mortalis effectus eſt.

Cherubim plenitudo ſcientiæ interpretatur. Cherubim ergo & flammeus gladius ante Paradiſum collocatur, ut detur intelligi, quia per ſcientiam diſciplinæ cœleſtis & per tribulationes & labores vitæ præſentis ad Paradiſum poſſumus redire.

Cap. IV.

℣. I. ***Adam verò cognovit uxorem ſuam.***

IN Paradiſo poſitus non legitur cognoviſſe uxorem ſuam, ſed poſtquam ejectus eſt de Paradiſo. Quia enim peccaturus erat & mortales filios generaturus ideo nullus ex ejus ſtirpe in Paradiſo natus eſt, qui locus eſt vitæ.

Quæ concepit & peperit dicens: poſſedi hominem per Deum.

Cainiti Hebraicè *poſſidere* dicitur. Quia ergo mater dixit: *poſſedi hominem*, vocatus eſt Cain *poſſeſſio*,

℣. II. ***Rurſumque peperit ejus fratrem Abel.***

Abel *luctus* vel *vapor* interpretatur. Fuit *luctus* parentibus extinctus à fratre, & tanquam *vapor* citò diſperiit vel diſparuit.

℣. IV. ***Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus.***

In quo reſpexit Dominus ad munera Abel? Ignem videlicet cœlitus mittendo, quo ſacrificium conſumebatur. Quod Theodocionis tranſlatio oſtendit dicens: *inflammavit Dominus ſuper Abel: ſuper Cain autem non inflammavit.* Tali enim modo probatur hoſtia Deo placuiſſe.

Sed quæri poteſt: quare Deus reſpexit ad munera Abel, ad Cain verò munera non reſpexit? Nunquid enim plus placet peculiaris hoſtia: quàm ſacrificium Deo de fructibus? Sed ſciendum, quia Deus plus mentes offerentium quàm id, quod offerebatur, attendit, & ideo

A. *reſpexit*, id eſt: acceptum habuit, & placuit illi munus ejus. Poteſt & aliud dici, quia avaritiam deteſtatus eſt in labore Cain. Sunt enim quidam, qui plus juſto deſudant in laborando, non tantùm ut habeant ſufficientiam, ſed ut ſuperflua quæque & minus neceſſaria congregent. Hunc laborem ſuperfluum vidit Deus in Cain, & ideo ad munus ejus non reſpexit. Ars verò paſtoralis ſimplex eſt & innocua, quam poſt Abel ſancti Patres habuiſſe leguntur.

B.

Et concidit vultus ejus in terram. ℣. V.

Dixitque Dominus ad eum: quare iratus es, & concidit facies tua? ℣. VI.

Id eſt: cur livore torqueris, & non bona verecundia perfunderis? Ut enim ſapientia dicit: *eſt confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam.* Eccli. IV. 25.

Statim in foribus peccatum aderit. ℣. VII.

Id eſt: patebit omnibus, & hoc quaſi C. janitore comitaberis.

Sed ſub te erit, id eſt: ſub tua poteſtate erit, *appetitus ejus*, & *tu dominaberis illius.* Et eſt ſenſus: quia rationis capax es, & nôſti, quid ſit bonum, quidve malum, debes dominari peccato, ut voluntas mala non uſque ad operis nequitiam perducatur. Et hoc eſt, quod LXX. dicunt: *peccâſti? quieſce.* Id eſt: peccâſti voluntate? Quieſce à malo opere. Alia tranſlatio habet: *Si rectè offeras, rectè autem non dividas, dicit Dominus: peccâſti.* Et Cain rectè obtulit, quia utique Deo, qui ſolus eſt D. adorandus, & cui eſt ſacrificandum. Sed non rectè diviſit ſua Deo dando, ſe autem ſibi, cùm Deus potiùs nos quàm noſtra deſideret. Omnis enim, qui aliquid offert, conſiderare debet, cui offerat, & quo offerat, & quando, & quis ſit ipſe, qui offert.

Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum: ℣. VIII.

* Sed hoc, quod à Deo audierat: ſuperfluum enim eſt. ** Ita uterque Cod. fortè leg. ſcilicet.*

Egredia-

Digitized by Google

Egrediamur foras.

Neque enim adhuc domus vel templum erat, ubi Deo ſacrificium offerretur.

Et conſurrexit Cain adverſus fratrem ſuum, & interfecit eum

Retro, ùt ferunt, paſtorali virga.

Allegoricè in ſcelere Cain malitia Judæorum deſignatur. Cain occidit minorem fratrem ſuum Abel: & Judæi Chriſtum caput minoris populi, id eſt: gentilis, ſicut ipſe per Pſalmiſtam dixerat patri: *conſtitues me in caput gentium.* *Pſ. XVII. 44.*

ŷ. IX. *Et ait Dominus ad Cain: ubi eſt Abel frater tuus?*

Interrogat autem Dominus, non quò diſceret, quod ignorabat, ſed ut eum ſaltim ſic ad confeſſionem provocaret, aut negantem juſta ultione damnaret. Sed ille peccata congeminans ſuperbè reſpondit dicens.

Neſcio. Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?

Quaſi Deum ſcelus ejus latere potuiſſet, *cui nuda & aperta ſunt omnia.* *Hebr. VI. 13.*

ŷ. X. *Ecce vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

Quia confiteri noluit, juſta jam increpatione redarguitur, cùm dicitur: *quid feciſti? Ecce vox* & reliqua. Vox ſanguinis Abel eſt magnæ juſtitiæ virtus, quæ vindictam & ultionem expetebat pro innocentis ſanguine.

ŷ. XI. *Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum.*

In prævaricatione Adæ, ſicut jam diximus terra maledicta eſt, non ipſe. In peccato autem Cain ipſe maledicitur, quia ſciens reatum primæ prævaricationis non timuit, ſed inſuper ſcelus homicidii vel fratricidii adjecit.

Allegoricè ſuperiùs diximus Cain Judæos ſignificare, Abel Chriſtum. *Terra* verò hoc loco Eccleſiam ſignificat, quæ fuſum Chriſti ſanguinem aperto ore, id eſt: magnæ devotionis deſiderio ad æternam ſuſcipit ſalutem.

A. *Vagus & profugus eris ſuper terram.* ŷ. XII.

Hoc de eis manifeſtum eſt, qui per omnem Romani orbis imperium vagi & profugi ſunt, nec uſquam habent certas ſedes.

Dixitque Cain: major iniquitas mea, quàm ut veniam merear. ŷ. XIII.

Peccatis peccata adjiciens deſperavit, nec credidit ſe poſſe ſalvari vel veniam adipiſci. Et hæc eſt blaſphemia in Spiritum Sanctum, quæ *nec hìc nec in futuro remittetur.* *Luc. XII. 10.* B. Qui enim deſperat, aut putat Deum nolle dimittere, aut non poſſe. Si non poteſt, non Omnipotens: quia eſt aliquid, quod non poteſt. Si autem non vult, quod etiam cogitare nefas eſt, invidet ſaluti humanæ.

Ecce ejicis me hodie à facie terræ. ŷ. XIV.

Id eſt: in conſpectu tuo me indignum judicas. *Et à facie tua:* quia videlicet ipſam meam vitam odio habens præſentiæ tuæ me ſubtraham.

Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.

C. Quia ex tremore corporis & furiatæ mentis exagitatione quicunque me invenerit, cognoſcet me dignum eſſe, qui occidar.

Nequaquam ita fiet. ŷ XV.

Id eſt: non citò morieris, ſicut vis.

Septuplum punietur.

Id eſt: plenariè & perfectè. Solet enim ſeptenarius numerus pro perfectione poni. Unde ſæpe Dominus minatur; *percutiam*, inquiens, *vos ſepties*, id eſt: perfectè. *Levit. XXVI. 24.* Secundùm igitur LXX. legitur: quicunque *occiderit Cain, ſeptem vindictas exſolvet.* D. Et eſt ſenſus: non ita fiet, ùt vis, ut videlicet cita morte longæ vitæ cruciatum effugias, ſed diu vivendo uſque ad ſeptimam generationem tandem quicunque te occiderit, exſolvet, id eſt: finiet ſeptem vindictas, quæ in te ſunt: non quò ille, qui eum occidiſſet, ſeptuplum eſſet puniendus, ſed quia illum occidendo finiret illas ſeptem vindictas, id eſt: perfectas, quibus Cain diu vivendo cruciabatur. Hoc ſecundùm LXX. Cæterùm ſecundùm Hebraicam ve-

cam veritatem *ſeptuplum punietur*, id A. eſt: plenariè & perfectè: in quo deterret, ne quis homicidium audeat iterare.

Poſuit Dominus ſignum in Cain, ut non eum interficeret omnis, qui inveniſſet eum.

Hoc videlicet, quia vagus & profugus erat ſuper terram, vel ùt LXX. *gemens & contremens.*

Allegoricè poſuit Deus ſignum in Judæos, ut, nemo eos occideret, ipſam videlicet legem, quam portabant ad ſuam damnationem & noſtram ereptionem. Propter hoc ſignum nemo eos occidit. Neque enim pagana perſecu- B. tione, vel etiam ſub Chriſtiana jam tranquillitate eos prohibuit ſuis legibus uti & ſuo more vivere. Et hoc eſt, quod per Pſalmiſtam Filius loquitur ad Patrem:
Pſ. LVIII. 12. *ne occidas eos, ne quando obliviſcantur populi mei: diſperge illos in virtute tua.*

℣. XVI. *Egreſſúsque Cain à facie Domini habitavit in terra profugus ad orientalem plagam Eden.*

Eden *epulæ* vel *delitiæ* interpretatur. Septuaginta dicunt: *habitavit in terra* C. *Naith.* Sed Naith non eſt hoc loci nomen. Interpretatur autem *inſtabilis* vel *vagus*: & ideo in terra Naith habitare dicitur, quia inſtabilis & fluctuans vagabatur.

℣. XVII. *Cognovit autem uxorem ſuam, quæ concepit & peperit Enoch: & ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii ſui Enoch.*

Quia in timore erat & tremore, ideo fortaſſis civitatem ædificavit, ut ibi abſconditus protegeretur. Quæri autem D. poteſt, cum quibus eam ædificaverit, ſi plus vel plures non erant homines, quàm hi, quos Scriptura commemorat. Sed ſciendum, multò plures jam tunc fuiſſe, quia diu vivendo plures filios generabant. Nec mirum, cùm etiam filii Iſraël per quadraginta annos ita multiplicati legantur, ut eorum numerari non poſſet exercitus.

Ædificavit, inquit, *civitatem, quam ex nomine filii vocavit Enoch.* Enoch *dedicatio* interpretatur. Notandum autem, quòd in prima generatione de Cain naſcitur *Enoch*, id eſt: *dedicatio*: quia reproborum populus in prima generatione, hoc eſt: in præſenti vita ſe dedicat huic ſe adjiciens, & in hac, ſi fieri poſſet, ſemper manere volens. Unde & *civitatem ædificavit*: quia reprobi hìc habent ſuam felicitatem & quaſi fundamentum, cùm Apoſtolus de ſe ſuíſque ſimilibus dicat: *non habemus hìc manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.* De Seth verò natus eſt Enoch * ſeptima generatione: quia Sancti, qui ad Dei pertinent civitatem, alteri vitæ, id eſt: futuræ ſe dedicant, quæ poſt ſex ſeculi ætates ſeptima generatione, hoc eſt: juſtorum congregatione vel reſurrectione manifeſtabitur. *Hebr. XIII. 14.* * *aliàs* Enos *vel* Henos.

Lamech primus digamiam perpetravit: quia duas uxores habuit, & propterea in diluvio periit.

Nomen uni Ada, & nomen alteri Sella. ℣. XIX.

Genuítque Ada Jubal. Ipſe fuit pater canentium cum cythara & organo. ℣. XX. ℣. XXI.

De hoc Joſephus dicit: *Jubal Muſicam amavit, Pſalterium & cytharam laudavit. Et ne unquam ab humana memoria elaberentur ea, quæ invenerat, in duabus columnis, una lateritia, altera lapidea deſcripſit, cùm Adam prædicare audiſſet duo diluvia & omnium exterminationem.*

Sella genuit Tubalcain. ℣. XXII

Sed & de hoc idem Joſeph dicit: *Tubalcain res bellicas decenter exercuit, artem ferrariam docuit: quædam etiam, quæ ad libidinem oculorum pertinent, advenit.*

Soror Tubalcain Noëma.

Notandum, quòd in generatione Seth nulla mulier nata legitur: in Cain verò generatione legitur ſoror Tubalcain progenita, per quod deſignatur laſcivia & petulantia, quæ reprobis in præſenti dominatur vita.

Occidi

Digitized by Google

℣.XXIII. *Occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentem in livorem meum.* A.

Hunc locum ita Hebræi exponunt. Lamech diu vivendo caliginem oculorum incurrerat, nec videre poterat. Habebat autem quendam adoleſcentem, qui greſſus ejus regebat. Cùm ergo quadam die venatione exerceretur, illuc jacula dirigens, quò adoleſcens indicâſſet, caſu Cain inter fructeta latitantem indice adoleſcente percuſſit, qui feram eſſe putaverat. Sed cùm cognoviſſet ſe hominem occidiſſe, iratus adoleſcenti ipſum quoque interfecit. Et hoc eſt, quod ſequitur: *occidi virum*, id eſt Cain, *in vulnus meum*, quia ego quoque pro illo vulnerabor & occidar: *& adoleſcentem in livorem meum*, quia pro illo quoque damnabor.

℣.XXIV. *Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech verò ſeptuagies ſepties.*

Creſcente peccato creſcit & ultio. Fuerunt autem ſeptuaginta ſeptem animæ de ſtirpe Lamech, quas in diluvio legimus periſſe.

Allegoricè Lamech figuram tenet Mundi hujus, cujus tantum fuit peccatum prævaricante Adam, ut non poſſet expiari niſi ſeptuageſima ſeptima generatione Chriſto per Virginem veniente.

℣.XXV. *Cognovit adhuc quoque Adam uxorem ſuam, & peperit filium, vocavítque nomen ejus Seth.*

Seth *poſitio* interpretatur, quæ Græcè *theſis* dicitur, ducta etymologia ex eo, quòd pater dixit: *poſuit mihi Deus ſemen pro Abel.* Alio ſenſu Seth *reſurrectio* interpretatur, quia ſurrexit loco fratris ſui interfecti.

℣.XXVI. *Sed & Seth natus eſt filius, quem vocavit Enos.*

Enos *homo* interpretatur. *Iſte cœpit invocare nomen Domini*, id eſt: colere Deum & deprecari, quamvis alia ſit Hebræorum opinio. Dicunt enim idola tunc primùm facta & tanquam Deum adorata.

Cap. V.

Et factum eſt omne tempus, quo vixit Adam, anni nongenti triginta. ℣. V.

Ferunt, poſt mortem Abel voviſſe Adam, ut nunquam poſtea cognoſceret uxorem ſuam, & filium generaret. Sed ſermo Dei ad eum factus eſt, ut hoc votum frangeret, quia Filius Dei non poſſet ad hominis redemptionem * carnem aſſumere. Cain enim indignus erat, ut de ſtirpe ejus Deus homo naſceretur. Unde ante Seth nullum legitur B. genuiſſe: poſt Seth verò dicitur genuiſſe filios & filias.

* *Uterque Cod. &* carnem aſſum.

Ambulavit Henoch cum Deo. ℣. XXII.

Id eſt: imitatus eſt Deum.

Noë verò cùm quingentorum annorum eſſet, genuit Sem, Cham, & Japhet. ℣.XXXI.

Hoc loco intueri debemus profundum myſterium. Eſt enim Noë ab Adam poſt Seth decimo loco. Denarius enim numerus perfectionem ſignificat electorum, quia primæ eſt teſſeræ, id eſt IV. C. numerus, nec ultra poteſt numerando procedi niſi iterum redeatur ad unitatem. Noë ergo ſi addamus duos filios ejus Sem, Cham, & Japheth, Cham reprobato fiunt duodecim. Duodenarius autem numerus ſacratus eſt in duodecim Patriarchis, & præcipuè in duodecim Apoſtolis. Conſtat verò ex partibus ſeptenarii, quæ ſunt tria & quatuor. Hæc eſt juſtorum perfectio, quæ ſervata eſt in linea à Seth deſcendente. Conſideremus imperfectionem eorum, qui per Cain ab Adam deſcenderunt. Ab Adam igitur ad Lamech ſex ſunt generationes, quibus ſi addamus tres filios ejus & quar- D. tam filiam ejus, fiunt undecim. Undenarius autem numerus peccatum ſignificat, quia transgreſſio eſt denarii. Ecce hic ſublucet imperfectio & malitia generationis Cain.

Et facti ſunt dies Lamech ſeptingenti ſeptuaginta ſeptem anni.

Hoc ſecundùm Hebraicam veritatem. Cæterùm ſecundùm LXX. maximus eſt error in numero, in quo inveni-

tur Lamech poſt diluvium vixiſſe qua- A. tuordecim annos.

Cap. VI.

ỷ. I. *Cúmque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ.*

Filios Dei appellavit filios Seth, qui quamdiu ſe in patris ſanctitate incorruptè ſervaverunt, hoc nomine honorari meruerunt, ut filii Dei vocarentur. Sed poſtquam carnis voluptate ſuperati conjunxerunt ſe damnatæ ſtirpi B. Cain, ejus malitiam imitari cœperunt. Non nulli *filios Dei* Angelos malignos interpretari voluerunt. Sunt enim quidam dæmones improbi mulieribus. Sed melius eſt, ſicut diximus, ut filios Dei filios Seth accipiamus.

ỷ. III. *Dixítque Deus: non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.*

Alia translatio habet: *non judicabit ſpiritus meus homines in æternum, quia caro ſunt.* Secundùm quam translatio- C. nem talis eſt ſenſus: quia homines fragiles ſunt & mortali carne circumdati, non eos judicabo in æternum, ut æternaliter pereant, ſed potiùs eis in præſenti reſtituam, quod merentur. Ex quo intelligimus magnam eſſe miſericordiam, cùm peccatores non ſinit ex ſententia agere, ſed flagellando ad ſe revocat. Unde & Oſee. IV. 14. quibuſdam peccantibus minatur: *non viſitabo filias veſtras, cùm adulteraverint.* Jer. XIII. 11. Et alibi: *unuſquiſque poſt pravitatem cordis ſui ambulet.* Hinc & Pſalmiſta: Pſal. X. 4. *exacerbavit Dominum peccator, ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæ- D. ret.* Econtra de his, qui Deo accepti Pſal. LXXXVIII. 33. ſunt, dicitur: *viſitabo in virga iniquitates eorum.*

Erúntque dies illius centum viginti annorum.

Quidam putant hominum vitam poſt diluvium in centum viginti annis eſſe contractam. Sed non ita eſt ſentiendum. Multos enim legimus poſt diluvium pluribus annis vixiſſe. Hoc ergò ita accipiendum eſt. Volens enim Deus inducere peccatoribus diluvium dedit eis ſpatium, centum viginti ſcilicet annorum ad agendam pœnitentiam. Sed illis agere nolentibus & in ſua malitia perdurantibus non expectavit eos Deus uſque ad datum ſpatium centum viginti annorum, ſed centeſimo anno factum eſt diluvium.

Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis. ỷ. IV.

Gigantes appellat eos, qui de permixta generatione Seth & Cain nati ſunt, immanes corpore, viribus ſuperbos, moribus inconditos. Hos tales appellat *gigantes*, id eſt: *terræ filios.*

Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum, pœnituit eum, quòd hominem feciſſet. ỷ. V.

In Deum nulla pœnitentia cadit. Semel enim Deus fixè & ſtabiliter omnia diſponit. Sed Scriptura more noſtro loquens dicit Deum pœnituiſſe, quia quaſi opus ſuum mutare videtur, voluntate tamen & diſpoſitione immutabili permanente. Quomodocunque enim fuerint res, videlicet aut ita ſint permanſuræ, ſicut creatæ ſunt, aut mutandæ, Deus hoc ante ſecula inmutabili prævidit ratione.

Noë verò invenit gratiam coram Deo. ỷ. VIII.

Noë *requies* interpretatur.

Juſtus atque perfectus fuit. ỷ. IX.

Si nullus ſine peccato vivere poteſt, quomodo Noë *juſtus & perfectus* fuiſſe dicitur? Sancti Dei *perfecti* ſunt ſecundùm aliquem ſuum modum: non autem ita ſunt perfecti ſicut perficiendi ſunt. Unde & rectè dicitur: *in generationibus ſuis.* In præſenti enim vita pro modo ſuo juvante Dei gratia perfecti eſſe poſſunt. In illa enim beata vita, in qua nec velle nec poſſe paccati eis ſuberit, longè aliter perfecti erunt.

Corrupta eſt terra. ỷ. XI.

Id eſt: omnis homo. Nam quia propter hominem cuncta creata ſunt, ideo

Digitized by Google

ideo peccante homine omnia dicuntur A.
corrupta fuiſſe.

℣.XII. *Omnis caro*, id eſt : omnis homo, *corruperat viam ſuam*, id eſt : depravaverat actiones ſuas, *& ego diſperdam eos cum terra.*

Quare dicit : *cum terra*, cùm terra nequaquam in diluvio diſperdita ſit? Dicunt Doctores, nequaquam tantæ virtutis & fœcunditatis eam fuiſſe poſt diluvium, quantæ ante diluvium extiterat. Unde & hominibus poſt diluvium eſus carnium conceſſus eſt. Ante diluvium B.
enim pomis & oleribus veſcebantur. Ergo propter amiſſam virtutem & gratiam diſperditi ſunt homines *cum terra.*

℣.XIV. *Fac tibi arcam de lignis lævigatis,*

Id eſt : fortibus & inſolubilibus. Et hoc eſt, quod LXX. dicunt ; *de lignis quadratis*, id eſt : fortibus.

Manſiunculas facies in arca.

Manſiunculas dicit, in quibus diverſa animalium genera reciperentur. Septuaginta dicunt : *bicamerata & tricamerata in arca facies. Bicamerata* vide- C.
licet in inferioribus, *tricamerata* in ſuperioribus. Ergo quinque manſionibus diſtincta fuit arca. Prima manſio, id eſt ; inferior fuit ſtercorata, ubi animalium ſtercora defluebant, ne illa, quæ erant in arca, & maximè ne homines fœtore læderentur. Secunda fuit apothecaria, ubi cibus diverſus animalium reconditus erat. Tertia fuit beſtiarum & immitium animalium ac ſerpentium. Quarta jumentorum & manſuetorum animalium. Quinta, id eſt ; ſuprema hominum & avium. Oſtium verò, quod in ſequentibus in latere arcæ fuiſſe deſcribitur, eo D.
loco fuiſſe creditur, ubi bicamerata & tricamerata jungebantur inter apothecariam & beſtiarum habitationem.

Et bitumine linies.

Bitumen, quod Græcè *aſphaltum* dicitur, unde lacus *Aſphaltites* vocatur, id eſt : gluten tenaciſſimum, quicquid tactum fuerit, nunquam convermeſcit, nec ulla vi imbrium aut flatu ventorum diſſolvi poteſt.

Trecentorum cubitorum. ℣.XV.

Sed hoc non mirabimur, ſi ſciamus Geometrico cubito illam eſſe menſuratam, qui, ùt Origenes dicit, ſex cubitis humanis impletur. Poſitio autem arcæ talis extitit. Fuit enim fundamento quadrata, inæqualis tamen longitudinis & latitudinis, quæ paulatim ab angulis conſcendens in arctam formam ſurſum erigebatur, donec in cubito latitudinis & longitudinis ſummitas ejus perficeretur. Fuit autem decies longa quàm alta, & ſexies tantum longa quàm lata ad ſimilitudinem humani corporis. Nam ſi hominem pronum vel ſupinum jacentem metiamur, decies tantum longus erit à capite usque ad pedes, quàm altus à dorſo usque ad ventrem, & ſexies tantum erit longus quàm latus à dextero latere usque ad ſiniſtrum.

Feneſtram in arca facies. ℣.XVI.

Ad hoc feneſtra in arcæ ſummitate facta eſt, ut haberet adytum Noë, per quam emitteret, ſicut poſtea fecit emittens columbam & corvum. Quam feneſtram tradunt Hebræi cryſtallinam fuiſſe.

Myſticè autem Noë vir juſtus & perfectus nomine & actu Chriſtum ſignificat. Interpretatur enim *requies*, quia electos ſuos finitis laboribus ſeculi hujus ad æternam Chriſtus perducturus eſt requiem. Qui verè ſolus & juſtus & perfectus eſt, de quo Apoſtolus : *ut ſit ipſe juſtus & juſtificans eum, qui ex fide eſt.* Rom. III. 26.

Poteſt etiam Noë typum tenere Præpoſitorum in Eccleſia ſive etiam totius familiæ Chriſti, membrorum videlicet ejus, qui per lignum crucis & aquam Baptiſmatis ſalvantur. Arca verò ſancta eſt Eccleſia, quæ *de lignis lævigatis*, hoc eſt : Sanctis in æternum victuris conſtruitur. Et ſicut in arca diverſa erant genera animalium, ſic in Eccleſia diverſa ſunt hominum genera. *Oſtium in latere* vulnus ſignificat in latere Chriſti, de quo ipſa Eccleſia una cum Sacramentis conſtat ſanguinis & aquæ.

Ex cunctis animantibus bina induces in arcam. ℣.XIX.

Quæritur de minutis animantibus, non ſolùm quales ſunt mures & ſtelliones, ſed etiam quales ſunt muſcæ & ſcabriones &

nes & ſcarabei & pullices, ſi in his hic numerus poterit conſervari. Sed ſciendum, quia illa, quæ non coitu generantur ſed humore terræ, vel ex quacunque cadaverum aut aliarum rerum corruptione naſcuntur, non neceſſe fuit contineri in arca. Nam & hoc intelligendum innuitur, cùm dicitur: *de volucribus juxta genus ſuum & de jumentis in genere ſuo.* Illa quoque, quæ in domibus verſantur, ſicut pulices, mures, muſcæ, non neceſſe fuit in his hunc numerum obſervari, quæ intelliguntur tunc plura in domibus fuiſſe. Sed & illa animalia, quæ excommixtione diverſi generis naſcuntur, ſicut muli & burdones & cætera talia, non eſt dicendum fuiſſe in arca.

Item quæritur de his animantibus, quæ in aquis & in terra communiter vivunt, utrum fuiſſe credantur in arca, aut ſi non fuerunt, quomodo vivere potuerint ſicut lutri & vituli marini. Sed de his credi poteſt, quòd extra arcam fuerint: habebant tamen loculos præparatos extra arcam, in quibus ſe poterant recipere veluti in aridis. Hoc & de avibus ſentiendum marinis & fluvialibus, quia vicibus in aquis erant, & item in præparatis manſiunculis extra arcam ſe recipiebant.

℣. XXI. *Tolles de omnibus eſcis.*

Hoc loco quæritur de animalibus, quæ carnibus veſcuntur, quomodo in arca anno integro vixerint, cùm carnes tanto tempore incorruptæ ſervari non potuerint. Ad hoc dicendum, quia ſunt quædam animalia, quæ carnibus veſcuntur, ſed ſi neceſſitas imperaverit, fructibus & pomis diverſi generis vivere poſſunt maximè ficu & caſtanea.

Cap. VII.

℣. II. *Ex omnibus animantibus tolle ſeptena.*

QUod dicit: *ſeptena & ſeptena*, non geminatum ſeptenarium, id eſt, quatuordecim, ſed tantùm ſeptem debemus accipere. Similiter ubi *duo & duo*, non quatuor, ſed duo debemus intelligere.

Maſculum & fœminam.

Et hic notandum, quòd munda animalia impari numero, id eſt: ſeptenario introducuntur in arcam, immunda A verò pari: quia impar numerus quandam virtutis prætendit ſpeciem: par verò infirmitatis & vitii ſignum eſt. Munda animalia plura, id eſt: ſeptena dicuntur introducta, ut egrediens Noë de arca haberet, quod Domino immolaret, & quo ipſe cum filiis veſceretur.

Et ingreſſus eſt Noë & filii ejus in arcam. ℣. VII.

Attendendum eſt, quòd, quando ingreſſus eſt in arcam, ſeorſum ipſe & filii ejus in arcam, & ſeorſum uxores eorum. Dicitur enim: *ingreſſus eſt in arcam ipſe & filii ejus:* deinde: *uxor ejus* B *& uxores filiorum ejus.* Quando verò egreſſi ſunt, viri cum uxoribus permixti leguntur. Dicit enim: *egreſſus eſt Noë & uxor ejus.* Hoc eſt, quod Salomon dicit: *tempus amplexandi, tempus longè fieri ab amplexibus.* *Ingreſſi ſunt in arcam*, nutu videlicet Dei, non homine faciente. Eccli. III. 5.

Anno ſexcenteſimo, menſe ſecundo. ℣. XI.

Id eſt: menſe Niſan, qui à Latinis Majus dicitur. Primus enim menſis eſt apud illos Aprilis.

C. *Cataractæ.* Id eſt: feneſtræ cœli. Feneſtras autem cœli nubes dicuntur, quæ aptæ ſunt, ut inde inſolitæ & majores pluviæ funderentur. Nam *cataractæ* ſunt propriè oſtia Nili, ſed abuſivè pro omnibus feneſtris accipiuntur.

Fontes quoque magnæ abyſſi rupti ſunt,

Ut non ſenſim more ſolito fluerent, ſed repentina inundatione ſuperficiem terræ operirent.

Incluſit eum Dominus deforis. ℣. XVI.

Quod enim manus hominis facere non poterat, potentia Divina implevit, D *deforis eum includens*, nec aquas introire permittens.

Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes. ℣. XX.

Dicunt enim quidam hoc hiſtorialiter fieri non potuiſſe ſed propter aliquam ſignificationem vel myſterium hoc ſcriptum eſſe. Ajunt enim non potuiſſe fieri, ut aqua craſſioris naturæ ad ſuperiorem aëris partem conſcenderet maximè propter Olympum montem, cujus tanta altitudo,

Digitized by Google

altitudo, ut nulli venti ibi flare, nullæ nubes cacumen ejus valeant operire. Sed qui hoc fatentur, non attendunt, quia mons ipſe terra eſt. Terram autem ſcimus corpulentiorem eſſe aqua. Ubi ergo terra gravior aſcendere potuit, cur non hoc levior aqua potuerit?

Cap. VIII.

ỳ. I. *Adduxit ſpiritum*,

ID eſt: ventum, vel ùt quidam volunt, Solem, ſive Spiritum Sanctum debemus accipere, de quo in principio dicitur: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Qui enim in principio ferebatur ſuper aquas, ut eas in unum congregaret, ut appareret arida, ipſe nunc ſua & totius Trinitatis voluntate adductus eſt ſuper terram, ut à pervaſione aquarum eriperet eam, & eis priſtinam pulchritudinem & fertilitatem redderet.

ỳ. VIII. *Emiſit corvum & columbam poſt eum.*

Septuaginta dicunt, quia corvus emiſſus non eſt reverſus ad arcam. Aut enim aquis interceptus eſt & necatus, aut cadaveri aquis ſupernatanti inhæſit, & propter gulam periit. Neque enim terra jam ſiccata erat, quia de columba dicitur, quia *cùm non inveniret, ubi requieſceret pes ejus.*

Allegoricè diximus ſuperiùs arcam Eccleſiam ſignificare, quæ trecentorum cubitorum fuit longitudinis: quia ſancta Eccleſia in fide Dominicæ crucis & paſſionis ſalvatur. Longitudo enim trecentorum cubitorum paſſionem Domini ſignificat. Nam & littera *Tau*, quæ hunc exprimit numerum, figuram habet crucis. Latitudo quinquaginta cubitorum reſurrectionis Chriſti gloriam deſignat, quæ quinquageſima die Pentecoſtes per Apoſtolos prædicata eſt, cujus ſpe dilatatur Eccleſia. Altitudo verò triginta cubitorum ſignificat eandem Eccleſiam per tres Mundi partes dilatandam, Africam, Aſiam, Europam. Denarius enim ter ductus in trigeſimum numerum conſurgit. Hæc Eccleſia continet pariter corvum & columbam, hoc eſt: bonos & malos. Sed corvus de arca emiſſus non revertitur, quia reprobi licèt gremio Eccleſiæ per fidem contineantur, tamen cupiditatibus & illecebris ſeculi inhærentes pereunt. Columba verò rediens ad arcam portat ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo, quia Sancti ſimplicitate gaudentes manus pacis in ore portant, & cum Pſalmiſta dicunt: *cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* Pſ. CXIX. 7.

Menſe ſecundo, id eſt: Majo, *ſeptima & viceſima die menſis.* ỳ. XIV.

Intueamur diligentiùs hunc locum. Diximus ſuperiùs Noë annum feciſſe in arca, & ipſa die, qua ingreſſus eſt, egreſſum fuiſſe. Ingreſſus autem ſeptima decima die menſis ſecundi: nunc dicit, quia egreſſus eſt ſeptima & viceſima die menſis ejuſdem. Sed ſciendum eſt, quià ſi præſenti diei addas undecim, qualis hodie luna eſt, talis eſt poſt annum ipſa die. Ergo quando Noë ingreſſus eſt decima ſeptima luna, decima ſeptima dies fuit ſecundi menſis, & ideo poſt annum additis XI. fuit viceſima ſeptima dies, vel viceſima ſeptima luna.

Non requieſcent, ſed ſervient homini. ỳ. XXII.

Cap. IX.

Terror veſter & tremor, ỳ. II.

NOn homini præpoſuit Deus hominem ſed animantibus. Neque enim dixit: *terror veſter ſit ſuper homines*, ſed *ſuper animantia terræ:* atque ideo, ùt B. Gregorius dicit, ſupra modum ſuperbire eſt ab æquali velle timeri. Omnes homines natura genuit æquales, ſed meritorum diſtantia juſto Dei judicio, ſed occulto, alios aliis ſubjecit.

Omnes piſces manui veſtræ traditi ſunt,

Id eſt: poteſtati: *& omne, quod movetur, erit vobis in cibum.* Poſt diluvium eſus permiſſus eſt carnium. Antea enim pomis & oleribus veſcebantur. Sed quia in diluvio terra virtutem ſuæ fertilitatis amiſerat, ideo Deus conſulens humanæ fragilitati permiſit homini veſci carnibus.

Excepto, quòd ſanguinem cum carne non comedetis. ỳ. IV.

Et hìc & in lege Moyſi eſus ſanguinis prohibe-

Digitized by Google

prohibetur. In Actibus quoque Apo-
Act. XV. 20. ſtolorum prohibitæ ſunt gentes *à fornicatione & immolatis, & ſuffocato & ſanguine*: quia videlicet ſedes animæ in ſanguine eſt, ideo ſanguinis prohibetur comeſtio.

℣. V. *Sanguinem de manu beſtiarum requiram.*

Beſtiam vocat crudeles homines & feros.

De manu viri & fratris ejus.

Fratrem vocat omnem hominem ejusdem conſortem naturæ.

℣. XIII. *Arcum meum ponam.*

Arcus duos habet colores, ex parte cæruleum, & ex parte igneum per hoc deſignantur duo diluvia: unum aquæ, quod jam præteriit: aliud ignis, quod in fine ſeculi venturum creditur. Unde cæruleus color extrinſecus cernitur: igneus verò intrinſecus.

Myſticè arcus, qui fit ſole nube illuſtrata, ſignificat eum à diluvio, id eſt: ab æterna damnatione poſſe ſalvari, qui verum Solem Chriſtum nube conſpexerit, hoc, qui ejus paſſionem & reſurrectionem per Prophetas prædictam crediderit.

℣. XVIII *Erant igitur tres filii Noë Sem, Cham, & Japheth.*

Sem interpretatur *nomen* vel *nominatus*, Cham *callidus*, Japhet *latitudo.*

Myſticè Sem & Japheth ſignificant fideles ex utroque populo in Chriſtum credentes. Cham verò hæreticos deſignat, unde & benè *callidus* interpretatur. Hæretici enim callidi ſunt non ſapientia, ſed malitia: quia ſimplices in Eccleſia decipere quærunt.

Myſticè Noë, qui *requies* interpretatur, Chriſtum ſignificat, qui *inebriatus eſt* calice paſſionis. *Nudatus eſt*, quia tunc manifeſtata eſt infirmitas mor-
Habac. III. 4. talitatis ejus, &, ùt Propheta prædixerat, *ibi abſcondita eſt fortitudo ejus.*

℣. XXI. *Et in tabernaculo ſuo nudatus eſt.*

Id eſt: in plebe Judaica, inter domeſticos generis ſui. Cham filius ejus, qui nuditatem patris fratribus nuntiavit, Judæos deſignat, paſſionem Chriſti lon-
A. gè ante in Prophetis legentes, qui nuntiabant futuram. Sed hoc, quod diu prænuntiaverunt, impletum videntes deridere potiùs quàm credere maluerunt. Sem verò primogenitus, & Japheth minimus ſignificant eos, qui in primitiva Eccleſia fuerunt, Apoſtolos videlicet & eos, qui ex gentibus crediderunt. Medius Cham Judæos ſignificat, qui nec primum cum Apoſtolis, nec poſtea gentibus fidem Domini recipere voluerunt. Sem verò & Japheth nuditatem patris ſibi nuntiatam audire noluerunt, ſed pallio operuerunt:
B. quia fideles myſteria paſſionis Chriſti non cum Judæis deſpiciunt, ſed digna veneratione honorant. Et benè *pallium in humeris portant*: quia ipſam paſſionem non futuram expectant, ſed impletam credunt.

Evigilans autem Noë ex vino, cùm didiciſſet, prophetico videlicet ſpiritu, *quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait: maledictus Chanaan.* ℣. XXIV.

Notandum, quòd non ipſum Cham, ſed *Chanaan*, filium ejus maledicit, qui
C. *motus eorum* interpretatur, à quo poſtea dicti ſunt Chanaæi, quos Dominus ante faciem filiorum Iſraël ejecit. Quòd ergo Chanaan maledicitur, prophetia erat: quia gens illa de loco ſuæ habitationis pellenda erat.

Benedictus Dominus Deus. ℣. XXVI.

Dilatet Deus Japheth. ℣. XXVII.

De Sem fuerunt Patriarchæ & Prophetæ cæteríque Patres veteris Teſtamenti: de Japhet gentilium multitudo, quæ in Chriſtum credit. *Dilatatus eſt*
D. *Japhet*, quia in ipſum crevit credentium ex gentibus multitudo. *Habitavit in tabernaculis Sem*: quia gratiam, quam habuerunt priores patres, gentes in Chriſtum credentes ſecutæ ſunt, & nunc cum Abraham, Iſaac & Jacob requieſcunt, fidem & hona opera illorum imitando.

Sítque Chanaan ſervus ejus

Chanaan, id eſt: Judæi ſerviunt modò fidelibus ex utroque populo, quia libros Divinarum Scripturarum non ſibi

ſed illis

Digitized by Google

ſed illis cuſtodiunt, & quaſi ſcrinarii ſunt A.
eorum.

Cap. X.

ỷ. II. *Filii Japheth.*

COmmemorat modò gentes ſeptuaginta duas, quæ à tribus filiis Noë diſſeminatæ ſunt poſt diluvium. Et primùm dicit de Japheth minore, de quo nati ſeptem filii, qui tenuerunt Septentrionalem regionem à Tauro & Amci- B.
* Cod. Teg. Tauro, Etham & Eidon. F. leg. Amano. no * montibus Ciliciæ & Aſſyriæ.

Gomer, ùt Joſephus dicit, ipſi ſunt Galatæ, qui Latinè Gallogræci dicuntur. *Magog*, quos quidam putant Maſſagetas. *Madai*, Medi, *Javan* Jones, qui & Græci, à quibus Jonium mare, & quinta eorum lingua Jonica dicitur. *Tubal* Iberes, quos Hiſpanos dicimus, *Meoſoch* Cappadoces, quorum hodieque metropolis civitas *Mazaca* dicitur. *Thiras* Thraces.

ỷ. III. *Filii Gomer Aſcenez,*

Quos Græci Reginos vocant. *Riphath* Paphlagones. *Togorma* Phryges. C.

ỷ. IV. * uterque Cod. Laban fil. *Javan * filii Eliſa*, à quo Eliſei, id eſt: Græci, qui & Hellades appellantur. *Tharſis* Cilices, quorum civitas eſt Tharſus nobilis Paulo Apoſtolo inde nato. *Cetthim* Cithii, quorum hodieque civitas Cithium appellatur, Dodanim * Rhodii.
* Cod. Garſt Dodamin. Tegerns. Dodamim.

ỷ. V. *Unusquisque ſecundùm linguam.*

Hoc per prolepſin, id eſt: per præoccupationem accipiendum eſt. Necdum enim diviſio linguarum facta erat.

ỷ. VI. *Filii Cham Chus,*

Ipſa eſt Æthiopia, *Meſraim* Ægyptus, *Phuth* Libya, unde & fluvius Mauritaniæ *Phuth* appellatur, & omnis illa regio Phuthenſis dicitur. *Chanaan*, à quo Chananæi.

ỷ. VII. *Filii Chus Saba,*

Id eſt: Arabia regio thurifera. *Hevila* pars Æthiopiæ Occidentalis. *Sabatha, Regma & Sabatacha.* Horum nomina ab uſu receſſerunt, & quæ pro eis nunc habeantur, ignoramus.

Filii Regma Saba,

Alia eſt hæc *Saba*, quàm illa, quæ ſuperiùs legitur, & differt in ſcriptura. Nam illa per *Sin*, hæc per *Samech* ſcribitur. Nam & in Pſalmo, ubi nos canimus: *Reges Arabum & Saba*, in Hebræo habetur: Reges *Saba & Saba.* Pſ. LXXI. 10.
Dadan Æthiopiæ ultima regio eſt.

*Chus genuit Nemrod *.* ỷ. VIII. * uterq. Cod. Menroth.

De hoc Joſephus dicit, quòd nova regni cupiditate tyrannidem arripuerit, ignem pro Deo coluit, & ipſe auctor extitit ædificandæ turris, cujus cacumen contingeret cœlum.

Et erat robuſtus venator coram Domino. ỷ. IX.

Venabatur enim animas ad interitum, faciens hominem ignem adorare. Alia translatio dicit: *contra Dominum.*

Babylon *confuſio* interpretatur ob ỷ. X.
linguarum confuſionem, quæ ibi facta eſt. * Vulg.
*Et Harath *.* Ipſa eſt Edeſſa Meſo- Arach.
C. potamiæ civitas. Archath *, quæ nunc * Vulg. Achad.
Niſibi dicitur. Et *Calane*: ipſa eſt Selevcia à Selevco rege Aſiæ. *In terra Sennaar*, id eſt: in Babylonia, *ubi ſunt putei bituminis.*

De terra illa, id eſt: de Sennaar, ỷ. XI.
egreſſus eſt Aſſur, id eſt: imperium Aſſyriorum, quod primum fuit ſub Nino: *& ædificavit Niniven.* Niniven eſt civitas Aſſyriorum. Ninus Beli filius ædificavit Ninum, quam Hebræi *Ninniven* appellaverunt. Interpretatur
D. autem propter pœnitentiam *Pulchra.*

At verò Meſraim genuit Ludim. ỷ. XIII.

Ludim eſt Libya, quæ priùs *Phuth* vocabatur.

Chanaan filius Cham genuit ỷ. XV.
Sidonem, à quo Sidon civitas Phœnicis.

Aradii, ipſi ſunt, qui Aradum in- ỷ. XVIII.
ſulam tenuerunt.

Sodomam & Gomorrham, ỷ. XIX.
Iſtæ civitates notæ ſunt interitu ſuæ ſub-

verſionis. *Samariten*, à quo Samaria, quæ ſic vocatur & Aſſyriis & Hebræis. Dicta eſt autem Antiochia vel Epiphania.

Amathæum. Hæc nomina ignorantur, vel quia deletæ ſunt iſtæ gentes bello Æthiopico, vel quia ignoratur, quæ nomina nunc habeant.

℣. XXI. *De Sem quoque nati ſunt*, quos nunc dicemus, *qui fuit pater omnium filiorum Heber*, & frater major minoris fratris Japheth. Ideo autem de hoc noviſſimè locutus eſt, quia B. de iſtius generatione locuturus erat, & hujus lineam proſecuturus.

℣. XXII. *Filii Sem Ælam*, à quo Æ'amitæ, id eſt: Principes Perſidis. *Aſſur.* De hoc ſuperiùs dictum eſt, quod ædificaverit Ninniven. *Arphaxad*, à quo Chaldæi, & *Lud*, à quo Lydii. *Aran*, à quo Syri.

℣. XXIII. *Filii Aran Hus*, à quo *terra Hus* in Job legitur, quam LXX. terram appellant *Auſititem* id eſt: Auſtralem. *Et Hul*, à quo Armenii. *Gether*, C. à quo Acarnani. *Meſi*, quos LXX. *Moſoch* vocant, id eſt: Mœones.

℣. XXV. *Nati ſunt Heber duo filii.*

Heber tranſitor, à quo Hebræi *tranſitores*. Veri Hebræi ſunt, qui de præſentibus ad futura, de caducis ad manſura tranſitum faciunt. *Phaleg diviſio.* Sub iſto enim facta eſt diviſio linguarum.

Cap. XI.

℣. I. *Erat terra labii unius*,

ID eſt: linguæ Hebrææ, quæ facta diviſione linguarum creditur remanſiſſe in familia Heber: qua etiam lingua Dei filius ad homines veniens prædicavit. Conveniens enim erat, ut, in qua lingua Adam diaboli ſuaſionem audierat, in eadem lingua Salvatoris perciperet prædicationem. Nec dicendum eſt, novi aliquid feciſſe Deum, quando linguarum facta eſt diviſio, ſed modos & formas locutionum diviſiſſe aliis intelle-A. ctibus. Unde & eadem verba in diverſis ſenſibus apud diverſas gentes inveniuntur. Nam *alma* apud Hebræos *ſecreta*, apud Latinos *ſancta* dicitur. *Sidera* ſtellæ vocantur à Latinis, à Græcis *ferrea.* In Græcis habetur: *rhabdo ſidera.*

Faciamus nobis turrim. ℣. IV.

Timebant, ne iterum fieret diluvium, & ideo auctore Nemrod voluerunt turrim facere altiſſimam, in qua, ſi diluvium iterum fieret, ſalvarentur. Bitumen enim aquis diſſolvi non poterat. Nulla enim re diſſolvi poteſt, poſtquam ſiccatum fuerit niſi menſtruo ſanguine.

Deſcendit, ut videret. ℣. V.

Deſcendere Deus dicitur, quando ſe ſenſibus vel operibus commodat humanis, ſicut ad Moyſen dixit: *videns vidi afflictionem populi mei & deſcendi liberare eos.* (Exod. III. 8.) Et de Sodomitis dictum eſt: *deſcendam, & videbo, utrum eum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* (Gen. XVIII. 21.) Et nota in ſequentibus hic myſterium Trinitatis commendari, cùm dicit: *deſcendamus, & confundamus.*

Myſticè turris hæc mundi ſuperbiam ſignat, ſive etiam elationem hæreticorum, qui turrim pravi dogmatis contra Deum volunt ædificare. Quæ meritò *turris Babel*, id eſt: confuſionis appellatur. *Profecti ſunt autem de Oriente*, quia verum Solem reliquerunt. *Invenerunt campum Sennaar*, qui interpretatur *fætor* vel *excuſſio dentium*: quia dogmata hæreticorum non bonum Chriſti odorem, ſed fœtorem habent, & amiſerunt dentes, quibus cibos verbi Dei commolerent.

D. *Mortuus eſt Aran & Thare in Ur Chaldæorum.* ℣. XXVIII.

Tradunt Hebræi, quòd Abraham & Aran fratres, cùm nollent ignem adorare, in ignem projecti ſunt, ex quo miſerante Deo Abraham illæſus exivit. Unde & ſæpe Deus ad illum dicit: *ego ſum Deus, qui te eripui de Ur Chaldæorum.* Aran verò igne conſumptus eſt. Ergo *Ur* non eſt nomen loci.

Duxerunt

Digitized by Google

℣. XXIX. *Duxerunt uxores.*

Abraham duxit *Sarai:* ipſa eſt *Jeſca.* Fuit enim dionomia, id eſt: binomia. Cujus ſoror fuit Melcha, quam duxit Nachor.

Cap. XII.

℣. III. *Benedicam benedicentes te, & maledicam maledicentibus te.*

DUæ repromiſſiones factæ ſunt ad Abraham:. una terrena, qua ei terra Chanaan repromiſſa eſt, cùm dictum eſt: *egredere de terra tua & cognatione &c.* Alia, quæ major eſt & B. ſpiritalis, qua dictum eſt: *benedicam tibi*, ut eſſet videlicet pater Chriſti & omnium in Chriſto credentium. Sed & hoc notandum, quia jam egreſſus fuerat de terra ſua, quando ei dictum fuerat: *egredere de terra tua.* Sed ibi egreſſus corpore, hìc verò mente & voluntate. Fortaſſis adhuc habebat affectum revertendi illuc, quando dictum eſt: *egredere.*

In te benedicentur univerſæ cognationes tuæ: quia de ipſo Chriſtus erat naſciturus, per quem cunctæ generationes benedictionem percipere debuerant.

℣. IV. *Egreſſus eſt Abraham, & cum eo Lot.* C.

Scilicet mente definiens, ut nunquam illuc rediret. Superiùs exierat corpore, nunc verò mente præcipiente Domino.

℣. VI. *Pertranſivit usque ad locum Sichem.*

Sichem civitas eſt, quæ à quibusdam corruptè *Sichar* dicitur. Interpretatur autem *humerus. Convallem illuſtrem* Pentapolin dicit, quæ nunc eſt *mare ſalis*, & *mortuum* dicitur, & *Lacus Aſphalti* & *Lacus Salinarum.*

℣. VII. *Apparuítque Dominus Abraham.*

Rectè ei Dominus apparuit, qui renuntians idolatriæ altare Domino ædificavit.

℣. VIII. *Ab Occidente habens Bethel, ab Oriente Hai.*

Bethel civitas eſt in tribu Benjamin, quæ antea *Luza*, id eſt: *amygdalus* vocabatur. *Hai* civitas in tribu Juda eſt A. conſtituta. *Bethel* interpretatur *Domus Dei*, quæ poſtea *Bethaven* vocata eſt, id eſt: *domus idoli.* Hai *oculus* vel *fons* interpretatur. Ergo Patriarcha tendens ad terram promiſſionis tetendit tabernaculum inter Bethel & Hai: quia Sancti omnes fonte Baptismatis regenerati, & curſum hujus vitæ circumſpectè agentes, ad Dei tabernaculum & ad cœleſtem properant civitatem.

Dic, obſecro, quòd ſoror mea ſis. ℣. XIII.

Quærunt quidam, cur ſanctus Patriarcha mentiri voluerit, ut diceret Saram ſororem ſuam, & non potiùs hoc Deo commiſerit, qui & ejus vitam & illius ſervare poterat caſtitatem. In quo oſtenditur, quia quamdiu habemus, quod ex ratione faciamus, non debemus Deum tentare, ſed ipſi noſtræ ſaluti providere. Quodammodo Deum tentâſſet, ſi eam uxorem ſuam confeſſus fuiſſet, duas Deo res comittens, ſuam vitam & illius caſtitatem. Fecit ergo pro vita, quod potuit: quod verò non potuit, Deo commiſit: certus, ſi vellet, etiam apud Pharäonem ejus pudicitiam conſervare poſſet.

Tranſlata eſt in domum Pharäonis. ℣. XV.

Excuſari poteſt Sara in hoc, quòd in domum Pharäonis tranſlata eſt invita vel coacta, non ſolùm in hoc, quia non coinquinatur corpus niſi ex conſenſu mentis, ſed etiam in hoc, quòd connivente & permittente viro factum eſt hoc. Quæritur etiam, quomodo apud Pharäonem tam diu intacta manere potuerit. Dicitur enim: *Abraham benè uſi ſunt propter eam, & fuerunt ei boves, oves* D. & familiæ. Sed ad ſolvendam hanc quæſtionem valet & hoc, quod in libro Eſther legitur, quia puellæ, quæ Aſſuero regi adducebantur, non ſtatim introducebantur ad regem, ſed anno uno cuſtodiebantur, & ſex menſibus ungebantur oleo myrtino, & ſex aliis menſibus diverſis ungentis. Potuit ergo fieri, ut per has inducias longi temporis Sara manſerit incorrupta, & interim benè uſi ſunt Abraham Ægyptii, donec à Deo flagellaretur, & cognita, quòd uxor ejus eſſet, reſtitueret eam illibatam. *Eſther. II. 12.*

Cap. XIII.

ỷ. I. *Aſcendit autem de Ægypto*, usque: *erat dives valde.*

ALia translatio dicit: *aſcendit de Ægypto gravis valde*, quod benè Myſterio convenit. Sancto enim viro Ægypti divitiæ graves ſunt. Ægyptus enim *tenebræ* vel *mæror* interpretatur.

ỷ. VIII. *Fratres enim ſumus.*

Tribus enim modis in Scriptura ſancta *fratres* vocantur: natura ſicut Jacob & Iſaac: cognatione ſicut Abraham & Lot. Lot enim filius fuerat fratris ſui Aran: gente ſicut omnes Judæi fratres B. dicuntur dicente lege: *ſi attenuatus frater tuus Hebræus vendiderit ſe tibi.* (Levit. XXV. 25.) Et attendendum, quanta cura concordiæ ſancto viro fuerit, propter quam cuſtodiendam optionem dedit Lot, ut aut ipſe pergeret illo remanente, aut certè ſi ipſe alibi vellet recedere, ipſe ibi maneret.

ỷ. X. *Irrigabatur*, ſubauditur, à Jordane, *ſicut eſt Paràdiſus Domini.*

Ex hoc diſcimus, Paradiſum eſſe terrenum, cui terrena regio comparatur. Hæc regio plana erat & campeſtris, irrigabatur Jordane fluvio, ſicut Ægyptus Nilo.

Elegítque Lot ſibi regionem circa Jordanem &c.

Allegoricè Lot cum ſuis paſtoribus typum tenet hæreticorum, qui relicta veritate Eccleſiaſtici dogmatis eligunt ſibi pulchra & humilia, quia non rectè de veritate fidei ſentiunt, nec ad Deum cum Moyſe in montem aſcendunt.

Sodoma *pecus ſilens* interpretatur.

ỷ. XIII. *Homines Sodomitæ peſſimi erant & peccatores coram Domino.*

Nam & coram hominibus peſſimi erant. Coram Deo peccator eſt, qui coram hominibus utcunque juſtus apparet. Unde & de Zacharia & Eliſabeth dicitur: *erant juſti ambo coram Domino Deo ſuo.* (Luc. I. 6.)

ỷ. XIV. *Leva oculos,*

Id eſt: aſpice. Per hæc quatuor climata terra promiſſionis ei promittitur. A. Quod autem in quibuſdam locis *mare* ponitur pro *Occidente*, ideo fit, quia terra repromiſſionis in mari occidentali eſt.

Juxta convallem Mambre. ỷ. XVIII.

Quod eſt in Hebron. *Hebron* civitas eſt in tribu Juda, quæ alio nomine *Cariatharbe* dicitur, id eſt: *civitas quatuor. Cariath* enim Hebraicè civitas: *arbe* quatuor. Ibi enim ſitus eſt Adam maximus, & Abraham & Iſaac & Jacob. *Convallis Mambre* ab uno amicorum Abraham dicta eſt, qui Mambre vocabatur.

Cap. XIV.

Factum eſt autem in illo tempore, ut Amraphel Sennaar &c. ỷ. I.

QUatuor reges injerunt bellum contra quinque. Hi quatuor reges myſticè ſignificant adverſarias poteſtates, quæ per carnem, quæ quatuor humoribus conſtat, in quinque ſenſus corporis dominari quærunt. *Amraphel* interpretatur: *dixit, ut caderet*, & eſt *rex Sennaar*, qui, ùt ſuperiùs diximus, interpretatur *excuſſio* vel *fætor dentium.* C. Significat hæreticos, qui ex propoſito peccant & cadunt contra Deum perverſa loquentes, & obſcœni dogmatis fœtorem emittentes. *Arioch ebrius* vel *ebrietas* interpretatur. Significat gentiles, qui poculo erroris ebriati creaturam pro creatore colunt. *Cohdorlachamor* interpretatur *decorus* vel *manipulus.* Ponitur in ſignificatione hypocritarum, qui, cùm ſint pleni malitia, vulgo decori putantur virtutibus. Eſt *rex Elamitarum*, id eſt, ſeculi vel Orbis. *Thadal* interpretatur *ſciens jugum.* Præſignat avaritiam, cujus jugum ſciunt avari libenter D. ferre. Eſt *gentium rex*, quia avaritia maximè gentibus dominatur.

Inirent bellum contra Bara. ỷ. II.

Bara *malitia* vel *creatura* interpretatur. Eſt *rex Sodomorum*, id eſt *pecudis ſilentis. Berſa* interpretatur *in anguſtia*, & eſt *rex Gomorrhæ*, quæ interpretatur *populus timens. Sennaar* * interpretatur *excuſſio* vel *fætor dentium*, & eſt proprium nomen hominis. Eſt *rex Adamæ*, quæ interpretatur *terrena.*

* *Vulg.* Sennaab.

Semeber

Digitized by Google

Semeber *ibi perditio* interpretatur. Eſt *rex Sebon*, quæ interpretatur *vinculum mœroris*. *Bale* civitatula interpretatur *vorago* vel *præcipitatio*. Vocatur etiam *vitula conſternans*. Ferunt enim Hebræi hanc tertio terræ motu corruiſſe. *Ipſa eſt Segor*, id eſt: *parvula*.

℣. III. *Vallem ſylveſtrem* Sodomam dicit, quæ nunc eſt *mare ſalis*, lacus videlicet, quæ poſt combuſtionem ignis cœleſtis in lacum verſa eſt, in quem lacum cadit Jordanis, & ibi perdit laudabiles aquas ſuas.

℣. V. *Percuſſerunt Raphaim.*

B. Id eſt: gigantes, qui Raphaim *gigantes* interpretatur. *Carnaim* & *Guttim* * nomina locorum ſunt & gentium. *Seir* per prolepſin dicitur. Necdum enim locus ille ſic vocabatur. *Seir ipſe eſt Edom*, qui & *Eſau*, interpretatur *hiſpidus*, *ſetoſus*, qui in modum pellis natus eſt, à quo regio, quam poſſedit, Seir vocata eſt.

* *Vulg.* Zuzim.

℣. VII. *Ad fontem Miſphat, ipſa eſt Cades.*

Cades *judicium* interpretatur. Ibi enim judicatus eſt murmurans populus. C. Interpretatur etiam *ſancta* cata antiphraſin, id eſt: per contrarium. *Fontem* petram dicit, de qua Moyſes aquam produxit. *Percuſſerunt Amorrhæum, qui habitabat in Aſaſonthamar*. Aſaſonthamar *urbs palmarum* interpretatur.

℣. XIII. *In Convalle Mambre, fratris * Aner & Eſcol.*

* *Codd. ambo.* fratres.

Mambre proprium nomen eſt. Hi tres fœdus injerant cum Abraham.

℣. XIV. *Numeravit expeditos vernaculos.*

Expeditos, id eſt: ſine uxoribus. *Perſecutus eſt eos usque Dan.* Dan fons eſt, ex quo Jordanis efficitur. Nam duo fontes ſunt ad radices montis Libani Jor & Dan, qui juncti Jordanem efficiunt. Dan autem *judicium*: Jor *rivus* interpretatur.

Usque ad Phœnicem. Phœnicem Syriam dicit.

Allegoricè hoc bellum Abrahæ contra quatuor reges bellum ſignificat virtutum & vitiorum. Pater ergo fidei & prima via credendi Abraham pro fratre A. ſuo Lot contra quatuor reges dimicavit & vicit non in multitudine exercitus, ſed in trecentis decem & octo vernaculis expeditis. Sic unusquisque noſtrûm pro anima ſua tanquam pro fratre ſuo Lot contra quatuor reges, id eſt: contra ſpiritales nequitias ſpiritale bellum gerat cum trecentis decem & octo vernaculis, id eſt: cum auxilio ſanctæ crucis. Hic numerus in Tau littera, quæ figuram Chriſti habet, exprimitur.

Melchiſedech proferens panem & vinum. ℣. XVIII

Hunc Melchiſedech tradunt eſſe Sem filium Noë, & computantes annos dicunt eum vixiſſe usque ad tempus Iſaac. *Salem* verò civitas ipſa eſt Hieruſalem, trionyma *Salem*, *Jebus*, *Hieruſalem*. Hanc enim tenuerunt Jebuſæi, & vocaverunt eam *Jebus*: ſic conjunctis nominibus dicta *Hieruſalem*.

Erat Sacerdos Dei altiſſimi.

Omnes enim primogeniti à Noë ſacerdotes fuerunt usque ad Aaron, qui primus legalis ſacerdos fuit.

Myſticè Melchiſedech, qui interpretatur *rex juſtitiæ* vel *pacis*, Chriſtum ſignificat, per quem conciliati ſumus, & qui in fine ſeculi juſtè Orbem judicaturus eſt. Hujus myſterium Apoſtolus commemorat dicens: *ſine patre & ſine matre, ſine genealogia*. Hebr. VI. 3. Melchiſedech quidem patrem & matrem habuit, ſed Chriſtus, quem ſignificat, ſine patre fuit per humanitatem, ſine matre per Divinitatem. Natus eſt enim de patre ſine matre, de matre ſine patre.

Protulit panem & vinum.

Hinc jam præſignabatur mutatio legalis ſacerdotii. In novo enim Teſta- D. mento ſacrificium victimarum tranſlatum eſt in Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. Ergo hoc verum Chriſti Sacerdotium antiquius eſt ſacerdotio legali. Melchiſedech enim, qui, ùt Abraham, gentilis erat, Levi verò princeps legalis ſacerdotii adhuc erat in lumbis Abrahæ, & qui poſtea accepit decimas à populo, ipſe in Abraham decimatus eſt, quique poſtea benedicebant, in Abraham à Melchiſedech benedicti ſunt. Semper autem minor à majore benedicitur.

Digitized by Google

Da mihi animas, id eſt: captivos redde mihi. *Cætera*, id eſt: ſpolia tolle tibi.

A filio ſubtegminis. Stamen illa dicimus ſtantia in tela, ſubtegmen tramam, quæ per tela * currit, quæ & pannicula vocatur.

Cap. XV.

Filius procuratoris domus, id eſt: villici vel diſpenſatoris. *Eliezer* interpretatur *Deus meus adjutor*. Ab hoc dicunt ædificatam civitatem Damaſcum.

ỳ. III. *Vernaculus* diminutivum à verna, id eſt: ſervus vel domigena.

ỳ. V. *Numera ſtellas. Sic erit ſemen tuum.*

Gemina ſpecies oſtenditur ſeminis Abrahæ. Nam ſuperiùs dixit: *erit ſemen tuum ſicut arena maris.* Hic verò dicit: *ſic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cœli:* quia in illa plebe quidam futuri erant carnales & terreni, qui arenæ comparantur, aridi, infœcundi à bonis operibus: alii verò ſpiritales & cœleſtes, virtutum ſplendore fulgentes, quos ſtellis cœli comparat.

ỳ. VIII. *Unde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſim eam?*

Quærit ſignum non quaſi dubitans de promiſſione Dei, ſed modum interrogat, quo hoc fieri poſſet. Hinc mos inolevit Judæis, ut ſemper ſigna petant, ſicut Apoſtolus dicit: *Judæi ſigna petunt.* 1.Cor.1.22.

ỳ. IX. *Sume vaccam triennem, capram trimam, & arietem trium annorum.*

Hæc juxta litteram manifeſta ſunt. Myſticè per hæc animalia plebs Judaica deſignatur, quæ ab Abraham ducit originem. Per *vaccam* quidem, quia jugum legis traxit: per *capram* olidam & fœtoſam, quia peccatrix futura erat: per *arietem* verò, qui eſt dux gregis, ſignificatur, quia alio tempore regni imperium potentiſſimè tenuit. Quod verò dicit: vel capram, vel vaccam, vel arietem *trium annorum* eſſe debere, oſtendit hanc plebem trium temporum articulis ad regni dignitatem profeciſſe ſub David. Prima ætas fuit ſub Adam uſque ad Noë, ſecunda à Noë uſque ad Abraham, tertia ab Abraham uſque ad David. Quòd verò animalia *diviſa* ſunt, *aves* verò *non ſunt diviſæ*, ſignificat, quia carnales quique ſubjacent diviſioni. Dividuntur enim per ſectarum ſcandala. Spiritales verò, qui ſignificantur per aves, indiviſibiles permanent, quia nullam fidei patiuntur corruptionem.

Volucres, quæ deſcendebant ſuper cadavera, dæmones ſignificant, qui ex diviſione carnalium quendam ſibi paſtum requirunt. Quòd verò *Abraham manu eas abigebat*, ſignificat, quia ſancti Patres plebem illam manu ſanctæ operationis protegebant ab incurſu ſpiritalium vel corporalium hoſtium. ỳ. XI.

Cúmque Sol occumberet. ỳ. XII.

Solis occubitus finem ſeculi ſignificat, quando per Antichriſtum *tenebroſus horror*, id eſt: perſecutio vel perturbatio futura eſt.

Affligent eos quadringentis annis. ỳ. XIII.

Afflicti ſunt ab Ægyptiis, ſed ultima parte tantùm iſtius temporis.

Generatione quarta revertentur huc. ỳ. XVI.

Moyſes dicit: *quinta* generatione egreſſi ſunt filii Iſraël de Ægypto. Hic verò dicit: *generatione quarta.* Sed utrumque verum eſt. Nam ſi per Levi computes, quartam invenies generationem ita: Levi, Caaz, Caaz genuit Amram, Amram genuit Aaron, Aaron genuit Eleazar, Eleazar genuit Phinees. Caaz ingreſſus eſt Ægyptum cum patre ſuo Levi: Phinees verò filius Eleazari ingreſſus eſt terram repromiſſionis. Si verò & quomodo quinta generatione hoc factum ſit, velis ſcire, per Judam computare debebis. Judas genuit Phares, Phares genuit Eſrom, Eſrom genuit Aminadab, Aminadab genuit Naaſon, Naaſon genuit Salmon. Judas ingreſſus eſt cum filio ſuo Phares in Ægyptum. Naaſon verò princeps fuit tribus Judæ in deſerto, cujus filius intravit in terram promiſſionis.

Cùm oc-

Digitized by Google

℣. XVII. *Cùm occubiſſet Sol.*

Occubitus Solis finem ſeculi ſignificat, *caligo tenebroſa* tribulationem & anguſtiam, quæ futura erat. *Clibanus* vel *lampas ignis tranſiens per diviſiones* ſignificat judicium, quod per ignem exercendum eſt, quo ſeparandi ſunt electi à reprobis.

℣. XVIII. *A flumine Ægypti.*

Fluvium Ægypti non Nilum debemus accipere, ſed Rinocoluram fluviolum, qui dividit Paleſtinam & Ægyptum.

Cap. XVI.

℣. I. *Igitur Sara uxor Abraham non* B. *genuerat liberos.*

QUomodo poteſt Abraham excuſari ab adulterio, qui vivente uxore ſua ancillæ junctus eſt? Sed necdum promulgata erat lex Evangelii unius uxoris. Simul etiam audierat multiplicandum eſſe genus ſuum ſicut ſtellas cœli, ſed neſciebat, per quam mulierem, quia Saram ſterilem noverat. Non ergo fuit in concumbendo libidinoſa voluptas, ſed pia propagandæ prolis charitas. Simul etiam dicendum, quia hoc voluntate nimiæ cogentiæ uxoris fecit, quæ, quia ipſa filios habere non poterat, ex alia C. eos ſuſcipere cupiebat.

℣. II. *Sed fortè ex illa ſuſcipiam filios,*

Ut illa pariente filium ſuſciperet, & in locum proprii adoptaret.

℣. IX. *Vocabis nomen ejus Ismaël,*

Qui *auditio* interpretatur. Quia enim Angelus dixit: *eò quòd audierat Dominus vocem tuam*, hinc ſumpta etymologia vocatus eſt Ismaël, id eſt: *auditio.*

℣. XII. *Hic ferus homo erit,*

Id eſt: agreſtis & ruſticus. Pro quo LXX. dicunt: *hic erit Phara. Phara* in- D. terpretatur *onager*, ſignificans autem Sarracenos, qui de Ismaël ducunt originem, qui per latam ſolitudinem incertis ſedibus vagantes impugnant omnes eremi vicinos, & ab omnibus impugnantur.

Galat. IV. 22. & ſeq. Allegoricè hæ duæ mulieres exponente Apoſtolo Synagogam & Eccleſiam ſignificant. Agar quidem Synagogam, quæ in ſervitutem generat populum Judæorum, qui feri ſunt & agreſtes, ju- A. gum Domini leve & fidem ejus nolentes recipere, ideoque diſperſi & vagabundi ſunt per totum Orbem, & omnibus, maximè Chriſtianis contrarii. Sara verò Eccleſiam, quæ primum ſterilis & infœcunda fuit, poſtea verò in libertatem fidei & gratiæ plebem Catholicam generavit.

Tu Deus, qui vidiſti me. ℣. XIII.

Hoc eſt: qui miſertus es mihi. Videre enim Dei miſereri eſt. Quod autem hic dicit: *vidi poſteriora videntis me*, concordat cum eo loco, ubi Dominus ad Moyſen dixit: *non enim videbit me homo & vivet.* Exod. XXXIII. 20. Ac deinde: *eſt locus apud me: ſtabis ſupra petram. Cùm pertranſiero, auferam manum meam, & videbis poſteriora mea.* Illam enim ſapientiam, quæ eſt Deus, inviſibilem omni creaturæ profectò nullus videre poteſt. *Poſteriora* autem Dei myſterium eſt incarnationis Chriſti, per quam videri ab hominibus potuit. Unde & benè dixit: *cùm pertranſiero.* Nam tranſire hominis eſt.

Cap. XVII.

Non vocaberis Abram, ſed Abraham. ℣. V.

A*Bram* interpretatur *pater excelſus: Abraham* verò *pater multarum gentium.* Tradunt Hebræi, quòd de nomine Dei, quod quatuor litteris ſcribitur, unde & tetragrammaton vocatur & ineffabile dicitur, *he* litteram ſcripſerit Deus, & addiderit nomini Abraham. Similiter de nomine Sarai *jot* litteram tulerit, & eandem *he* addiderit. Nec mirum, ſi nos pro *he a* habemus, quia Hebræi pro *he* ſcribunt, ſed per *a* pronuntiant. Vocatur autem Abraham *pater multarum*, ſubauditur: *gentium:* quia omnes gentes in ejus ſemine, id eſt: in Chriſto crediture erant. *Sarai* verò interpretatur *princeps mea. Sara* abſolutè *princeps*, ut ſubaudias: omnium animarum in Chriſtum credentium.

Fœdere ſempiterno. ℣. VII.

Quærunt multi, quomodo dictum ſit *ſempiternum fœdus*, cùm nequaquam in æternum duraverit. Sed hìc *ſempiternum* pro *ſeculari* ponitur, quòd Græcè *eonion* dicitur. *Eon* enim Græcè

tam ſem-

tam ſempiternum quàm ſeculare vel temporale poteſt accipi. Vel magis propter ſpiritalem ſignificationem dicitur *fœdus ſempiternum:* quia fœdus Chriſti & in ævum fidelium credentium, qui ſunt ſpiritales filii Abraham, nullo fine terminabitur.

℣. X. *Circumcidetur omne maſculinum in vobis.*

Jure Abraham lex iſta conſtituta eſt, ut, quia primus homo per prævaricationem mandatorum Dei diſplicuerat, Abraham ſignum fœderis eſſet inter Deum & hominem *. Secundò ut per hanc à cæteris nationibus diſcernerentur in corporibus. Tertiò ut hanc eo membro ſuſcipientes, in quo dominari libido ſolet, diſcerent caſtitatem ſibi ſervandam, & omnem impudicitiam recidendam.

* *Cod. Teger.* & Abraham. *Idem ſcripſerat prima manu in Cod. Garſt. ſed alia antiqua correxit:* hominem.

℣. XII. *Tam vernaculus, quàm emptitius.*

Sive ſervi, qui dominati ſunt, ſive qui ex emptione venerunt. Et quia Dominus omnium eſt creator, nullum excipit à ſalute, nec cujusquam accipit perſonam, ſed omnium miſeretur.

℣. XIV. *De populo ſuo.*

Id eſt: de cœtu Sanctorum. Unde & legimus: *tu autem ibis ad populum tuum, quia pactum meum irritum fecit.* Pactum ſcilicet illud, quod Adæ in Paradiſo datum eſt, *in quo omnes peccaverunt.* Omnes enim cauſaliter in Adam fuimus, & ideo originalis peccati rei ſumus. Hæc autem circumciſio, quæ in uno membro fiebat, ſignificat circumciſionem ſpiritalem, quæ in corde & in omnibus membris exhibenda eſt. Circumcidendum eſt cor à noxiis cogitationibus, circumcidendi ſunt oculi, ne videant vanitatem, circumcidendæ ſunt aures, id eſt: obturandæ, ne audiant ſanguinem, & ſic in omnibus ſenſibus celebranda eſt circumciſio.

Rom. III. 12.

℣. XVII. *Riſit,*

Non dubitatione, ſed gaudio credens promiſſioni Dei. Unde & filius ejus Iſaac, id eſt: *riſus* vocatus eſt. Sara verò poſtea incredulitate riſit, unde & increpari meruit.

℣. XX. *Super Iſmaël quoque exaudivi te.*

Diximus ſuperiùs *Iſmaële* Judæos ſignificari, qui aucti ſunt carnali generatione in immenſam multitudinem. Unde per Prophetam dicitur: *gloria ejus ab utero & vulva, & à conceptu.* *Oſe. IX. 11.*

Duodecim Duces generabit,

Id eſt: duodecim Apoſtolos, maximos Duces Eccleſiæ, qui ex illo populo nati ſunt. Vel duodecim duces dicit duodecim ipſius populi tribus.

Pactum meum ſtatuam cum Iſaac. ℣. XXI.

Quia miſericordia & gratia ejus in populo eſt Chriſtiano.

B. *Circumcidit Iſmaëlem & cunctos mares.* ℣. XXIII.

Quæri poteſt, ſi mares circumciſione ſalvabantur, fœminæ quomodo ſalvabantur, quæ non circumcidebantur? Utique fide & hoſtiarum oblatione, quomodo & per ante dictum præceptum circumciſionis ſancti homines mundabantur, juxta quod Paulus dicit: *fide purificans corda.* *Act. X. 9.*

Cap. XVIII.

C. *Apparuit ei Dominus in convalle Mambre.* ℣. I.

Quæri poteſt juxta litteram, ſi Abraham Angelos intelligebat eſſe, qui in figura hominum apparebant, cur eis ea, quæ mortalibus conveniunt, obſequia præparavit? Fortaſſis quia primò homines eſſe credebat, poſtea verò ex his, quæ ab illis dicta ſunt vel facta, Angelos intellexit. Intelligebat eos eſſe Angelos, cùm eos ad cœlum redire videbat, ſicut in libro Judicum de Manue legimus, qui primò videns Angelum hominem eſſe putavit dicens: *tu es ille vir, qui locutus es mulieri?* Cúmque ei humanitatis causâ hœdum feciſſe voluiſſet, dicit ei Angelus: *ſi cogis me, non comedam. Sin autem: offer illud Domino.* Cúmque hoc feciſſet, & flamma ſacrificii aſcenderet, Angelus in flamma pariter aſcendit. Cæterùm de Sara nulli dubium, quòd homines eſſe putabat. Nam & negare auſa eſt, quod Angelus dixit ad Abraham: *cur riſit Sara uxor tua?* Negavit enim, & dixit: *non riſi.* *Judic. XIII. 11.*

D. Myſticè Abraham triplicem geſſit figuram, Dei videlicet Patris in eo, quòd Iſaac

Digitized by Google

Iſaac obtulit. Geſtat & figuram Filii in eo, quòd de domo ſua & cognatione exivit. Hic verò unamquamque ſanctam ſignificat animam, quæ Deum in hoſpitio ſuæ mentis cum gaudio ſuſcipit. Tres viros, qui ei apparuerunt, quidam interpretantur Chriſtum & ipſum Moyſen & Eliam, qui etiam cum eo in monte transfigurati apparuerunt. Tunc ergo Dominus venit, quando myſterium incarnationis Abrahæ oſtendit: quia lex, quæ per Moyſen data eſt & Prophetia, quæ per Eliam deſignatur, ſemper ejus prædixerunt adventum.

℣. VI. *Accelera tria ſata ſimilæ.*

Satum genus eſt menſuræ. *Tria ſata* tres ſignificant filios Noë, à quibus diſſeminatum omne genus humanum poſt diluvium. Per *tria ſata* ſignificabatur Eccleſia & doctrina Evangelica per tres mundi partes diſſeminanda. Hinc & in Evangelio mulier, id eſt: Eccleſia dicitur accepiſſe fermentum Evangelicæ doctrinæ & abſcondiſſe illud
Luc. XIII. 21. *in tribus farinæ ſatis*, id eſt: in tribus mundi partibus, Aſiæ, videlicet, Affricæ, Europæ, *donec fermentaretur totum*, id eſt: donec omnis mundus crederet. *Panis* ſignificat unitatem credentium: quia panis ex multis granis conficitur. *Azymi* verò fuerunt: quia unitas ſanctæ Eccleſiæ incorrupta eſt. *Subcinericei*, verò: quia Sancti per potentiam igne Spiritus decocti ſacrificium vel eſcam delectabilem ſe ipſos Deo faciunt. *Vitulus de armento* Chriſtus eſt ſecundùm humanitatem ex patribus, de quo per Pſalmiſtam
Pſal. LXVIII. 32. dicitur: *placebit Deo ſuper vitulum novellum.*

℣. VIII. *Tulítque butyrum & lac.*

Lac cibus infantiæ eſt, ideoque deſignat veterem legem. *Butyrum* verò pingue & coagulatum doctrina eſt Evangelica ſolido cibo Sanctos reficiens. *Vitulus coctus* Chriſtum paſſum ſignificat.

Stabat ſub arbore.

Arbor crucem ſignificabat, *ſub qua Abraham ſtabat:* quia myſterium paſſionis Chriſti inſpirante Deo jam contemplabatur.

℣. IX. *Ecce in tabernaculo eſt.* Abraham foris cum Angelis erat: Sara in tabernaculis latebat: quia ſapientium & Doctorum eſt apertè prædicare, exemplis alios inſtituere. Infirmi verò quique & minùs docti ſe apud ſe continere debent & doctoribus ſubdi.

℣. XI. *Deſierant*, id eſt: ceſſaverant, *Saræ fieri muliebria*, id eſt: menſtrua, quod cùm contingit mulieri, inhabilis jam eſt ad procreandos filios.

℣. XX. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt.*

Ut beatus Gregorius dicit, peccatum cum voce eſt peccatum in actione: peccatum autem cum clamore eſt peccatum cum libertate. Quia ergo Sodomitæ liberè & inverecundè omnem impudicitiam exercebant, imò in peſſimis ſceleribus lætabantur, & exultabant, ideo *clamor* eorum dicitur perveniſſe ad Deum.

℣. XXI. *Deſcendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.*

Clamor quidem ad Deum pervenerat, ſed non ſtatim puniuntur, niſi Angelus deſcendiſſet & vidiſſet utrùm hoc perpetrâſſent. Mox autem ut inventum eſt, abſque dilatione miſſo cœlitus igne conſumpti ſunt. Ubi docemur, non facile auditis quorundam criminibus credere: ſtatim verò, ut res probata fuerit, continuò ultio ſubſequitur. Quod autem dicitur: *deſcendam, & videbo*, more noſtro Deus loquitur tanquam dubitans & ignorans, cùm tamen ipſe ſanctam & ratam habeat ſcientiam.

℣. XXVI. *Non delebo propter quinquaginta.*

Quinquagenarius numerus dicatus eſt pœnitentiæ. Unde & quinquageſimus Pſalmus in pœnitentia cantatus eſt. Quod ergo dicit: *non delebo propter quinquaginta*, oſtendit potuiſſe eos ab im-

Digitized by Google

ab imminenti interitu liberari, ſi ad pœnitentiam confugere voluiſſent. Quòd autem paullatim deſcendendo ad *decem* pervenit, oſtendit, neminem poſſe ſalvari, niſi eum, qui Crucem Chriſti ferre, eúmque ſequi ſtuduerit, & decem legis præcepta impleverit. Denarius enim Crucem Chriſti deſignat: quia decima littera, qua denarius numerus exprimitur, figuram habet Crucis.

Cap. XIX.

℣. I. *Occurrit obviam eis*

EX hoc & ex multis aliis Scripturarum locis virtus hoſpitalitatis commendatur, de qua & beatus Apoſtolus Petrus * dicit: *hoſpitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim placuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis.*

* Paulus. Hebr. XIII. 2.

℣. VIII. *Habeo duas filias*

Quæri ſolet, utrum hæc compenſatio fieri debeat, ut videlicet minus peccatum fieri permittamus, ut gravius delictum vitetur. Ecce enim Lot filias ſuas inceſtui tradere voluit, ne majus peccatum contra naturam in viros committeretur. Sed hoc perturbato animo dare debemus. Neſciens ergo, quid ageret, vel quò * hoſpites, quos homines putaret, hoc egiſſe credendum eſt.

* C. T. quos hoſp.

℣. XI. *Percuſſeruut cæcitate.*

Quoddam genus cæcitatis eſt, quod Græcè *aoraſia* dicitur, id eſt, avidentia, qua quædam videntur, quædam non videntur. Sodomitæ ergo alia videbant, ſed oſtium Lot videre non poterant.

Moraliter *Lot* juſtos ſignificat, *Sodomitæ* invidos & detractores deſignant, qui quodammodo *oſtium quærunt*, per quod ad Lot irrumpant, quando homines bona facta reprehendere volunt, ſed non poſſunt invenire aditum reprehendendi, quia illo virtutis clauſtro munito, corruptores mentium nihil habent, quod reprehendant.

℣. XIV. *Locutus eſt ad generos ſuos.*

Quidam putant Lot habuiſſe filias, quæ viros haberent, quos appellavit *generos*, & illas cum maritis in Sodomis remanſiſſe, duabus aliis, quæ ſine maritis erant, cum patre egreſſis. Sed alia translatio dicit apertè: *locutus eſt ad*

A. *ſponſos, qui accepturi erant filias.* Ergò nondum erant generi, ſed eſſe volebant.

Salva animam tuam. ℣. XVII.

Allegoricè Lot fuga de Sodoma, quæ juxta aliam ſignificationem cæcitas interpretatur, ſignificat abrenuntiationem cupiditatum & illecebrarum ſeculi. Præcipitur ergo Lot, ut fugiat incendium Sodomæ, & ne retro aſpiciat: quia omnis poſt perceptam gratiam vias vitæ ingreſſus non debet ad ea, quæ dereliquit, iterum redire, juxta quod Dominus dicit in Evangelio præcipiens: *In*

B. *illa die, qui fuerit in tecto vel in agro, non redeat retro.* Exemplum quoque commemorans uxoris Lot, quæ cum retro reſpiceret, in ſtatuam ſalis verſa remanſit, ſignificans eos, qui poſt profeſſam * ſervitutis Dei relabuntur ad concupiſcentias ſeculi. Unde & meritò *in ſtatuam ſalis* verſa fuiſſe dicitur: quia ſuo exemplo veluti ſalis condimento mentes legentium vel audientium, ne talia patiantur, edocet.

Luc. XVII. 31.

* *Ita utera que cod.*

Eſt civitas parva, ℣. XX.

Id eſt: *Segor*, quæ antea *Bale* dice-

C. batur, ſecundùm quod dixit: *Eſt civitas parva, quæ vocata eſt Segor*, id eſt: *parvula.*

Myſticè *mons* celſitudinem virtutum ſignificat, ad quem nos Angelus cohortatur dicens: *In monte ſalvum te fac*, ſicut verbi gratia eſt contemptus omnium facultatum. Ad quam perfectionem Dominus invitat dicens: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me, & habebis theſaurum in cœlo.* Qui verò ſe viderit ad hunc montem non poſſe

D. conſcendere, melius eſt, ut *in Segor*, hoc eſt: in *parvula* remaneat contentus laicali vita & communi converſatione, quàm poſt arreptum virtutis montem ad humilia, id eſt, ad ſecularia redeat. Virginitas quoque celſiſſimus mons eſt ad quem Doctor gentium hortatur dicens: *Bonum eſt homini, ſi ſic permanſerit, ſicut & ego.* Hortatur ergo Angelus Lot, ut ad hunc montem conſcendat fugiens incendia libidinum. Sed qui ſe viderit hoc non poſſe ſervare, deſcendat ad *Segor*, hoc eſt: utatur legitimo conjugio: quia melius mediocri bono

Matth. XIX. 21.

Cor. VII. 8.

Digitized by Google

bono uti, quàm per abrupta libidinum præcipitari. Unde & Dominus Apoſtolis dicentibus: *Si ſic eſt cauſa uxoris, non expedit nubere*, reſpondit: *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt: qui poteſt capere, capiat.* Et Apoſtolus: *Propter fornicationem*, inquit, *unuſquiſque ſuam uxorem habeat.*

Matth. XIX. 10. — *1. Cor. VII. 2.*

℣. XXIV. *Pluit Dominus ignem & ſulphur de cœlo.*

Ignis ardorem habet: *ſulphur* fœtorem. Quia ergo iſti flamma libidinis arſerant, & in fœtore carnis verſabantur, juſtè ſimul *igne & ſulphure* perierunt. Conſiderandum hoc loco, quòd primos peccatores aqua diluvii exterminavit, quia & ipſi ſimiliter carnis concupiſcentia Deum offenderant. Sodomitæ verò graviori ſupplicio, id eſt: ignis & ſulphuris diluvio perierunt: quia illi licèt menſuram excederent, naturaliter tamen peccabant cum fœminis: iſti verò irrationabiliter & contra naturam: ideo graviſſimo ſupplicii exemplo damnati ſunt.

℣. XXIX. *Recordatus eſt Abraham.*

His verbis oſtenditur, meritis Abrahæ Lot fuiſſe liberatum, licèt Scriptura eum appellet eſſe *juſtum*. Sed ſciendum, quia non perfectè juſtus erat, ſed juxta quendam modum. Sive juſtus fuiſſe dicitur ad comparationem Sodomitarum, inter quos vivebat, qui omni immunditia & iniquitate repleti erant.

℣. XXX. *Aſcenditque Lot de Segor.*

Quærendum eſt, quare, cùm ipſe petierit, ut Segor habitaret, hortante Angelo, ut in monte ſalvaretur, iterum relicta Segor montem conſcenderit. Sed ex hoc vera videtur Hebræorum opinio, qui dicunt hanc civitatem tertio terræ motu corruiſſe. Hoc ſciens Lot timuit ibi eſſe, reputans apud ſe, quia ſi aliis ſtantibus hæc ceciderat, multò faciliùs nunc aliis pereuntibus ipſa quoque poſſet perire. Et propter hoc peccatum infidelitatis, quia Angelo non credidit, dicunt contigiſſe ei ſcelus inceſti.

℣. XXXI. *Pater noſter ſenex eſt.*

Putabant filiæ Lot omne genus hominum ubique defeciſſe, nullúmque virorum remanſiſſe niſi patrem ſuum. Ideo hoc cogitaverunt, ut ex patre ſemen

A. ſervarent. Quarum adulterium Origenes multipliciter excuſat, quia hoc non libidinoſo animo ſed ſtudio reparandæ prolis egerunt. Lot verò inexcuſabilis eſt primò, quòd Angelo non credidit. Deinde quòd vino inebriatus eſt: ſicque minus peccatum fuit ei cauſa majoris criminis.

Ac ille non ſenſit, nec quando illa accubuit, nec quando ſurrexit. ℣. XXX.

Hoc Judæi in tantum non recipiunt, ut quoties hunc locum legunt, B. compungantur. Dicunt enim non poſſe fieri, ut homo non ſentiens concumbat.

Peperítque major filium, & vocavit eum Moab. ℣. XXXVII.

Moab *ex patre* interpretatur.

Minor quoque peperit filium, et vocavit nomen ejus Amon. ℣. XXXVIII.

Amon *filius populi mei*, vel *filius generis mei* interpretatur. Iſti fructus ſunt ebrietatis Moabitæ, & Amonitæ, C. id eſt: qui ex patre ſunt diabolo, juxta quod Dominus talibus dicit: *Vos ex patre diabolo eſtis.* Et ſunt filii populi invidentis & perſequentis Sanctos. *Joh. VIII. 44.*

Cap. XX.

Peregrinatus eſt in Geraris. ℣. I.

Geraris terra eſt Palæſtinorum.

Miſit Abimelech, & tulit eam. ℣. II.

Quæri poteſt, in illa jam ætate quomodo amari poterat Sara, cùm eſſet a- D. nus decrepita? Sed hoc mirandum potiùs quàm quærendum, quòd tantus decor formæ in ea fuerit, ut nec ſenectus ejuſdem pulchritudinem potuerit derogare.

Cuſtodivi te, ne peccares in me. ℣. VI.

Cùm dicit Dominus: *cuſtodivi te, ne peccares in me*, oſtendit, quia qui talia agunt, in Deum peccant, licèt peccamen adulterii apud ſeculi homines aut leve aut nullum putetur.

℣. XII. *Filia patris mei, & non filia matris meæ.*

Alia translatio apertiùs dicit: *à patre, & non à matre..* Fuerat enim filia Aran fratris Abraham, ſoror Lot.

℣. XVI. *Hoc erit velamen oculorum,* id eſt: in funeris præparatione: *mementóque te deprehenſam.*

Hoc quaſi jocando dicit monens eam amabiliter, ne hoc auderet facere, ne ſimiliter deprehenſa videretur.

Myſticè loco hoc *Abraham* Chriſtum ſignificat, *Sara* verò Eccleſiam. Abraham honorabatur propter Saræ pulchritudinem: & Chriſtus laudatur in mundo & honoratur per Eccleſiam: quia ſicut Pſalmiſta dicit: *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis.* (Pſal. LXVII. 36.) Habebat Sara virum ſed latebat: & Eccleſia habet Chriſtum, ſed videtur in præſenti receptus ſecretis cæleſtibus.

Cap. XXI.

℣. IV. *Circumcidit octava die.*

Circumciſio cùm ob multas figuras præcepta ſit, ſpecialiter figuram Chriſti prætendit, qui nos & in præſenti per Baptiſmum vetere homine exuit, & in futuro per reſurrectionem circumcidit in nobis omnem mortalitatem & corruptionem. Nam & quòd in *octava die* circumciſus eſt Iſaac, deſignabatur octava ſeculi ætas, quando generaliter reſurrectio mortuorum celebrabitur.

℣. VIII. *Fecit grande convivium.*

Juxta litteram convenientius fuit, ut in die nativitatis vel circumciſionis ejus Abraham epulum faceret. Sed vir Propheticо plenus ſpiritu hoc in die ablactationis facere maluit. Significabatur enim per hoc, quia tunc Deo & Angelis feſtivitatem quodammodo facimus, quando lacte infantiæ dimiſſo in virum perfectum evadimus, & ſolido jam cibo utimur.

℣. IX. *Ludentem.*

Tradunt Hebræi, quòd idola fecerit quaſi ludens, quibus infantiam Iſaac deciperet. Beatus quoque Hieronymus dicit, quòd quaſi major per ludum primogenita ſibi præſumpſerit. Abſolutè autem poſſumus dicere, quòd eum lubricum & laſcivum facere volebat, ſicut ipſe erat. Unde & Apoſtolus hunc ludum perſecutionem appellat dicens: *Sed tunc, ſicut is, qui ſecundùm carnem natus eſt, perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum, ita & nunc.* (Gal. IV. 29.)

℣. XI. *Durè accepit hoc Abraham.*

Licèt enim in myſterio iſta fieri cognoſceret, tamen paterno affectu erga filium movebatur.

℣. XIV. *Berſabee* interpretatur *puteus ſeptimus* vel *puteus juramenti.* Sed locus ille necdum hoc nomen habebat. Unde & per præoccupationem accipiendus eſt.

℣. XV. *Abjecit Agar puerum.*

Non quò eum in ſcapula portaret, qui, quando circumciſus eſt, tredecim annorum: ſed *abjecit* eum ab animo, & cura ſua eum repulit. Sic enim uſualiter loqui ſolemus: *abjeci ex animo.*

℣. XVII. *Exaudivit Dominus vocem pueri.*

Matre flente *pueri vocem* dicitur *exaudiſſe*, quia pro illo & non pro ſe flebat: ſicque vox matris quodammodo vox pueri erat.

Typicè *Agar* Synagogam deſignat, Iſmaël plebem Judaicam. Portatur Iſmaël ab Agar: & peccator populus Judæorum gravi maledictionis pondere cervices matris ſua Synagogæ premit. *Panis*, quem portabat, ſignificat panes propoſitionis, qui in menſa ſanctificati erant. *Aqua*, quæ eis defecit, ſignificat legalem purificationem, ſive etiam carnalem ſcribarum & Phariſæorum doctrinam, quæ in pelle mortua, hoc eſt: in carnali obſervatione continebatur, & obſervatores ſuos juxta literam occidebat non habens ſpiritum vivificantem. Quòd Agar *puerum ſub arbore projecit*, eos ſignificat, qui in Chriſtum ex illo populo credentes umbra paſſionis & crucis protegebantur.

℣. XVIII. *Surge, & tolle puerum, & tene manum ejus.*

Hoc eſt: junge te illi, & ambula cum illo. Sic faciunt ambulantes ſimul. Juxta litteram intelligimus matrem ſe abſcondiſſe, quando dixit: *non videbo morien-*

Digitized by Google

morientem puerum. Monet ergo eam A. Angelus, ut revertatur ad puerum, & tollat eum, non de terra erigendo vel portando, ſed in ſua cura & providentia ſuſcipiendo.

℣.XXIII. *Cod. uterq. eſt. *Terra, in qua verſatus es * advena.*

Id eſt: in Palæſtina. Abraham enim in Geraris habitabat peregrinus. Gerara verò eſt, quæ nunc *Palæſtina Salutaris* dicitur: ubi natus eſt Iſaac, licèt quidam aſſerant, eum ad ilicem Mambre natum.

℣.XXXI. *Cod. Berſabee. *Vocatus eſt locus * Berſabee.*

Puteus ſeptimus propter ſex agnas, quæ ibi immolatæ ſunt. Vel *puteus juramenti*, quia uterque ibi juraverat. *Sabee* utrumque ſonat, & *ſeptem* & *juramentum.* Hoc loco quærendum, quid ſit, quod ſuperius legitur Agar ſtetiſſe ad *puteum juramenti*, quod poſtea longo tempore factum eſt. Necdum enim ita vocabatur. Ergo per prolephin, id eſt: per præoccupationem accipiendum eſt qui modus locutionis utaſitiſſimus eſt in Divinis Scripturis, quamvis potuerit eſſe illo tempore jam puteus. Quod C. ſi ita eſt, tunc per recapitulationem locus iſte accipiendus eſt.

℣. XXXIII. *Plantavit nemus in Berſabee.*

Supra dicitur, quòd non dederit ei *Act. VII. 5.* Deus hæreditatem *nec paſſum pedis*, ùt Paulus Apoſtolus dicit. Sed intelligimus circa puteum fuiſſe aliquod ſpatium terræ, quod ſimul cum puteo in Dominium ceſſit.

Cap. XXII.

℣.I. *Tentavit Deus Abraham.*

EST tentatio, quæ probat, non ea quæ damnat. *Tentavit* ergo eum, non quod ipſe aliquid diſceret, cui omnia nuda ſunt & aperta, ſed ut ipſum Abraham ſibi oſtenderet, ut cognoſceret, quantæ fidei in Deum eſſet.

℣.II. *Super unum montium.*

Hebræi tradunt vel autumant, hunc montem eſſe *Moria*, in quo poſtea templum Dei, & *Dabir*, id eſt: oraculum eſt ædificatum. Unde & mons Moria *lumen* vel *illuminatus* interpretatur.

Cognovi. ℣.XII.

Id eſt: cognoſci feci.

Hærentem cornibus inter vepres. ℣.XIII.

Alia translatio ipſum verbum ponit Hebraicum dicens: *Hærentem in virgulto Sabee.* Sabee *condenſum* vel *ſpiſſum* interpretatur, per quòd ſignificat denſitatem virgultorum & veprium, in quibus cornibus hærebat aries. Juxta litteram magnum nobis exemplum datur magnæ obedientiæ ſancti Abraham, qui cùm unicum filium haberet, audiſ- B. ſétque à Domino: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*, tamen non dubitavit eum offerre Deo, *credens*, quod & Apoſtolus dicit: *Quid à mortuis eum poſſet reſuſcitare.* *Rom. VI. 17.*

Allegoricè *Abraham* Dei Patris hoc loco gerit perſonam, *Iſaac* Domini Jeſu Chriſti. Immolatio Iſaac paſſionem Chriſti deſignat. Benè autem dicitur: *Ipſe portabat ligna holocauſti:* quia Chriſtus crucem ſuam bajulavit, juxta quod in ejus paſſione dicitur: *Et bajulans ſibi crucem exiit in locum, qui vocatur Golgotha.* *Joh. XIX. 17.* *Duo viri*, qui comitabantur cum Abraham, populus Judæorum. *Duo* autem ideo, quia ille populus poſt mortem Salomonis diviſus eſt in duo regna, in decem videlicet tribus, quibus Hieroboam imperavit, quæ vocatur Iſraël, & in duas alias tribus, Juda videlicet & Benjamin, ſuper quas regnavit Roboam filius Salomonis, quæ dicitur Juda, cum quibus erat & tribus Sacerdotalis, id eſt: Levi.

Aſinus, quem ſecum ducebant, ſtultitiam Judæorum deſignat. Aſinus enim, quod portabat, neſciebat: & Ju- D. dæi in libris Propheticis Chriſtum legebant; ſed venientem non intelligebant. Unde & benè eis dicitur: *Expectate hìc cum aſino.* Uſque hodie enim & uſque ad finem ſeculi quaſi expectant Chriſtum cum ſtultitia ſua, ùt Apoſtolus dicit: *Cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium introëat, & ſic omnis Iſraël ſalvus fiat.* *Rom. XI. 25.*

Quod dicit: *Poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*, ſignificat, quòd impleta paſſione in ultima ſeculi ætate revertatur Deus, & reconcilietur Judæis credentibus. Quòd autem *tertio*

die elevatis oculis, tres dies tria ſignifi- A. cant ſeculi tempora ante legem, ſub lege, & ſub gratia. Joh. II. 1. Nam & Dei Filius die tertio ad nuptias dicitur veniſſe, & aquam in vinum convertiſſe, quia tertio ſeculi tempore venit ad conjungendam ſibi Eccleſiam, & legis litteram in ſpiritalem intellectum convertendam.

Aries, qui apparuit Abrahæ, humanitatem Chriſti deſignat, de quo bene dicitur, quòd *hæreat cornibus inter vepres*: quia Chriſtus cruci affixus eſt, manus ejus in cornibus, id eſt: in brachiis crucis hærebant. Sive *hærebat in-* B. *ter vepres*, quia ſpinis coronatus eſt. Quòd autem aries immolatus eſt, Iſaac autem evaſit, ſignificat, quia per humanitatem pati potuit, per Divinitatem verò impaſſibilis manſit. Nam duæ ſunt in Chriſto ſubſtantiæ vel naturæ. Juxta litteram, quia aries cornibus hærebat inter vepres, inde Judæi in ſolemnitatibus tubis corneis ſolent canere, ut per hoc memor ſit Deus eorum, & repropitietur illis propter magnam Abrahæ obedientiam.

℣.XIV. *In monte Dominus videbit.* C.

Hoc quaſi proverbium obtinuit apud Judæos, ut quotiens aliqua neceſſitate vel anguſtia tenentur, dicant: *In monte Dominus videbit*, vel ùt in Hebræo habetur: *In monte Dominus videbitur*, hoc eſt: miſerebitur & liberabit nos.

℣.XVI. *Per memetipſum juravi, dicit Dominus.*

Hebr. VI. 13. & ſeqq. *Omnis homo per majorem ſe jurat*, ùt Apoſtolus dicit, *Deus autem quia neminem ſe habet majorem, per ſemet-* D. *ipſum dicitur jurare.*

℣.XX. *Melcha ſoror Saræ.*

Abraham Saram duxit uxorem: Melcham verò Nachor.

℣.XXI. *Hus*, ex quo *terra Hus* dicitur in Job: *Buz* verò, de quo *Buzites*, vocatus eſt Elia, quem etiam autumant Hebræi eſſe Balaam. *Gamuel patrem Syrorum.* Quod dicit *patrem Syrorum*, non eſt referendum eis, qui hoc nuntiabant, ſed potiùs ei, qui longo poſt tempore ſcripſit.

Cap. XXIII.

℣.III. **H***eth*, à quo Hethæi dicuntur.

℣.VII. *Surrexit, & adoravit.*

Cùm Dominus dicat in Lege: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*, Deut. VI. 13. quid eſt, quòd Abraham homines legatur adoràſſe? Sed aliud eſt, Deum adorare eo modo, quo ſolus colendus & adorandus eſt: aliud, quo ſe ſancti homines invicem venerantur atque ſuſcipiunt, quamvis non dixerit: *Dominum Deum tuum* ſolum *adorabis*, ſicut dixit: *Illi ſoli ſervies.* Eſt enim ſervitus, quæ ſoli Deo debetur, quæ Græcè *latria* dicitur. Unde & idolatræ dicuntur, qui relicto creatore creaturæ ſerviunt. Nam quod Apoſtolus dicit: *Per charitatem ſervite invicem*, Gal. V. 13. de illa ſervitute dictum eſt, qua ſancti homines ſe præveniunt, ſibíque abſequuntur, quæ Græcè *dulia* dicitur. Unde & ſervos *dulos* vocamus. Quòd verò in Apocalypſi Angelus volentem ſe Johannem adorare prohibuit dicens: *vide, ne feceris*, Apoc. XXII. 9. fortaſſis aliquod Divinum in Angelo ſuſpicatus fuerat Johannes & ideo ſicut Deum voluerat adorare, idcirco prohibitus eſt.

℣.XVII. *Confirmatúſque ager eſt quondam Ephronis.*

Primum dictum eſt *Ephron*, id eſt: *confimatus* & *perfectus*, ſed poſtquam pretium ex ſepultura accepit, licèt cogente Abraham, immutatum eſt nomen ejus, & dictum eſt *Ephran*, id eſt: *Infirmus* vel *imperfectus*. Audiant hoc, qui ſepulturas mortuorum *vendunt. Si enim ille, qui licèt invitus, tamen quoquomodo adduci potuit, ut pretium de ſepultura acciperet, nominis immutatione damnatus eſt, multò magis iſti, qui non coguntur, ſed ipſi quid exigunt, damnabuntur & inter perfectos non computabuntur.

* *Uterque cod.* vendant.

In quo erat ſpelunca duplex.

Myſticè *ſpelunca duplex* operationem rectam & contemplationem ſignificat, activam videlicet & contemplativam. Sara ergo in duplici ſpelunca ſepelitur, cùm anima fidelis cupiditatibus & deſideriis ſeculi mortua ſub boni operis & contemplationis tegmine celatur. Unde & Apoſtolus Paulus dicit: *Mor-*

ad Coloſ. III. 3. *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.*

Cap. XXIV.

℣. II. *Pone manum tuam ſub femore meo.*

JUdæi dicunt, in ſanctificatione Abraham, id eſt: in circumciſione juraſſe. Sed melius eſt, ut hoc ad incarnationem Chriſti referamus. Prævidens autem ſanctus Patriarcha Chriſtum, qui perfectus eſſet homo & perfectus Deus, de ſua progenie naſciturum, ſub femore ſuo præcepit, ut manum mitteret & ju-B. raret. Quia enim hominem & de ſua carne naſciturum prævidit, ideo dixit: *Pone manum tuam ſub femore meo.* Quia verò Deum agnovit, ideo ſubjunxit: *Jura mihi per Deum cæli*, id eſt: per Divinitatem ejus, qui de mea carne naſciturus eſt.

℣. XIII. *Igitur ego ſto prope fontem aquæ.*

Beatus Auguſtinus quærit hoc loco ad litteram, utrum hoc agere debeamus, ut ſignum ad Deo petamus. Pene enim nihil videtur differre ab augurio. Sed C. aliud eſt ſigno aliquo, in quo miraculum ſit, voluntatem Dei quærere: aliud in vocibus avium vel mutuorum animalium divinationem captare, quam vis nec illud niſi in ſumma neceſſitate præſumendum ſit.

Allgoricè ſervus Abraham chorum ſignificat ſanctorum Doctorum. Hic eſt ille ſervus, qui in Evangelio à Domino ſuo miſſus eſt, ut invitatos ad paratam cœnam venire faceret. Miſit ſervus manum ſub femore Domini ſui Abraham: quia Doctores ſumma venera-D. tione incarnationem Chriſti ſuſcipiunt. Et non *ſuper* femur, ſed *ſub femore* manum ponit: quia carnem Chriſti à carne cæterorum hominum longè diſtare intelligunt. Chriſti enim caro de virgine ſine labe peccati nata eſt.

Rebecca, quæ patientia interpretatur, Eccleſia eſt ex gentibus, quæ per patientiam virtutes ſuas cuſtodit. *Fons*, ad quem ſervus ſtetit, ſignificat fluenta doctrinæ Evangelicæ, vel etiam Sacramentum Baptiſmatis, ad quod feſtinabat jam *Rebecca*, id eſt: Eccleſia A. cum hydria, id eſt: cum verbi menſura. Benè autem *hydriam de ſcapula ſuper ulnas depoſuiſſe* dicitur. Per *ſcapulas* enim intelligitur voluntas bona, in qua primùm fidem ſuſcepit. Per *ulnam* verò operatio, quæ fidem ſubſequitur.

Ornamenta, quibus ſervus Rebeccam decoravit, virtutes & præcepta Doctorum ſunt. *Inauris* enim humilitatem boni auditoris ſignificat, qua in dilectione Dei & proximi proficit. Unde & *duos ſiclos* inaures habuiſſe dicuntur. *Armillæ* verò obedientiam boni auditoris, vel bonam operationem ſignificat. Quæ appendebat *decem ſiclos*: quia omnis noſtra operatio in decem legis præceptis conſiſtit.

Poſtquam biberunt cameli. ℣. XXII.

Quòd Rebecca non ſolùm viro dedit potum, verùm etiam *camelos* adaquavit, ſignificat, quia Eccleſia nulli debet ſubtrahere verbum prædicationis, ſed ſapientibus & ſtultis in commune annuntiare. Hinc Paulus dicit: *Græcis & barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.* Rom. I. 14. Vel aliter. Per *camelos* carnem noſtram debemus accipere. Cameli ergo adaquantur, quando cura corporis agitur, non tamen in deſideriis, ſed in neceſſitate, ut Rebecca ſive anima geſtare poſſit.

Locus ſpatioſus ad manendum. ℣. XXV.

Locus ſpacioſus ad manendum, quem Rebecca apud ſe eſſe dicit, lex eſt naturalis, quam ſancta Eccleſia, antequam ad Chriſtum veniret, habebat, qua dicitur: *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis.* Matth. VII. 12. Ergo per hanc legem naturæ præparabatur ingreſſus legi Evangelicæ.

Habebat Rebecca fratrem nomine Laban. ℣. XXIX.

Laban figuram tenet carnalium hominum. Hic ergo *virum vocat in Domum & benedictum Domini* appellat, quia carnales quique ſanctorum Doctorum virtutes admirantur eoſque honorant, nequaquam tamen ad illorum perfectionem imitandam aſſurgunt.

A Domino egreſſus eſt ſermo. ℣. L.

Quia ſciebant Abraham Prophetam eſſe idcirco, quòd Abraham à Domino egreſſum eſſe dicunt, ſive etiam quia

Digitized by Google

quia ſervus Abraham ſignum à Domino quæſierat, eíque mox ſignum datum fuerat, idcirco Deum locutum eſſe dixerunt.

A

℣. LXI. *Igitur Rebecca & puellæ ejus.*

Puellæ, quæ Rebeccam ad Iſaac proſecutæ ſunt, ſignificant fideles animas, quæ in Eccleſia ſimpliciter converſantur, non tamen ad thalamum contemplationis perveniunt.

℣. LXII. *Habitabat in terra Auſtrali,* id eſt: in Gerara.

Jerem. XXII. 24. Myſticè *puteus videntis & viventis* ſancta ſcriptura eſt, per quam Dei cognitionem accipimus. Ipſe vivens & videns, *Hebr. IV. 13.* qui per Prophetam loquitur: *Vivo ego, dicit Dominus. Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus.* Via, quæ ducit ad puteum viventis & videntis, paſſio Chriſti, quæ nos ad intellectum Scripturarum perducit. Neque enim aliter ea, quæ in veteri teſtamento ſcripta erant, intelligere poſſemus, niſi in paſſione impleta claruiſſent.

B

Et notandum, quòd dicit: *deambulabat per viam*, non dicit: *ambulabat*, ſed *deambulabat*. Deambulare namque eſt eundo & redeundo iter frequentare. Sic & paſſio Chriſti diverſo modo & tempore frequentata eſt. Nunc enim à Judæis blaſphemiis & contumeliis inſectabatur, nunc colaphizabatur, modò conſpuebatur: ſic & tali modo per viam ſuæ paſſionis *deambulabat*.

C

Quòd Rebecca Iſaac in terra Auſtrali reperit, ſignificat, quia ſancta Eccleſia relicto frigore infidelitatis, & calore fidei ſuccenſa ad Chriſtum venit.

℣. LXIII. *Egreſſus fuerat ad meditandum in agro.*

D

Quidam Codices habent: *ad exercitandum in agro.* Alia quoque tranſlatio dicit: *ut loqueretur in agro. Inclinata jam die:* quia vir ſanctus jam poſt nonam horam diei ad veſperam inclinata egreſſus fuerat ſolus, ut Deo ſpiritales victimas immolaret, hoc eſt: ut orationes & hymnos perſolveret.

Allegoricè ager mundus eſt, ſic Domino parabolam ſuam exponente: *qui* *Matth. XIII. 38.* *ſeminat, eſt filius hominis: ager autem eſt mundus.* Iſaac ergo inclinata jam die ad meditandum in agro egreſſus eſt: quia Dei Filius noviſſima ſeculi ætate venit in mundum, juxta quod per Prophetam dictum fuerat: *egreſſus es in ſalutem populi tui cum Chriſto tuo.* *Habac. III. 13.* *Ut exerceretur*, hoc eſt: paſſionis ſuæ certamen impleret.

Cúmque levâſſet oculos, vidit camelos venientes procul.

Per *camelum*, tortuoſum animal & ſua ſtruma ponderatum ſignificatur gentilitas, pravis moribus tortuoſa & idolatriâ prægavata, quæ quia ex ipſa reperit, quos coleret, quaſi ſtrumoſum animal gibbum in dorſo portabat. In camelo enim ſedens Rebecca ad Iſaac venit: quia ſancta Eccleſia adhuc gentilitatis errore confiſa & quaſi ſuſtentata ad Chriſti gratiam vocata eſt.

Rebecca conſpecto Iſaac de camelo deſcendit. ℣. LXIV.

Quia Eccleſia cognito Chriſto ſe pro ſuis erroribus confuſa humiliavit. Unde & benè ſe pallio operuiſſe dicitur: quia confuſione & erroris ſui rubore ſe operuit. Unde & Paulus quibuſdam loquitur: *quem fructum habuiſtis tunc in his, in quibus nunc erubeſcitis?* *Rom. VI. 21.* Nam & Pſalmiſta dicit: *operuit confuſio faciem meam.* *Pſal. LXVIII. 8.*

Introduxit eam in tabernaculum Saræ matris ſuæ. ℣. LXVII.

Quia Chriſtus Eccleſiam in locum Synagogæ conſtituit, de qua carnem aſſumpſerat.

Accepit eam uxorem:

Quia gratiam, quam illa quondam habebat, novæ ſponſæ attribuit, deſpondens eam ſibi non habentem maculam neque rugam.

Ut dolorem, qui ex morte matris acciderat, temperaret.

Mors matris eſt infidelitas Synagogæ, pro qua Chriſtus multum doluit. Unde & in paſſione dicebat: *triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* *Matth. XXVI. 38.* Non enim pro paſſione triſtabatur, ſed pro Judæorum perditione. Hunc ergo dolorem temperavit amore Rebeccæ: quia damnum ex perditione unius plebis recompenſavit fide & ſalute omnium gentium.

Cap.

Digitized by Google

[Cap. XXV.

A.

℣.I. *Abraham verò duxit aliam uxorem Ceturam,*

QUæ interpretatur *copulata* vel *conjuncta.* Unde tradunt Hebræi hanc eſſe Agar matrem Iſmaëlis, quæ priùs concubina fuerat, ſed poſt mortem Saræ Abrahæ legitimè copulabatur: quod ideò fingunt, ut excuſent Abraham, ne jam ſenex & depoſitus novis nuptiis videatur laſciviſſe.

℣.II. *Quæ peperit.*

Hi, qui de Cetura nati ſunt, oc- B. cupaverunt terram Trogoditen & Arabiam, quæ Eudemon dicitur, uſque ad mare rubrum.

Allegoricè ſicut per Agar & Iſmaëlem deſignantur Judæi in ſervitutem generati: ita per Ceturam & ejus filios deſignantur hæretici, qui in novo teſtamento ſub prætextu nominis Chriſti malè de ejus veritate fidei ſenſerunt. Unde benè poſtea Abraham filiis concubinarum munera largitus fuiſſe dicitur, hæreditatem verò ſolus Iſaac conſecutus eſt: quia Hæreticis Chriſtus in præſenti beneficia ſcientiæ & intelligentiæ tribuit, ſola autem Eccleſia Catholica ad regnum perducitur.

℣.III. *Aſſurim* in *negotiatores* transfertur. *Latuſim æs* vel *metalla cudentes.* *Lomim* phylarchos, id eſt: *princeps tribuum.*

℣.VIII. *Deficiens mortuus eſt.*

Beatus Hieronymus dicit, hoc malè additum ſcriptorum vitio. Neque enim *defectus* vel imminutio juſto viro convenit, cùm potiùs augeri & multiplicari debeat Pſalmiſta dicente: *juſtus* D.
Pſal. XCI. 13. *ut cedrus Libani multiplicabitur.* *Plenus dierum.* Plenitudo in ortu, actu & obitu Sanctorum ſolet inveniri. Et ideo rectè Abraham *plenus dierum* mortuus fuiſſe legitur, conſummatus & perfectus erat omnibus virtutibus. Econtra in reprobis omnia quadam imperfectione notantur. Unde & Pſalmus: *viri*
Pſal. LIV. 24. *ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.*

Congregatus eſt ad populum ſuum, id eſt: ad multitudinem præcedentium Patrum.

Primogenitum Iſmaëlis Nabaoth. ℣.XIII.

A quo omnis regio à mari rubro uſque ad Eufraten *Nabathæa* dicitur.

Ab Hevila, id eſt: ab India. ℣.XVIII

Coram cunctis fratribus obiit.

Id eſt: in manibus fratrum ſuorum, omnibus videlicet adhuc ſuperſtitibus, & nullo ante eum morte prærepto. *Fratres* autem pro filiis poſuit, ſicut & eo loco, ubi in ſequentibus Jacob dixit ad Laban: *quid peccavi tibi, ut inſequereris poſt me? Pone coram fratribus meis & fratribus tuis,* Neque enim Jacob ibi alios frates habebat, quàm ſuos liberos.

De Meſopotamia. ℣.XX.

Meſopotamia regio fertiliſſima eſt, quæ ſic vocatur Græco nomine etiam ideo, quòd media ſit inter duo flumina, Tygrin videlicet & Eufraten. Nam *meſos* medius, *potamos* fluvius dicitur. Hinc * hippopotamos: equus fluvialis.

* *Cod.* apotamos. *Quæ vox cum ſeqq. deeſt in cod. Teg.*

Deprecatus eſt pro ſua uxore. ℣.XXI.

C. Dominus promiſerat Abrahæ, quòd multiplicaret ſemen ejus ſicut ſtellas cœli & ſicut arenam maris. Quæ multiplicatio per Iſaac futura erat, juxta quod Abrahæ dictum eſt: *in Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Quid ergo eſt, quòd Iſaac ſterilem uxorem ſortitus eſt, ſi per eum ſemen Abrahæ multiplicandum erat? Sed ſciendum, quia Sancti ea, quæ orando obtinent, ſic prædeſtinata ſunt, ut precibus impetrent. Hinc eſt, quòd per Iſaac multiplicandum erat ſemen Abrahæ: ſed hoc ipſum orando obtinuit. Nam & omnibus juſtis præparatum eſt ante ſecula regnum Dei, ſed ita, ut orando & laborando ad illud ſuo tempore perveniant.

Collidebantur. ℣.XXII

Septuaginta dicunt: *ludebant & calcitrabant.*

Perexitque, ut conſuleret Dominum.

Quæritur, quò perrexerit conſulere Dominum. Necdum enim tabernaculum, necdum templum Dei ædificatum erat. An fortè perrexit illuc, ubi Abraham altare Domino ædificaverat,

aut, ùt quidam putant, adhuc Melchi-A. ſedech Sacerdos Dei vivebat, quamvis poſſit credi fuiſſe tunc temporis aliquem ſanctum virum, ad quem conſulendum ſoliti erant pergere? Poteſt & illud dici, quòd mente & cogitatione ad Deum perrexerit, & allegatis petitionibus in loco dormierit, ibiſque per viſionem reſponſum Divinum acceperit.

ỹ.XXIII. *Duæ gentes in utero tuo ſunt.*

Juxta litteram duas gentes Idumæorum & Judæorum dicit. Quod verò in ſequentibus dicit: *major ſerviet minori*, illud tempus, quando Eſau ma-B. jor Idumæorum ſervivit Jacob, id eſt: Judæis. David enim eos tributarios fecit, & ſic ſervierunt ſub tributo, uſquequo rebellaverunt juxta quod in libro Regum legitur: *receſſit Edom, ne eſſet* 4.*Reg.* VIII.*20.* *ſub Juda.*

Myſticè hi duo gemini duos ſignificant populos, Eſau major natu Judæos, Jacob verò minor gentilem populum. Major ergo ſervit minori: quia Judaicus, populus diſperſus per totum orbem ſervit gentibus non ſolùm corporali ſervitute, verùm etiam, quia legem & Pro-C. phetas ad gentium utilitates ſervat. In nobis etiam ipſis hæc rixa duorum populorum agitur, cùm lex carnis repugnat legi mentis, cùm vitia virtutibus conveniunt. Nam per majorem vitia deſignantur, quia plura ſunt virtutibus, & ſemper numero plures vel priores ſunt mali, quàm boni. Sed per Dei auxilium mali ſuperantur à bonis, & vitia cedunt virtutibus.

ỹ.XXV. *Qui prior egreſſus fuerat, vocatus eſt Edom vel rufus.*

Edom enim interpretatur *rufus* vel D. *rubeus*, à quo Idumæi vocantur.

Hiſpidus, id eſt: ſetoſus, quod Hebraicè dicitur *Seir*, à quo mons Seir vocatus eſt. Ergo novimus eum trinomium fuiſſe, quia vocatus eſt *Eſau*, *Edom*, *Seir*. *Jacob* interpretatur *ſupplantator*.

Myſticè Jacob gentilem populum videlicet Judaicum ſupplantavit, id eſt: ſub planta miſit: quia quaſi ſuper eum aſcendit, quando ejus dignitatem accepit.

Factus eſt Eſau vir gnarus venandi. ỹ. XXVII.

Per *Eſau venatorem* hoc loco deſignantur homines terrena quærentes, & lucris ſeculi quaſi venationi inſiſtentes. Qui benè etiam *agricola* fuiſſe dicitur, quia homines ſeculi quantò plus intima ſua negligunt: tantò magis in cultura & ſtudio rerum præſentium occupantur.

Jacob verò ſimplex habitabat in tabernaculis.

Quia unuſquique Sanctus & minùs in terrenis occupatus intra domum ſanctæ conſcientiæ habitat, nec per exteriora ſpargitur. Juxta litteram pro *ſimplici* alia translatio habet *ſine dolo*, quod Græcè *aplaſtes*, id eſt: *non fictus* dicitur. Sed quomodo ſine dolo erat, qui fratrem ſuum dolo decepit? Sed hoc ad myſterium, non ad malitiam ejus referendum eſt: quia *omnia in figura contingebant*. 1.*Cor.* X.*11.*

Vende mihi primogenita. ỹ.XXXI.

Primogenita dicuntur omnia, quæ vulvam matris aperiunt, quæ ſpecialiter primogenitis filiis debebantur. Non nulli dicunt, primogenita vocari veſtem, qua induebantur primogeniti & ſacerdotes fiebant. Hanc igitur dignitatem, quam Eſau primogenitus accipere debuit, cupiditate gulæ ſuperatus minori fratri ſuo vendidit.

Quibus modis vitio gulæ tentamur? Sciendum autem, quinque modis nos vitio gulæ tentari: primò cùm quis ante horam diſpoſitam vel ante neceſſitatem vult comedere. Secundò cùm lautiores cibos requirit. Tertiò cùm accuratiùs communes cibos vult præparari. Quartò cùm comedendo modum excedit. Quintò cùm deſpicabile eſt, quod ſumitur: Sed quia cùm magno deſiderio id, quod vile eſt, percipit, in ipſo æſtu deſiderii magis oſtendit. Hac ſpecie victus Eſau diſplicuit & reprobatus eſt. Hinc beatus Auguſtinus dicit: *non ergo immunditiam obſonii, ſed immunditiam timeo cupiditatis.*

Myſticè Judæi, qui per Eſau ſignificantur, carnis ſuæ voluptatibus dediti & terrenis operibus occupati non ſolùm dignitatem, quam in præſenti habebant, dimiſe-

Digitized by Google

dimiſerunt, verùm etiam illam beatitu- A. dinem, quæ eis repromiſſa erat, & omnis eorum dignitas ad gentilem populum tranſlata eſt.

Cap. XXVI.

℣. X. *Quare impoſuiſti?*

ID eſt: quare decepiſti? Hinc *impoſtores* dicuntur.

℣. XVIII. *Rurſum fodit alios puteos, quos foderant ſervi patris ſui.*

Allegoricè Iſaac Chriſtum ſignificat, qui cùm veniſſet per incarnationis B. myſterium ad torrentem noſtræ mortalitatis, *fodit poteos*, id eſt: aperuit ſcientiam Scripturarum, *quos fodiebant ſervi patris ejus* Abraham, ſcilicet Moyſes, David, Salemon, & magni voce Prophetæ. Hi enim ſervi Abraham, id eſt: omnipotentis Dei, cujus figuram Abraham geſtabat. Sed hos *puteos Palæſtini invidentes terra repleverunt. Palæſtini* Judæos deſignant alienos à Deo, qui Scripturas perruperant terreno intellectu. Nam Palæſtini *alieni* interpretantur.

℣. XIX. *Foderunt in torrente, & reperêre aquam vivam.*

Servi Iſaac *in torrente aquam vivam repererunt.* Qui ſunt *ſervi Iſaac*, niſi Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes, cæteríque Apoſtoli, qui *aquam*, id eſt: Evangelicam doctrinam *repererunt*, & credentibus tradiderunt? Sed rurſum *Palæſtini jurgati ſunt:* quia Judæi Evangelicæ doctrinæ reſtiterunt, nec nova condi permittentes, nec vetera purgari volentes.

℣. XXII. *Foderunt alium puteum, pro quo* D. *non contenderunt.*

Pro tertio *puteo* jam victi *non contenderunt:* quia poſtquam fides Trinitatis Sanctæ per mundum prædicari cæpit, patientia Sanctorum victi adverſarii ceſſaverunt. Unde benè puteo nomen impoſitum eſt ei, *latitudo.* Dilatatus eſt enim verus Iſaac, id eſt, Chriſtus fide omnium credentium, & notus quidem antea tantùm in Judæa Deus, modò verò dicitur: *in omnem terram exivit* Pſ. XVIII. 5. *ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.*

Moraliter *puteos fodimus*, quando Divinæ ſcientiæ alta ſapimus vel penetramus. Quos tamen puteos allophyli terra repleverunt: quia nobis profunda Scripturarum inveſtigantibus ſæpe dæmones terrenas cogitationes aggerunt, ut à nobis aquam Divinæ ſcientiæ tollant.

Abimelech & Ochoza. ℣. XXVI.

Hic *Ochoza* pronubus erat Abimelech. Septuaginta pro Ochoza collegium ponunt, ut non ſit nomen hominis ſed multitudinem amicorum deſignet è quibus unus erat *Phicol* dux militum.

Berſabee, ℣. XXXIII.

Non ſicut ſuperiùs, *puteus ſeptimus*, vel *puteus juramenti*, ſed *puteus ſanctitatis.* Nam *Sin* littera in Samech verſa eſt.

Cap. XXVII.

Cúmque ſenuiſſet Iſaac, & caligaverunt oculi ejus &c. ℣. I.

DIximus ſuperiùs Iſaac typum tenere Dei omnipotentis Patris, Eſau verò primogenitum figuram habere Judaici populi, de quo ipſe ad Pharaönem: C. *filius primogenitus meus Iſraël.* Deſiderat Iſaac cibis filii ſui veſci: & Deus Pater deſiderabat bonis operibus illius populi paſci. Sed illo negligente, & in exterioribus *quaſi in venatione occupato Rebecca, id eſt: mater Gratia minorem filium, id eſt: gentilem populum ſuppoſuit, & prioris locum ac dignitatem præripuit. Exod. IV. 22. *Uterque Cod. ex interioribus.

Quòd autem Iſaac caligans oculis Jacob filio futura prædixit, ſed eum non vidit, ſignificat, quia Deus Pater vocationem gentium per Prophetas multipliciter prædixit, ſed eas quodammodo non vidit, hoc eſt: non miſertus earum, permiſítque ingredi vias ſuas, & errare per quinque ſeculi ætates. Quòd verò Jacob non de venatione, ſed de domeſticis animalibus, id eſt: hœdis, cibos patri paravit, deſignat, quia populus gentium non in exterioribus nec in littera legis Deo placere ſtuduit, ſed in ſe ipſo acceptabile holocauſtum per fidem & dilectionem obtulit dicens cum Pſalmiſta: *in me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi.* Pſ. LV. 12.

Veſtes Eſau, quibus Rebecca minorem filium veſtivit, ornamenta ſunt Di-

vinorum præceptorum, quibus ille prior A. populus quondam decorabatur, ſed illis per infidelitatem reprobatis gentes in Chriſtum credentes veſtiuntur Domino dicente: *auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* (Matth. XXI. 43.) Quòd verò pellibus hædorum *manus & colli nuda* protexit, deſignat, quia gentes ad fidem venientes peccata operum confiteri non erubeſcunt. Hædus enim peccatorem deſignat Domino dicente: *ſtatuet oves à dextris, hædos autem à ſiniſtris.* (Matth. XXV. 33.) Quòd dicit: *voluntas Dei fuit, ut citò mihi occurreret, quod volebam,* B. citam mundi converſionem deſignat. Penè enim modo incredibili intra breviſſimum temporis ſpatium fides Chriſti per univerſum mundum nuntiata eſt.

℣. XXVII. *Acceſſit, et oſculatus eſt eum.*

Oſculum patris, quo Jacob oſculatus eſt, reconciliationem ſignificat mundi, quam deſiderabat Eccleſia loquens in Canticis Canticorum dicens: *oſculetur me oſculi oris tui.* (Cant. I. 1.)

Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni. C.

Odor veſtimentorum eſt fraglantia virtutum. Benè autem *agro pleno* odor ille comparatur: quia Sanctorum virtutibus mundus repletus eſt. Unde & Paulus dicebat: *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco.* (2. Cor. II. 15.) Ager enim plenus eſt mundus Sanctorum bonis operibus refertus. Ibi redolent roſæ Martyrum, fragrant lilia, virtutum, reſpirant violæ continentium, ubi etiam florentes vineæ Apoſtolorum longè latèque ſuum odorem propinant.

℣. XXVIII. *Det tibi Deus de rore cæli.*

Ros leniter cadit & propè ſine ſenſu, ideoque ſubtilem deſignat contemplationem. Pinguedo verò terræ bona ſignificat opera. Benedicitur ergo Jacob, hoc eſt: gentilis populus, ut cœleſti contemplatione & bonis operibus poſſit abundare.

Abundantiam frumenti, vini & olei.

In *frumento & vino* charitas & fervor novæ converſationis, in *oleo* verò miſericordiæ opera deſignantur. Poſſunt etiam in *frumento & vino* myſteria corporis & ſanguinis Chriſti accipi: in *oleo* miſericordia Dei, qua genus humanum ſalvatum eſt juxta quod per prophetam dictum eſt: *computreſcet jugum à facie olei,* (Iſa. X. 27.) id eſt: *jugum peccati ex præſentia miſericordiæ Dei.*

℣. XXIX. *Eſto Dominus fratrum tuorum.*

Fratres vel filios matris hæreticos dicit, vel Judæos, qui *fratres* ſunt per invocationem nominis Chriſti, & per eadem, quæ nobiſcum habent, Sacramenta. De his in Canticis Canticorum loquitur Eccleſia: *filii matris meæ pugnaverunt contra me.* (Cant. I. 5.)

℣. XXX. *Egreſſo Jacob venit Eſau.*

Quòd verò Eſau ad patrem revertitur, populi prioris in fine ſeculi converſionem deſignat, de qua Pſalmiſta dixerat: *convertentur ad veſperam, & famem patientur ùt canes.* (Pſal. LVIII. 15.) Et Propheta: *aperuerunt ora ſua, ſicut pauper comedens in abſcondito.*

℣. XXXIX. *In pinguedine terræ & in rore cæli.*

Licèt omnis benedictio ad Jacob venerit, non tamen vacuus dimittitur Eſau. Benedicitur enim *in pinguedine terræ*, hoc eſt: in rerum omnium copia, & *in rore cæli deſuper*, hoc eſt: in ſcientia Scripturarum, quia hoc adhuc ille populus, licèt ſine cauſa compluitur.

℣. XL. *Vives in gladio.*

Per hoc enim ſignificat, Judæos crudeliter Chriſtum perſecuturos & omnes D. Prophetas & Apoſtolos.

Fratri ſervies.

Quia Idumæi tributarii fuerunt Iſraël, qui Jacob vocabatur.

Tempúſque veniet.

Tempus illud ſignificat, quo rebellaverunt Judæi, ne eſſent ſub Juda.

℣. XLII. *Nuntiata ſunt hæc Rebeccæ.*

Quis nuntiavit, cùm ille in corde ſuo dixit? Utique per ſpiritum Prophetiæ hoc cognovit, per quem etiam illum majori fratri præponendum didicerat.

Haran.

Digitized by Google

℣. XLIII. *Haran.* Hebraicè *Syria.*

Cap. XXVIII.

℣. II. *Vade, & proficiſcere.*

ALia translatio habet: *fuge.* Ex quo intelligimus, ipſum quoque per ſpiritum minas fratris cognoviſſe.

℣. X. *Igitur egreſſus Jacob de Berſabee.*

Jacob, ùt diximus, Chriſtum ſignificat, qui relictis parentibus, id eſt: Judæis, de quibus carnem aſſumpſerat, relicta etiam domo, id eſt: Hieruſalem, patria quoque, id eſt: Judæa relicta, B. perrexit ad gentes, ubi Eccleſiam ſponſam acciperet.

℣. XI. *Tulit de lapidibus.*

Dormitio Jacob in itinere mortem vel paſſionem Chriſti ſignificat in cruce *Lapis*, quem capiti ſuo ſuppoſuit, Chriſtus eſt ſecundùm humanitatem. Quem Jacob *unxit*, ut per hoc apertè Chriſtus demonſtraretur. Chriſtus enim Græcè Latinè *unctus* dicitur. Apoſtolus autem 1. Cor. XI. 3. dicit: *caput Chriſti Deus.* Lapis ergo capiti Jacob ſuppoſitus humanitatem ſignificat aſſumenti Deo conjunctam. C. *Scala, quam in ſomnis vidit*, quæ via erat ad cœlum, hoc eſt: à carne uſque ad animam vel ſpiritum, Chriſtus eſt, qui quibuſdam provectibus electos ſuos ſublevando ex carnalibus facit ſpirituales. *Angelos, quos vidit aſcendentes & deſcendentes*, ſancti ſunt Evangeliſtæ vel cæteri prædicatores, qui quodammodo per ſcalam aſcendunt, quando Divinitatem Joh. I. 1. Chriſti annuntiant dicentes: *in principio erat verbum.* Deſcendunt verò, quando humilia incarnationis ejus de- Ibid. 14. ſcribunt dicentes: *verbum caro factum* D. *eſt, & habitavit in nobis.* Paulus ſummus Angelus erat, qui aſcendebat cùm 1. Cor. I. 24. diceret: *nos prædicamus Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Deſcende- 1. Cor. II. 2. bat, cùm diceret: *nihil ſcire me judicavi niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.*

Moraliter in itinere dormire eſt in via hujus ſeculi ab impedimento ſecularium rerum vel actionum quieſcere. Jacob verò dormiens Angelos vidit: quia illi Divina conſpiciunt, qui ab appetitu rerum temporalium oculos claudunt. A. Hos oculos benè clauſos diabolus aperuit cùm dixit: Gen. III. 5. *in quacunque die comederitis, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii.*

℣. XIV. *Dilataberis ad Orientem et Occidentem.*

Quòd Jacob *terra* promittitur, ſignificat poſſeſſionem Eccleſiæ Chriſto promiſſam. Per *Occidentem* interfectio juſtorum: per *Orientem* exordium bonæ converſationis: per *Septentrionem* deſtructio & mortificatio peccatorum: per *Auſtrum* verò fervor Divinæ charitatis oſtenditur. In his ergo Chriſtus regnat, & hanc gaudet habere hæreditatem.

℣. XVII. *Non eſt hìc aliud niſi domus Dei.*

Domum Dei appellat, quia per ſpiritum Prophetiæ ibi tabernaculum Dei prævidebat futurum: *Portas* * autem *cœli* aditum Divinæ exauditionis. Vel myſticè *portam cœli* dicit egreſſum per incarnationem & regreſſum. Notandum autem juxta litteram, quia non fuit C. hoc idolatria, nec ipſum lapidem Deum appellavit, aut ullo ſacrificio coluit, ſed ſigno tantùm & memoria, quòd ſibi Deus apparuiſſet, & quòd ibi tabernaculum Dei futurum erat.

*Uterque cod. portæ.

℣. XVIII. *Erexítque in titulum.*

Erectio lapidis reſurrectionem ſignificat Chriſti.

Cap. XXIX.

℣. II. *Vidit puteum in agro.*

P*Uteus* iſte ſcientiam Scripturarum figurat. *Tres greges accubantes* D. *circa puteum* ſignificant ſimplices & mites, qui ſcripturæ ſacræ myſteriis ſatiari deſiderant. *Lapis ſuperpoſitus puteo* tegmen litteræ deſignat, quo ſpiritalis aqua tegebatur. *Sed Jacob* noſter, id eſt: Chriſtus *lapidem amovit*, quia ſuperficiem litteræ dicuſſit, & ſpiritalem intellectum in Scripturis aperuit.

Poſſumus etiam per *puteum* fontem Baptiſmatis non inconvenienter intelligere. *Tres greges accubantes* deſignant eos, qui per humilitatem & ſanctæ Trinitatis fidem aqua Baptiſmatis purgari quærunt.

Digitized by Google

ỷ.X. *Quam cùm vidiſſet Jacob, & ſciret conſobrinam ſuam.*

Quæri poteſt, unde noſſet eam conſobrinam ſuam eſſe, quam nunquam ante viderat? Sed ſcire poſſumus, hòc eum à paſtoribus didiciſſe, cum quibus antea locutus fuerat. Ideoque mox ut eam vidit, cum fiducia in ejus oſculum irruit.

ỷ.XX. *Videbantur pauci dies.*

Quare dicit: ***videbantur pauci dies,*** cùm amatori etiam breve tempus longe videatur? Sed hoc dicit propter ſervitutem, quæ licèt dura eſſet, facilis ei videbatur propter amoris magnitudinem.

ỷ. XXVII. *Imple hebdomadam hujus copulæ.*

Hebdomadam hìc ſeptem annos dicit. Hebdomada dicitur ſeptem dierum, & ſeptem annorum, & ſepties ſeptem annorum.

Allegoricè hæ duæ mulieres duas ſignificant vitas, activam & contemplativam. Lia *laborioſa* interpretatur: ſignificat activam vitam. Quæ benè *lippis oculis*, ſed *fæcunda* fuiſſe dicitur: quia activa vita minus videt per contemplationem, ſed ſpiritales Deo parit filios per prædicationem & bonorum operum exempla. *Rachel* verò, quæ *ovis* vel *viſus principium* interpretatur, contemplativam deſignat vitam ſimplicem & quiete gaudentem, quæ illud cernit principium, quod loquitur in evangelio: *ego principium, qui & loquor.* (*Joan. VIII. 25.*) Eſt pulchra, ſed infœcunda: quia contemplativa vita decora & â Deo amabilis, nullo pulvere terreni contagii fœdata, ſed ſoli Deo vacans, eíque tantùm placere quærens nequaquam ſpiritales filios per prædicationem generat. Amat Jacob Rachel, ſed Liam in nocte accipit: quia unuſquiſque Sanctus deſiderat frui quiete contemplativæ vitæ, ſed priùs neceſſe eſt, ut nocte hujus ſeculi exerceatur labore activæ vitæ.

ỷ. XXVIII. *Hebdomada tranſacta.*

Non eſt putandum, quòd poſt ſeptem annos ſervitutis Rachel duxerit uxorem, ſed impletis ſeptem diebus poſt A. nuptias Liæ, quibus impletis ſervivit ſeptem annis.

Cui pater Balam ſervam tradiderat. ỷ. XXIX.

Liæ data fuerat ancilla ſuperiùs nomine zelpha: Racheli verò data Bala nomine. Zelpha interpretatur *os loquens:* Bala *inveterata.* Significant hæ duæ ancillæ eos, qui vel in activa vita vel in contemplativa non recta intentione bona operantur, nec recto ſtudio prædicant, id eſt: non pro Deo, ſed pro favore aut commodis ſeculi, de qualibus B. Apoſtolus dicit: *ſunt, qui prædicant Chriſtum non ſincerè.* (*ad Philip. I. 1.*) Et poſt pauca: *utrum ex occaſione, an pro veritate Chriſtus annuntietur, in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* (*ibid. 18.*) Unde rectè zelpha *os loquens* interpretatur: quia tales in ore habent prædicationes, non in corde, de quibus dicitur: *populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me.* (*Matth. XV. 8.*)

Bala autem *inveterata* dicitur: quia tales, licèt bonorum operum fructus C. quaſi bonos filios afferant, tamen quia non recto ſtudio hoc agunt, adhuc in veteris erroris converſatione perdurant.

Vocavit nomen ejus Ruben. ỷ. XXXII.

Ruben interpretatur *viſio filii* vel *videns filium.* Simeon *exauditio.*

Copulabitur mihi maritus meus. ỷ. XXXIV.

Alia translatio dicit: *perſequetur me vir meus.* Et eſt ſenſus: quia tres ei filios genui, amabit me ardentiſſimè, *& copulabitur mihi*, ut nunquam me deſerat. Inde nomen *Levi*, id eſt: *aſ-* D *ſumptus.*

Confitebor, id eſt laudabo Dominum. Juda, id eſt: *confeſſio.* ỷ. XXXV.

Cap. XXX.

Judicavit mihi Dominus. ỷ. VI.

ID eſt: judicium mihi fecit, & æquans me cum ſorore mea. *Idcirco vocavit nomen ejus Dan*, id eſt: *Judicium.*

Nephtalim, comparatio. ỷ. VIII.

Gad,

℣. XI. ***Gad***, felicitas vel fortuna, quæ Græcè *tychis* dicitur. In interpretationibus autem Hebræorum nominum dicit beatus Hieronymus Gad interpretari *accinctum*, vel *accinctionem*.

℣. XIII. ***Aſer*** interpretatur *beatus* vel *pinguis panis*.

℣. XIV. ***Reperit mandragoras.***

Mandragoræ ſunt poma pulchra quidem & adorifera*, ſed hiſpida.

*Cod. Teg. odora.

℣. XVIII. ***Iſſachar*** interpretatur *merces*.

℣. XX. ***Zabulon*** *habitaculum fortitudinis* interpretatur.

℣. XXIV. ***Joſeph*** *auctus* ſive *beatus* interpretatur.

℣. XXXIII. ***Reſpondebit cras juſtitia mea.*** *Cras* pro futuro tempore ponitur.

℣. XXXVII. & XXXVIII. ***Tollens virgas populeas, ut in aſpectu earum conciperent.***

Cùm propoſuiſſet Laban, ut varios fœtus pecorum haberet Jacob pro mer- C cede, ille prudentiâ ſolertis viri virgas populeas, & amygdalinas & ex platanis ex parte decorticavit, & ex parte integras dimiſit, poſuitque eas in canalibus, in quibus aqua putei fundebatur, ut venientes ad potandum oves duplici deſiderio coëundi & bibendi tenerentur, & ipſo calore coitus aſpicerent virgas, & ſic varios fœtus conciperent. Significat autem extremam partem patrationis, quando jam totum corpus animalis concutitur & finis imminet voluptatis. Nec incredibile hoc videri debet cuiquam, D cùm hodieque in Hiſpania de equabus, hoc idem fieri dicatur. Beatus quoque Auguſtinus dicit, in Libro Hypocratis Medici ſcriptum haberi, quòd, cùm quædam mulier Æthiopiſſa pulcherrimum & candidiſſimum puerum edidiſſet, & propter hoc tanquam rea adultera duceretur ad mortem, Hypocrates* Medicus ſuperveniens docuit, mulierem ad aſpectum rei, quam viderit, vel mente tenuerit, concipere. Unde juſſit requiri in domo ejus, utrum ibi imago, vel ſimilitudo aliqua eſſet, quam concumbens mulier habuerit. Quod & cùm ita in- A ventum fuiſſet, liberata eſt mulier à mortis periculo.

*Cod. Garſt. Hypocras.

Allegoricè *virgæ* ſignificant ſententias Patrum ſanctorum, quas ex corpore Scripturæ Divinæ quaſi ex arbore præcidunt. Quæ quia rectæ ſunt, *virgæ* vocantur. Has virgas ex parte decorticamus, & ex parte corticem remanere permittimus, quando ſcripturas Divinas partim hiſtorialiter, partim Allegoricè tractamus. Ubi enim hiſtoriam ſequimur, corticem dimittimus. Ubi verò hiſtoriam fugientes Allegoricæ inſiſti- B mus, quaſi cortice ſubtracto candorem ſpiritalis intelligentiæ operimus. Has ergo virgas in oculis ovium ponere, eſt ſcripturarum exempla mentibus fidelium proponere, ut ſecundùm quod ibi invenerint, vivant, & ſpiritales bonorum operum fœtus pariant.

Cap. XXXI.

Decem vicibus mutavit mercedem. ℣. VII.

Subauditur: *meam*. Cùm enim videret Laban varios fœtus augeri, mutata conditione dicebat: volo, ut varii fœtus meæ partis ſint: pecus verò unius coloris tuæ ſit partis. Rurſus cùm videret & nigra multiplicari, mutata rurſus conditione hæc ſibi aſſumebat. Tali modo decem vicibus dicit eum Jacob ſuam mutâſſe mercedem.

Typicè Laban, qui interpretatur *dealbatio*, diabolum ſignificat, qui licèt ſit ſuo merito tenebroſus, tamen transfigurat ſe in Angelum lucis.

Dixitque Angelus Dei: Jacob! vidi omnia, quæ fecit tibi Laban. ℣. XI. XII.

Ex hoc loco diſcimus, quòd ea, quæ Jacob fecit, non dolo nec fraude egit, ſed Divina diſpoſitione, vel etiam quia hæc in figura gerebantur, unde & Angelica viſione confortari meruit.

Contra montem Galaad. ℣. XXI.

Galaad interpretatur *acervus teſtimonii*. Sed necdum locus ille ita vocabatur: poſtea enim ita vocatus eſt, cùm ſibi mutuò juràſſent Jacob & Laban, & acervum lapidum in teſtimonium congregâſſent. Ergo per prolepſin, id eſt: per

Digitized by Google

per præoccupationem locus iſte acci- A. piendus eſt.

ỳ. XXXV. *Quòd coram te aſſurgere nequeo.*

Natura docet, ut filii parentibus aſſurgant, & eos honorent. Cùm ergo Rachel ſederet, & patri non aſſurgeret, excuſans ſe dicit: *ne iraſcatur Dominus meus.* Cauſas etiam, quare aſſurgere nequiret, compoſitè ſignificat dicens, menſtrua ſibi proveniſſe. Hoc eſt enim, quod dicit: *juxta conſuetudinem fœminarum accidit mihi.*

Allegoricè Laban diabolum vel mundum ſignificat, qui dealbatus & pulcher eſt ſuis amatoribus. *Idola Laban* ſignificant avaritiam. Dicit enim Apoſtolus: *& avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus.* (ad Epheſ. V. 5.) Hæc requiſivit Laban ab Jacob, quando diabolus regna mundi & gloriam & honorem eorum Chriſto oſtendit (quem Jacob ſignificat) putans in eo aliquod avaritiæ veſtigium poſſe reperire. Sed Jacob ignorabat idola, quia Chriſtus nullam habuit mundi cupiditatem. Rachel furata eſt idola, eáque ſubter ſtramenta abſcondens deſuper ſedit, quia Eccleſia veniens ad Chriſtum cupiditates ſeculi, quibus antea ſervierat, quàm eſſent deſpiciendæ, cognovit, eáſque per pænitentiam ſedendo, id eſt: ſe humiliando abſcondit. Seſſio namque humilitatem ſignificat. Unde Pſalmiſta: *ſurgite, poſtquam ſederitis.* (Pſal. XXVI. 2.)

ỳ. XXXVII. *Pone hìc coram fratribus meis.*

Fratres more ſcripturæ filios appellat.

ỳ. XL. *Æſtu urebar & gelu.*

Uno verbo, quod eſt: *urebar*, ad duo contraria reſpondit, ad æſtum & ad gelu: quia unus effectus eſt caloris & frigoris.

ỳ. XLII. *Timor Iſaac*, qui ab omni creatura eſt timendus.

ỳ. L. *Nullus ſermonis noſtri teſtis eſt abſque Deo.*

Nullus eſt videlicet extraneorum. Vel nullus abſque Deo: quia nullus ejus teſtimonio comparari poteſt.

Cap. XXXII.

Caſtra Dei ſunt hæc. ỳ. II.

Id eſt: Angelica agmina. Et benè pergenti Jacob ad fratrem obvii fuerunt Angeli Dei, ut videlicet per hoc confortaretur, & non metueret fratrem ſecurus de Angelico auxilio.

Diviſit in duas turmas, ỳ. VII.

Non, ùt quidam putant, in tres, ſed *in duas turmas populum.* Prima turma duarum ancillarum Zelphæ & Balæ cum filiis ſuis. Secunda turma fuit Liæ B. & Rachelis & eorum, qui cum eis erant.

Sed quæri poteſt hoc loco, cùm Deus promiſiſſet Jacob auxilium ſuum dicens: *noli timere, ego tecum ſum, & multiplicabo*, cur timuerit & providerit ſaluti ſuæ, & non potiùs ſe Deo comiſerit cuſtodiendum? Sed hoc monemur exemplo ne Deum tentemus, dum habemus, quod pro ſalute noſtra faciamus. Denique & Jacob, quamvis pro ſe ſibi providerit, audiamus tamen, quid orans dixerit.

C. *Deus patris mei Abraham erue me de manu fratris mei.* ỳ. IX. XI.

Dum ergo & ſibi providet, & Deum orat, dat nobis exemplum, ut vitæ noſtræ provideamus, & tamen divinum auxilium nobis adeſſe rogemus.

Et ecce vir luctabatur cum eo. ỳ. XXIV.

Vir iſte, qui *cum Jacob luctabatur*, Angelus erat. Luctatus autem non complexione brachiorum, ſed obnixa prece, qua obſecrabatur, ut ſe benediceret. Et hoc enim Oſeæ Propheta o- D. ſtendit dicet: *invaluit ad Angelum, & confortatus eſt. Flevit, & rogavit eum.* (Oſe. XII. 4.)

Myſticè Jacob claudus & fortis duas partes Judaici populi ſignificat, fideles videlicet & infideles. Claudus enim erat Jacob in infidelibus: ſanus & fortis in fidelibus. Quòd verò *nervum femoris ejus Angelus tetigit, & emarcuit*, moraliter ſignificat, quia quæcunque Deus ſua benedictione dignatur, in eo omnem carnis voluptatem facit emarceſcere.

Sed

Digitized by Google

℣. XXVIII. *Sed Iſraël erit nomen tuum.*

Mutatio nominis benedictio fuit. *Iſraël* autem quamvis benè ab omnibus *vir videns Deum* interpretari dicatur, melius *princeps cum Deo* dicitur. Et eſt ſenſus: *nequaquam ultra vocaberis Jacob, ſed Iſraël* erit nomen tuum, id eſt: ſicut ego princeps ſum: ſic & tu, qui mecum luctari potuiſti.

℣. XXX. *Phanuel facies Dei* interpretatur. Quia enim ille dixit: *vidi Deum facie ad faciem*, ideo locum illum *Phanuel* appellavit.

Cap. XXXIII.

℣. X. *Sic vide faciem tuam, quaſi vultum Dei.*

Hoc ad adulationem dixit, vel magis perturbato animo ob timorem fratris. Quamvis etiam poſſet dici, quia Deum pro aliquo magno viro poſuit. Solent enim ſancti viri *Dii* appellari, ſicut Moyſi dictum eſt: *conſtitui te Deum* *Exod. VII. 1.* *Pharaonis*. Nam & in Græco non habetur *tu Theu* cum articulo, quo Divina ſubſtantia intelligitur, ſed abſolutè *Theu*, in quo homo ſignificatur.

℣. XVIII. *Tranſiit in ſalem, urbem Sichimorum.*

Salem pro *Sichem* beatus Hieronymus corruptè poſitum dicit. Poteſt etiam intelligi eſſe civitates unius nominis. Salem urbs Jebuſæorum, in qua regnavit Melchiſedech, & alia Sale urbs Sichimorum: ſed diverſis litteris ſcribuntur apud Hebræos, & diverſam habent interpretationem. Illa enim Salem *pacis civitas* dicitur: hæc vorò Sale *conſummata* interpretatur.

Cap. XXXIV.

℣. I. *Egreſſa eſt Dina.*

Allegoricè *Dina* ſignificat animam ſua ſtudia negligentem, & aliorum facta ſtudioſiùs inquirentem. Quaſi enim egreditur ad videndas mulieres, cùm ſua intima projicit, & in exterioribus occupatur. Mox ergo ut ita egreditur, *à Sichem*, id eſt; à diabolo *opprimitur* & inceſtatur. Unde benè Dina *judicium iſtud* interpretatur. Iſtud enim

A. eſt judicium, ut, quia ſponte ſe negligens evagatur, mox à diabolo corrumpatur.

Quod verò dicit: *conglutinata eſt anima ejus cum ea*, ſignificat animam conſuetudine mala quaſi uniri cum diabolo, ut non ſolùm peccet, verùm etiam peccandi effectu & delectatione teneatur. Sed & ſi aliquando reſipiſcens contriſtatur per pœnitentiam, diabolus proponit ſpes vanas ut utilem triſtitiam ab ea auferat modò dicens, miſericordem eſſe Deum, modò aliorum facta graviora commemorans, nunc dicens quaſi nihil eſſe, quod fecit, nunc prolixæ vitæ tempora ad agendam pœnitentiam repromittit. Hoc eſt, quod dicit: *triſtem blanditiis delinivit*. Sed paſtores Eccleſiæ quaſi filii Jacob debent carnis vel animæ peccatum ulciſci, & gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, punire, *parati* ſemper ſecundùm Apoſtolum *ulciſci omnem inobedientiam*. ℣. III. *2. Corinth. X. 6.*

B.

Quæri poteſt ſecundùm litteram, quomodo filii rem tam magnam facere C. potuerint, quos ſuperiùs ipſe Jacob parvulos appellavit dicens ad Eſau: *noſti, quod parvulos habeam mecum?* Sed ſciendum non parvo tempore ibi moratum Jacob. Nam & tabernaculum ibi fixit, & altare conſtruxit, & partem magni agri emit centum agnis. Per hoc ergo oſtenditur diu ibi habitâſſe Jacob, quo tempore & filii ejus creverunt, & Dina nubilis facta eſt.

Quòd Simeon & levi tantùm commemorantur in facinore, ſciendum, plures eos habuiſſe ſocios, ſed iſti auctores D. cædis fuerunt, quorum ſoror uterina erat Dina.

Cap. XXXV.

Et inaures, quæ erant in auribus earum. ℣. IV.

Inaures ad ornamentum pertinent magis quàm ad idolatriam. Nam & ſuperiùs ſervus Abraham inaures impoſuiſſe dicitur ad ornandam faciem Rebeccæ. Ergo ſciamus vocari phylacteria, quæ idolis imponebantur.

Digitized by Google

℣.V. *Terror Dei invaſit omnes per circumitum nationes.*

Ut promiſſionem ſuam Deus impleret, quam ad Jacob habuerat, ideo Divino terrore habitatores terræ illius perculit. Neque aliter per medium illarum nationum Jacob illæſus tranſire potuiſſet.

℣.X. *Non vocaberis ultra Jacob.*

Ipſa penè verba, quæ Angelus dixerat, dixit & Dominus, non tamen tunc vocatus eſt Iſraël, ſed prædictum eſt ei, quòd ita vocandus eſſet. Quod ergo ibi prædictum eſt, hîc eſt impletum.

℣.XI. *Creſce & multiplicare.*

Hoc meliùs ad ſpiritalem Iſraël refertur, qui *creſcit & multiplicatur* in virtutibus. Omnis enim, quicunque ſupplantator eſt vitiorum, & mente Deum contemplatur, rectè *Jacob* vel *Iſraël* appellatur. Quod ergo dicit: *ultra non vocaberis Jacob*, non ad illum hominem, ſed ad ſpiritale ſemen Jacob pertinet. Ille enim poſtea Jacob vocatus eſt. Sancti verò omnes, id eſt: verus Iſraël, poſtquam omnem corruptionem & vetuſtatem depoſuerit, non dicetur *Jacob*, id eſt: ſupplantator. (Non enim erunt vitia, quæ ſupplantet:) ſed potiùs *Iſraël* vocabitur, quoniam Deum, ſicut eſt, videbit, & ſumma beatitudo erit ei viſio creatoris.

Reges de lumbis tuis.

Id eſt: qui verè reges ſunt, ſemetipſos ſecundùm voluntatem Dei benè regentes, qui filii ſunt Iſraël per imitationem.

℣.XIV. *Erexit titulum lapideum.*

Obſerva, quòd non dicit: *libans ei*, ſed: *ſuper eum.* Non enim lapidi ſacrificavit, quod idolatræ faciunt, ſed Deo ſuper lapidem ſacrificavit.

℣.XVI. *Ephrata.*

Ipſa eſt *Bethlehem*, & interpretatur *frugis terra:* Bethlehem autem *Domus panis* interpretatur.

℣.XVIII. *Pater appellavit eum Benjamin.*

Mater, quæ pro illo moriebatur, *doloris filium* appellavit. Erat enim pro-A.phetia Pauli Apoſtoli, qui de illa tribu fuit, qui matrem, id eſt: Eccleſiam perſequendo magno dolore affecit. Pater verò prævidens illum ſpiritu prophetico convertendum, vocavit illum *filium dextra*, quia de ſiniſtra infidelitatis transferendus erat ad dexteram fidei & prædicationis.

Allegoricè *Benjamin* in hoc loco civitatem Jeruſalem ſignificavit, cujus major pars in tribu Benjamin ſita erat. Quæ matrem ſuam, id eſt: Synagogam dolore uſque ad mortem affecit, quando mundi Redemptorem ad necem popo-B.ſcit clamans: *crucifige, crucifige eum.* *Job. XIX. 6.*

℣.XXI. *Trans turrim gregis.*

Gregis turrim dicit, id eſt: gregis. Tradunt Judæi, hìc poſtea templum Dei factum, unde *turris gregis*, id eſt: multitudinis, congregationis, vel cœtus appellatur. Beatus Hieronymus *turrim gregis* dicit *turrim paſtorum*, quæ eſt ultra Bethlehem, ubi paſtores Sancti Angelico affatu natum Dominum cognoverunt, ubi etiam ipſorum trium paſtorum corpora requieſcunt. De hac turri per prophetam prædictum fuerat: C.*& tu turris gregis nebuloſa, ad te veniet poteſtas prima filiæ Sion.* *Mich. IV. 8.*

℣.XXII. *Abiit, & dormivit cum concubina patris ſui.*

Juxta litteram facinus Ruben deſcribitur. Allegoricè verò *Ruben* primogenitus Judæos deſignat, quibus primò cognitio Dei facta eſt, & de quibus dictum eſt: *filius primogenitus meus Iſraël. Bala concubina* legem deſignat. Quod enim lex per concubinam deſignetur, Apoſtolus Paulus oſtendit, qui per Agar D.concubinam Abrahæ dicit deſignari legem, quæ in monte Sina data eſt. *Ruben* verò *cum concubina patris concubuit:* quia Judaicus populus legem ſanctam & juſtam corrupit falſis traditionibus, atque dignitatem primogeniti amiſit. *ad Gal. IV. 24.*

℣.XXVI. *Hi filii Jacob, qui nati ſunt ei in Meſopotamia.*

Quæri poteſt, quare omnes in Meſopotamia hos natos dicit, cùm Benjamin non ſit natus in Meſopotamia? Poteſt facilis eſſe reſponſio, ut dicamus, per Synecdochen eſſe dictum, id eſt: à toto

Digitized by Google

toto partem. Vel etiam ideo omnes di- A. cuntur in Meſopotamia nati: quia Benjamin licèt ibi natus non ſit, cauſas tamen naſcendi inde habuit. Ibi enim conceptus eſt, ſed intra Chanaan natus.

℣. XXIII. *Mambre, Arbe, & Hebron* una eſt civitas.

Cap. XXXVI.

℣. VI. *Abiit in alteram regionem.*

HIc quæri poteſt, cur Eſau poſt mortem patris dicatur abjiſſe in Seir, B. & receſſiſſe à fratre ſuo, cùm jam, quando venit Jacob, in Seir dicatur habitâſſe? Sed fieri potuit, ut Jacob fugiente in Meſopotamiam dolore & ira prærepta ſibi benedictionis receſſerit à parentibus, & habitaverit in Seir per viginti annos, quibus Jacob abſens fuit. Poſtquam verò reverſus eſt Jacob, & fratri ſuo reconciliatur, rurſus de Seir cum fratre ſuo, donec pater vixit, habitavit cum eo. Iſaac mortuo, ſicut hic dicitur, tulit ſubſtantiam domus ſuæ, & receſſit à fratre ſuo. *Divites enim erant valde, & ſimul habitare non poterant.*

℣. X. *Eliphaz*, iſte qui in libro Job legitur *Eliphaz Themanites.*

℣. XX. *Filii Seir Horræi liberi* interpretantur. Hi, ſicut in Paralipomenon libro legitur, primò habitaverunt in monte Seir, quos expulerunt Idumæi, & pro illis habitaverunt.

℣. XXIV. *Iſte eſt Ana, qui invenit aquas calidas.*

Hic locus variè ab Hebræis exponitur. Dicunt enim quidam, quòd lacum D. in deſerto repererit, quoniam facile in illis locis invenitur. Unde & alia tranſlatio dicit: *invenit jamim in ſolitudine. Jamim* Hebraicè *maria* dicuntur, id eſt: aquarum collectio. Alii dicunt, quòd onagros, id eſt: agreſtes aſinos ad aſinas admitti fecerit, ut inde aſini velociſſimi naſcerentur. Non nulli dicunt, quòd ad gregem equarum aſinos aſcendere fecerit, ut ex hujuſcemodi concubitu muli naſcerentur. Quidam ſimpliciter *aquas calidas* dicunt eum in deſerto reperiſſe, quas termas vocamus.

Reges, qui regnaverunt in terra Edom. ℣. XXXI.

Sciendum, quia non omnes reges commemorat, qui fuerunt, antequam haberent regem filii Iſraël, quorum primus fuit Saul, ſed hos tantùm, qui regnaverunt, dum ipſe Eſau viveret.

*Balaach * filius Beor.* ℣. XXXII.

Non eſt hic *Balaach*, qui in libro Numerorum legitur mercede conduxiſſe Balaam ariolum. Ille enim rex fuit Edom: iſte verò rex fuit in Seir, & ille filius fuit Sephor, iſte filius Beor.

* *Ita uterque cod. vulg.* Bela,

Jobab. ℣. XXXIII.

Hunc quidam putant eſſe Job: ſed meliùs de ejus ſtirpe fuiſſe creditur, ſicut ſupra dictum eſt.

Cap. XXXVII

Accuſavit fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo. ℣. II.

PUtant quidam, quòd accuſaverit eos, quia cum pecoribus commiſcebantur. Sic Alwinus in quæſtioni- C. bus ſuis. Alii dicunt, quod Ruben pro concubina patris ſolum accuſaverit. Quod ſi ita eſt, per Synecdochen, id eſt: à toto partem debemus accipere. Non enim omnes fratres accuſavit, ſed unum ſolum.

Tunicam polymitam. ℣. III.

Id eſt glutinatam, vel orbiculatam, pulchra varietate diſtinctam. Alia tranſlatio habet: *fecit tunicam talarem*, quæ Græcè poderis dicitur. Symachus verò *tunicatam*, id eſt: manibus artificis miro decore variatam vel manicatam, id eſt, manicas habentem. Illo enim tempore maximè colobiis utebantur, id eſt: veſtibus ſine manicis. Hiſtoria Joſeph ad litteram patet, nunc myſterium inveſtigemus.

Joſeph allegoricè Chriſtum ſignificat juxta humanitatem. *Jacob diligebat Joſeph plus cæteris fratribus:* & Deus Pater ſingulariter amabat Chriſtum filium ſuum præ omnibus Judæis, qui erant fratres ejus ſecundùm carnis ſuſceptionem. *Fecit ei tunicam polymitam*, id eſt multitudine credentium ex omnibus circumdedit illum dicens per Prophe-

Digitized by Google

Iſa.XLIX. 11. tam: *His omnibus velut ornamento veſtieris. Oderant enim eum fratres ſui:* & Judæi videntes Chriſtum per ſigna & miracula Dei filium declarari, invidebant ei, & ſæpe in dolo & per inſidias cum eo loquebantur.

Quod verò dicit *per ſomnium manipulum ſuum ſtare, & fratrum manipulos ſuum manipulum adorare*, ſignificat, quia poſt reſurrectionem ab omnibus credentibus cum fructu bonorum operum adorandus erat. Ipſe eſt enim granum frumenti, quod per mortem ſeminatum germinavit per reſurrectionem, & ſic manipulos fidei & bonorum operum protulit per univerſum Mundum.

Quod verò *aliud narrans ſomnium dixit ſe Sole & Luna & ſtellis undecim adoratum*, quæri poteſt ad litteram, ubi vel quando adoratus inveniatur à Patre, qui per *Solem*, & à Matre, quæ per *Lunam* deſignabatur. Neque enim Jacob, quando in Ægyptum deſcendit, eum legitur adoràſſe. Mater verò ejus in Bethlehem defuncta fuerat. Ergo quia hoc ad litteram ſtare non poteſt, recurramus ad allegoriam. Hæc enim viſio manifeſtè Prophetica fuit de Chriſto, quem Sol, Luna, ſtellæ & omnis adorat creatura.

Myſticè etiam Sol, id eſt: excellentia & claritas Sanctorum illum adorat: Luna, id eſt: Eccleſia: ſtellæ, id eſt: ſinguli quique fidelium illum venerantur ſicut Deum.

℣. XIII. & ſeq.

Miſſus eſt Joſeph à patre ſuo, ut, quid agerent fratres vel greges eorum agnoſceret.

Miſſus eſt & Dei filius à Deo Patre in Mundum, ut homines, quos ſibi deſtinaverat, quaſi oves ad fidem colligeret, & ad æterna paſcua dirigeret.

℣. XIX.

Invenit eos in Dothaim.

Dothaim *defectio* interpretatur. Et revera in magna defectione erant, qui de fratricidio cogitabant.

℣. XXIV Joſeph à fratribus *in ciſternam miſſus eſt talari tunica ſpoliatus:* & Chriſtus carnis tunica per mortem depoſita deſcendit ad infernum. *Tunica* autem *talaris* moraliter ſignificat opus bonum cum conſummatione. Nam & *Levit. VII. 3.* in ſacrificio Dei *cauda* hoſtiæ jubebatur

A. offerri. In cauda eſt finis corporis. Et caudæ hoſtia offertur, quando virtus inchoata ad perfectionem deducitur.

Portantes ſtacten in Ægyptum. ℣. XXV.

Stacte gutta myrrhæ arboris, quamvis & ipſa myrrha vocetur. Extractio Joſeph de ciſterna reſurrectionem ſignificat Chriſti.

Venditus eſt Joſeph Iſmaëlis negotiatoribus conſilio Judæ Patriarchæ: ℣. XXVII.

Venditus eſt Chriſtus conſilio Judæ B. Scarioth, & poſt à gentibus* pretio fidei. In LXX. habetur: *aureis*. Sed meliùs in Hebraica veritate habetur: XX. argenteis. Neque enim ſervus mediatoris metalli pretio vendi debuit, quo Dominus. Sed hoc juxta litteram.

* *Ita Cod. Tegernſ. Sed Garſt.* emptus argenteis pretio fidei.

Quærendum eſt, quid ſit, quod ſuperiùs dicit: *Viderunt viatores Iſmaëlitas venire:* & hìc dicit: vendiderunt eum Madianitis. Iſmaël fuit de Agar, Madian de Cetura. Ergo vera eſt opinio Hebræorum, qui dicunt Agar & Ceturam unam fuiſſe fœminam. Poteſt & hoc dici, quia ſuperiùs legimus, quòd C. Abraham filiis concubinarum dederit munera, & ſeparaverit eos à filio Iſaac ad Orientem: tunc hi duo, Iſmaël videlicet & Madian ſimul habitare cœperunt, & unam gentem fecerunt.

Tulerunt tunicam ejus. ℣. XXXI.

Tunica Joſeph caro eſt Chriſti, quam de Virgine ſumpſit, & variis virtutum figuris decoravit. Hanc in ſanguine hœdi tinxerunt, quando invidiam peccati ei facere voluerunt accuſantes eum apud Præſidem quaſi ſeditioſum & commoventem populum.

D. *Hanc invenimus*, usque: *fera peſſima devoravit eum.* ℣. XXXII. & XXXIII.

Planctus iſte Jacob propheticus plus dolet de Judæorum perditione quàm de filii ſui Joſeph, ùt putabat, morte. *Fera* autem *peſſima* populus erat Judæorum, de quibus olim Pſalmiſta: *Filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ.* *Pſal. LVI. 5.*

Lugens in infernum. ℣. XXXV.

Hinc beatus Auguſtinus quærit, utrum ſoli mali ad infernum deſcendant, an mali ſimul & boni. Aut fortè perturba-

Digitized by Google

turbati animi verba ſunt. Sed credibile A. eſt, fuiſſe apud infernum quædam loca ſecretiora & minus pœnalia ante paſſionem Domini, ad quæ etiam Sancti deſcendebant, quia nullus Paradiſum ingredi poterat, nullus portam regni cœleſtis intrare, donec Chriſtus Romphæam igneam amoveret.

℣. XXXVI. *Putiphari evnucho.*

Hunc alia translatio non magiſtrum militiæ, ſed archimargyrum, id eſt: principem coquorum appellat, qui etiam ſacerdos Heliopolis fuiſſe dicitur. Ubi quæri poteſt, quomodo uxorem habens ſacerdos eſſe potuerit. Nam Gerophan- B. tæ Ægyptiorum non niſi caſti & ab uxoribus alieni eſſe poterant. Tradunt Judæi, Joſeph pulcherrimum fuiſſe, & ob hoc ad turpe miniſterium emptum, ſed Deus ejus virilia areſecit, ne caſtum puerum corrumpere poſſet. Tunc factus eſt ſacerdos Heliopolis, qui antea laicalis erat.

Cap. XXXVIII.

℣. III. *Vocavit nomen ejus Her.*

℣. IV. ad ℣. X. *Rurſus concepto fœtu appellavit nomen ejus Onan* & cætera C. usque: *occidit eum Dominus, quia rem deteſtabilem faceret.*

Judas hoc loco typus eſt regiæ ſtirpis, quæ de Juda deſcendit. Duo filii Judæ duo genera ſignificant malorum hominum, nocentium videlicet, qui ſignificantur per *Her*, de quo dicitur: *Fuit Her nequam coram Domino, & ab eo occiſus eſt.* Unde & Her *pellis* vel *pelliceus* interpretatur. Pellis enim peccata ſignificat: & primi parentes noſtri poſt peccatum tunicas pelliceas leguntur habuiſſe. Aliud genus eſt malorum homi- D. num præſtare nolentium, id eſt: benefacere, quos ſignificat *Onan.* Interpretatur enim *mæror eorum*, ſubauditur: quibus beneficium præſtare non vult: de quo dicitur, quia *ſemen fundebat in terram nolens naſci filios fratri ſuo mortuo.* Et hos ergo, qui malè faciunt, & illos, qui præſtare nolunt, ultio Divina condemnat.

℣. V. *Tertium quoque peperit.*

Tertius, qui ſine uxore erat, & *Sela* vocatur, illud ſignificat tempus, quando Judæi ſine rege, ſine ſacerdote, ſine ſacrificio erant. Unde & Sela *diviſio ejus* interpretatur.

Theriſtrum genus eſt veſtimenti, ℣. XIV.
quo Palæſtini & maximè Arabicæ mulieres utuntur. Dicitur autem *theriſtrum*, eò quod in *theri*, id eſt: in æſtate illo velamine utuntur. Diſcimus autem ex hoc loco, illo etiam tempore alia fuiſſe veſtimenta viduarum, & alia meretricum.

Habeat ſibi, certè mendacij nos arguere non potuit. ℣. XXIII

In facto Judæ non juſtitia, ſed fides apparet. Si enim juſtus fuiſſet, caſtitatem ſervâſſet. Fides autem in hoc fuit, quia hœdum, quem promiſerat, remiſit.

Myſticè Judas hoc loco perſonam gerit Chriſti. Thamar, quæ *amaritudo*, vel *commutata* interpretatur, typus eſt Eccleſiæ, quæ in amaritudine Idolatriæ verſabatur. Sed venit ad eam Judas, requiſivit cum paſtore ſuo Odollamita, qui Hiras vocabatur. *Hiras* autem interpretatur *fratris mei viſio*, Johannem Baptiſtam deſignans, quem Chriſtus ante ſe præconem præmiſit. Erat *Odollamita*, qui interpretatur *teſtimonium:* quia Domino teſtimonium in aqua Jordanis perhibuit. *Venit Judas ad tondendas oves:* venit Chriſtus ad homines, ut eos velleribus & ſordibus peccatorum exoneraret. *Tunc Thamar vidit*, id eſt: miſertus eſt Eccleſiæ, & mutato nomine & habitu fecit eam de Synagoga Eccleſiam, de meretrice ſponſam. Quod autem non cognovit eam, hoc eſt, quod ipſe per Pſalmiſtam dicit: *Populus, quem* Pſal. XVII.
non cognovi, ſervivit mihi. Dedit ei 44.
pro arrhabone *anulum*, *baculum*, *armillam*, pignus videlicet vocationis, juſtificationis & glorificationis, ſicut Apoſtolus dicit: *Quos vocavit, hos juſtifica-* Rom. VIII.
vit, & quos juſtificavit, illos & glori- 30.
ficavit.

Juſtior me eſt. ℣. XXVI

Quia non tradidi eam Sela filio meo. Alia translatio dicit: *Juſtificata eſt ex me*, id eſt: mei comparatione. Non enim fecit hoc deſiderio vagæ libidinis, ſed amore generandæ prolis.

Digitized by Google

℣. XXIX. *Quare diviſa eſt propter te maceria?* A.

Maceriam vocat membranulam ſecundarum. *Phares* autem interpretatur *diviſio*, à quo Phariſæi.

℣. XXX. *Zara* interpretatur *Oriens*, vel quia prior egredi debuit, vel quia ex illius familia multi juſti & ſapientes exorti ſunt.

Allegoricè per hos duos filios Judæ duo populi figurantur: per *Zaram*, qui primus manum eduxit, Judaicus populus deſignatur, qui quaſi manum præbuit, quando ſe præparatum ad Dei mandata implenda oſtendit. B. *Cui obſtetrix coccinum ligare voluit*, id eſt: fide Dominicæ paſſionis & crucis illum inſignire. Coccinum verò, quod ſanguinis habet colorem, Chriſti indicat paſſionem. *Sed ille manum* cruentatam ſanguine Prophetarum & ipſius Domini *retraxit*: quia fidem paſſionis ejus recipere noluit.

Illo tardante junior egreſſus eſt frater, hoc eſt: populus gentilis credendo in Chriſtum ad obediendum præceptis ejus ſe præparavit.

Cap. XXXIX.

℣. VI. *Erat autem Joſeph pulchra facie.*

Joſeph diximus Chriſtum ſignificare, cujus pulchritudo omnem ſuperexcellit
Pſ. XLIV. 3. formoſitatem, de qua Pſalmiſta: *Specioſus forma præ filiis hominum.* Et Apo-
1. Petri I. 12. ſtolus: *in quem deſiderant Angeli proſpicere.* Ipſe revera *proſperè in omnibus agit, & omnia in manu illius diriguntur.*

℣. VII. *Poſt multos itaque dies injecit domina oculos ſuos in Joſeph.*

Mulier hæc typum tenet Synagogæ, quæ habebat virum, legem videlicet ipſam, qua regebatur & docebatur. D. Hæc Chriſtum in homine apparentem voluit lenocinando decipere: quia Synagoga volebat ejus* legem carnaliter obſervare, Sabbatum & omnia, quæ illi in figura data fuerant, juxta litteram implere. Cui cùm Chriſtus nollet obtemperare, *pallium ei rejecit*, quia tegmen litteræ legalis illi dimiſit. Unde, ſicut Apoſto-
2. Cor. III. 15. lus dicit, *usque hodie dum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor ejus.* Sicque illam plebem dimiſit Dominus di-
Matth. XXIII. 38. cens: *Relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, & ad gentes tranſiit cum ſpiritali Scripturarum intellectu.

* Cod. Garſt. vol. xvi leg.

Accuſavit eum mulier in argumentum marito pallium oſtendens: quia Synagoga Chriſtum accuſabat legis deſtructorem, & quia ſe Deum dicebat æqualem ſe faciens Deo. ℣. XVI.

Mittitur Joſeph in carcerem: Chriſtus deſcendit ad infernum. Educitur Joſeph de carcere: Chriſtus ſurgit à morte. Sed qui ſolus miſſus fuerat in carcerem, non ſolus eductus eſt. Nam principem, qui calicem porrigebat, eduxit, & in priſtinum gradum reſtituit. Sic & Chriſtus reſurgens ſuos de inferni carcere liberavit. ℣. XX.

Cap. XL.

Pincerna, miniſter vini, qui calicem regi porrigebat, vel propinabat. Hoc miniſterium non vile fuiſſe apud antiquos oſtendunt fabulæ Poëtarum, in quibus refertur, quòd Jupiter amaſium ſuum Ganimedem pincernam Deorum conſtituerit. ℣. I.

Et in uno caniſtro, quod erat excelſius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria. ℣. XVII.

In Græco habetur: *portare me chondriton**, id eſt: panem cibarium. C. Sed hoc non convenit Pharaoni, ut cibario pane veſceretur. Potuit tamen fieri, ùt beatus Auguſtinus dicit, ut caniſtra videretur habere deorſum panes cibarios, ſupra quos erant omnia, quæ fiunt arte piſtoria.

* Cod. Garſt. contiton. Tegern. dontiton. S. Aug. Lib. I. Quaeſt. in Geneſ. Quaeſt. CXXXI.

Myſticè hi duo viri duo ſunt populi, qui ambo graviter peccaverunt, ùt Apo-
ſtolus dicit: *Non eſt diſtinctio Judæi & Græci. Omnes peccaverunt & egent gloria Dei.* Rom. X. 12. Sed apparente vero Joſeph alter, id eſt: Judaicus non credendo in ligno crucis damnatus eſt, in ligno prævaricationis.

Tertia autem *dies*, qua vel ille reſtitutus vel ille ſuſpenſus eſt, Dominicam ſignificat reſurrectionem, quæ tertia die facta eſt. ℣. XX.

Cap. XLI.

Poſt duos annos Pharao vidit ſomnium &c. ℣. I.

Septem anni ubertatis, quæ per *ſeptem boves pingues*, & per totidem *ſpicas plenas atque formoſas* deſignantur, myſticè ſignificant plenitudinem ſeptiformis gratiæ

Digitized by Google

gratiæ Spiritus Sancti, quæ primis temporibus in Apoſtolis & cæteris credentibus manifeſtabantur. Sterilitas autem ſeptem annorum ſequentium, quæ per *ſeptem boves macilentos* & per totidem *ſpicas tenues & uredine percuſſas* oſtenſa eſt, tempus illud ſignificat, quo in fine ſeculi refrigeſcente charitate & abundante iniquitate erit fames verbi DEI, quam Dominus per Prophetam prædixit: *mittam*, inquiens, *famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbi Dei.* *Amos VIII. 11.*

ỹ. XIV. *Protinus eductum de carcere totonderunt.*

Eductio Joſeph de carcere reſurrectio eſt Chriſti, per quam omnem mortalitatem & infirmitatem quaſi capillorum excrementa projecit, & veſtem immortalitatis ac jocunditatis accepit.

ỹ. XLII. *Tulit anulum de manu ſua.*

Anulus in manu Joſeph Pontificatum fidei deſignat, qui *in manu*, hoc eſt: in poteſtate Chriſti conſtitutus eſt. Factus eſt enim Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech. *Stola byſſina* ſignificat ſanctam carnem ejus, quæ de terra Virgineæ carnis exorta eſt, & ſicut byſſus diverſis paſſionibus macerata pervenit ad candorem immortalitatis & gloriæ ſempiternæ. *Et torquem auream collo circumpoſuit. Torques aurea*, qua collum Joſeph ornabatur, ſapientiam deſignat cœleſtem, quæ ſicut circulus nec initium habet nec finem. Poteſt etiam per *torquem auream* bona voluntas & bonorum ſimplicitas accipi.

ỹ. XLIII. *Fecitque aſcendere currum.*

Joſeph *currum aſcendit*: quia Chriſtus Divinis muneribus decoratus ad cœlos rediit. *Clamante præcone.* Præco, qui gloriam ejus annuntiabat, eſt Johannes Baptiſta, qui primum ejus adventum nuntiavit, ſive tuba Angelica, quæ eum ad judicium venientem præveniet.

ỹ. XLV. *Vocavit eum Salvatorem Mundi lingua Ægyptiaca.*

Id eſt: *Phontophones.* Alia editio dicit: *vocavit eum patrem tenerum: patrem* propter ſapientiam: *tenerum* propterea, quia adoleſcens erat.

Triginta autem annorum. ỹ. XLVI.

Hæc ætas perfecta eſt in homine, in qua & David rex conſtitutus eſt, & Ezechiel exorſus eſt prophetare. Ipſe quoque Dominus omnium in hac ætate baptizatus cœpit prædicare.

Stetit ante Pharaonem: quia Mundo ſe præſentavit prædicando & miracula faciendo.

Manaſſes interpretatur *oblivio*: ỹ. LI.
Ephraim creſcens vel frugifer. LII.

Aperuit Joſeph horrea, & vendebat Ægyptiis frumenta. ỹ. LVI.

Et Chriſtus in toto Orbe horrea Divini verbi aperuit, eiſque vendidit frumenta Divinorum eloquiorum, accipiens inde ſalutis illorum pretium.

Cap. XLII.

Dixit Jacob filiis ſuis: deſcendite in Ægyptum. ỹ. I.

Jacob tenet hic figuram Dei Patris. *Frumentum* Chriſtus eſt, qui ſe grano frumenti comparavit. *Mittit Jacob pro frumento in Ægyptum*: & Deus Pater de Ægypto Mundi hujus revocavit Filium dicens: *ex Ægypto vocavi Filium meum.* *Matth. II. 15.* Decem majores fratres, qui miſſi ſunt, perfectiores deſignant ex plebe Judaica, qui legis Decalogum ſpiritaliter noverant adimplere.

Quaſi ad alienos duriùs loquebatur. ỹ. VII.

Non eſt deputandum crudelitati, quòd ſic fratres afflixit, vel quòd mutuam cognitionem diu diſtulit: quia hoc fecit volens experiri, utrum à malitia ceſſâſſent, qua eum vendiderant, & an tales exiſterent erga fratrem ſuum, quales erga ſe eos fuiſſe noverat, quem in exteris regionibus vendiderant.

Recordatus eſt ſomniorum, quæ aliquando viderat, ỹ. IX.

Quòd videlicet Sol & Luna & ſtellæ illum adorarent. Et revera Chriſtum adorat omnis creatura, & ſpiritaliter adorat eum Sanctorum perfectio, Eccleſiæ ſplendor, & omnis electorum multitudo, juvenes & virgines, ſenes cum junioribus.

Avertitq; ſe parumper & flevit. ỹ. XXIV.

Jure *Joſeph* Chriſtum ſignificat, qui tot

tot virtutibus refulget, caſtitate, qua A. amantis dominæ improbitatem pro nihilo duxit, ſapientia, qua ſecreta ſomniorum diſſolvebat, & futura prædicebat. Erat etiam ſeverus in corrigendis fratribus, pius in fovendis, quorum injurias non ſolùm non ulciſcebatur, verùm etiam pro illis flebat.

℣. VIII. & IX. *Judas quoque dixit: mitte puerum mecum*, uſque: *reus ero peccati in patrem meum omni tempore.*

Conſideremus verba Ruben, quæ B. ſuperiùs poſita ſunt. Ait enim: *Duos filios meos interfice, ſi non reduxero eum tibi.* Et tamen cùm tam magnam rem, mortem videlicet filiorum propoſuerit, non obtinuit, quod volebat. Conſideremus & verba Judæ, quibus ſe pro puero obligavit: *Si non reduxero*, inquit, *eum tibi*, *reus ero peccati omni tempore*, & impetravit, quod volebat. Ejus enim curæ Benjamin commiſſus eſt. Videamus ergo, ne plus ſit reum eſſe peccati, quàm corporaliter aliquem occidi.

℣. XI. *Modicum reſinæ.* C.

Reſinam gummi dicimus, quo nomine generalitet omnes arbores vocantur: ſed hìc intelligitur ſpecies, quæ ſic proprio nomine dicitur. *Stiracis* *. Stiracis genus eſt reſinæ. Pro ſtirace LXX. *thymiama* poſuerunt, quod Hebraicè dicitur *nechota.* *Stacte* gutta myrrhæ arboris. *Terebinthus* arbor, cujus reſina ſimiliter vocatur.

* *Ita uterq. Cod.*

℣. XXIII. *Nam pecuniam, quam dediſti mihi probatam, ego habeo.*

Non eſt mendacium, quòd dicit ſe pecuniam habere, quam illi invenerant D. in ſaccorum ſummitate. Vir enim ſapiens erat, utpote ſapientis domini diſpenſator, & ideo non de argenti dixit pecunia, ſed de ea, quæ ſemper datur, & non minuitur. Unde *probatam* dixit, ſecundum quod Pſalmiſta ait: *eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum.* *Pſal. XI. 7.*

℣. XXXII. *Seorſum Joſeph, & ſeorſum fratribus*, quaſi extraneis: *Ægyptiis* quaſi indigenis *ſeorſum.*

Major pars venit Benjamin. ℣. XXXIV

Benjamin diximus Paulum Apoſtolum ſignificare, cui major pars obvenit, quia plus cæteris in prædicatione laboravit, & ab Jeruſalem uſque in Illyricum replevit Evangelium Chriſti.

Cap. XLIV. ℣. II.

Pone ſcyphum meum in ore ſacci junioris.

Allegoricè per Benjamin, ùt ſæpe diximus, Paulus Apoſtolus deſignatur, qui *junior* vel minimus dicitur, quia *Act. VII. 57.* necdum virum agebat in Chriſto, & in Actibus Apoſtolorum *adoleſcens* dicitur. Ipſe quoque de ſe dicit: *ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus quoniam perſecutus ſum Eccleſiam DEI.* *1. Corinth. XV. 9.* *Scyphus argenteus* ſplendor Divinorum eloquiorum, quæ ſpecialiter Paulo commiſſa ſunt. Majus enim ſcientiæ donum cæteris habuit, juxta quod beatus Petrus teſtimonium perhibet dicens: *ſicut frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi ſcientiam * ſcripſit nobis.* Habebat ſcyphum argenteum, id eſt: Divinam ſcientiam, ſed latebat intra ſaccum, hoc eſt: intra legalis litteræ utilitatem. * Sed venit diſpenſator, diſrupit ſaccum: venit Ananias miſſus à Chriſto diſſolvit legalis litteræ groſſitudinem, id eſt: cæcitatem. Mox ſcyphus reſplenduit: quia Paulus continuò fiducialiter in Synagogis agere cœpit prædicans Chriſtum, & occidentem legis litteram ad ſpiritalem transferens intellectum.

* *Cod. Teg. Sapientiam.*

* *Ita uterque Cod. f. leg. vilitatem.*

Reverſus in oppidum. ℣. XIII.

Juxta litteram non crudelitate fratres vexabat, ſed peccatum venditionis, quod in eo commiſerant, purgabat. Simul etiam ut experiretur, ſi tales eſſent erga fratrem ſuum, quales erga ſe extiterant.

Cap. XLV. ℣. XVII.

Onerantes jumenta &c.

Hoc loco Pharao typum tenet populi gentilis, qui gaviſſimus eſſe de converſione Judæorum in fine ſeculi, eiſque promittet capias Divinarum ſcripturarum, & medullam terræ, hoc eſt: ſuavitatem ſpiritalis intelligentiæ.

Fece-

Digitized by Google

℣. XXI. *Fecerúntque filii Iſrael, ut eis fuerat imperatum.*

Fratres Joſeph Apoſtoli ſunt, fratres Chriſti, Petrus & Paulus & cæteri.

℣. XXII. *Benjamin dedit trecentos argenteos.*

Hoc eſt: fidem ſanctæ Trinitatis & crucis Chriſti prædicanda myſteria. Nam *Tau* littera, quæ figuram crucis habet, CCC. deſignat numeros. Et Paulus
I. Cor. II. 2. Apoſtolus de ſe dicit: *nihil me judicavi ſcire inter vos niſi Chriſtum JEſum & hunc crucifixum.* Dilecto quoque B.
II. Tim. II. 8. diſcipulo mandat: *noli erubeſcere crucem Chriſti, neque, me vinctum ejus.* Accepit & *quinque ſtolas optimas*, hoc eſt: ſapientiam & moderationem quinque ſenſuum, quæ omnia ampliora in Paulo quàm in cæteris fuêre. Cæteri fratres *binas ſtolas* acceperunt, ut videlicet Chriſtum Deum & hominem prædicarent Deique & proximi dilectionem tenendam prædicarent.

℣. XXIII. *Aſini*, qui panem & triticum in itinere portabant, gentiles ad Chriſtum converſos deſignant, qui priùs ſtulti & ignobiles fuerunt, ſed ad Chriſtum converſi pabulum verbi Dei portabant.

℣. XXVII. *Revixit ſpiritus ejus.*

Hoc loco Jacob typum tenet Iſraëliticæ plebis, quæ per infidelitatem quodam ſenio tabeſcebat, & jam quaſi mortua erat, ſed audita Apoſtolorum prædicatione, quos deſignant filii ejuſdem Jacob, viſis etiam miraculis & chariſmatibus Divinæ, quæ Chriſtus ejuſdem plebis filius ſecundùm carnem miſerat, *revixit*, eíque ſe occurrendum præparavit.

Cap. XLVI.

℣. VII. *Filiæ & cuncta ſimul progenies.*

Quòd dicit plurali numero: *filiæ*, à toto partem debemus accipere. Unam tantùm filiam Dinam habuerat.

℣. XXVI. *Omnes animæ, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuerunt ſeptuaginta.*

Hæc eſt Hebraica veritas. Nam quod in LXX. legitur: *Omnes animæ fuerunt* A. *ſeptuaginta quinque*, ſupputatis Jacob filiis apertè oſtenditur non convenire. Illi enim, qui cum Jacob Ægyptum intraverunt, ſexaginta ſex fuerunt, quibus ſi addam ipſum Joſeph & filios ejus, quos in Ægypto genuerat, fuerunt ſexaginta novem. His etiam adde ipſum Jacob patrem omnium, fiunt ſeptuaginta. Quòd in actibus Apoſtolorum Lucas dicit: *Deſcendit Jacob in Ægyptum in animabus ſeptuaginta quinque*, ſimilis error eſt. Act. VII. 14. Sed quia tunc LXX majoris auctoritatis erant quàm Hebraica veritas, & ab omnibus Eccleſiis legebantur, ideo ſanctus Lucas ſeptuaginta quinque poſuit.

Omnes animæ, quæ egreſſæ ſunt de femore Jacob.

Hoc quidam hæretici ad ſuum errorem traxerunt dicentes, animas ſicut & corpora ex patris ſeminario naſci. Sed aliter veritas ſe habet. Deus enim de nihilo creat animas, non de corporibus, neque de aliis animabus, eáſque quando & quomodo vult, corporibus tribuit. Ergo quòd dicit: *Animæ, quæ* C. *egreſſæ ſunt de femore Jacob*, per animas totum hominem debemus accipere, à majore videlicet parte, ſicut & aliquando ab inferiori parte totus homo accipitur, juxta quod Johannes dicit: *Verbum caro factum eſt*, per carnem totum hominum deſignans. Joh. I. 14.

Miſit Judam ante ſe ad Joſeph. ℣. XXVIII.

Præmittitur *Judas*, qui *confeſſio* interpretatur, *ad Joſeph*, id eſt: ad Chriſtum: quia confeſſio præcedit gratiam fidei. Poſt confeſſionem ipſe Joſeph occurrit: quia Chriſti miſericordia ſub- D. ſequitur.

Viri paſtores ſumus, & patres noſtri. ℣. XXXIV.

Hæc eſt juſta ſervitus, ut homines pecoribus dominentur, & pecora hominibus ſerviant. Nam humanam ſervitutem aut iniquitas aut adverſitas facit. Iniquitas quidem, ſicut Noë maledicens filio ſuo dixit: *Maledictus filius meus Chanaan, ſervus erit fratribus ſuis.* Adverſitas, ſicut Joſeph, qui venditus factus eſt ſervus.

Deteſtantur Ægyptii omnes paſtores ovium.

Jure Ægyptus Mundum iſtum ſignificat, in quo abundavit iniquitas. Abominantur Ægyptii paſtores ovium: quia omnis iniquus odio habet juſtum.

In terra Geſſen.

* Ita uterque Cod. Geſſen dicit * eſſe Tebaidem regionem, quæ à LXX. *Goſen* vocatur.

Cap. XLVII.

℣. IX. *Dies peregrinationis meæ.*

Nota, quòd ſancti viri advenas & *peregrinos* ſe confitentur, quia non habent hìc manentem civitatem, ſed futuram inquirunt.

* Ita uterque Cod. *Rameſſes* pars eſt Thebaidis, pagus ſcilicet, qui nunc *Arſenoginite* * vocatur.

℣. XII. *Et alebat eos &c.*

Solent quærere hoc loco, unde jumenta & pecora viverent fame per ſeptem annos omnem terram premente, maximè quia filii Jacob dixerunt ſuperiùs non eſſe ſibi pabula in terra Chanaan, eò quòd nullæ ibi eſſent pluviæ. Sed ſciendum, Nilum in Ægypto maximas facere paludes, in quibus abundans herba naſcitur jumentis & pabula pecoribus tantò fertiliora, quantò ſiccior fuerit Nilus. In his ergo locis alebantur jumenta & cætera animalia, quæ plurima erant in Ægypto.

℣. XIX. *Eme nos in ſervitutem regiam.*

Allegoricè omnis Ægyptus ſervus eſt, & eò ampliùs, quò ſe ſponte tradit. Nam filii Iſrael & ipſi ſervi fuerant in Ægypto, ſed non ſponte. Ægyptii verò ſpontaneam ſubjerunt ſervitutem, eos utique deſignantes, qui Deum à ſua mente excludentes tradunt ſe ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem.

℣. XXII. *Præter terram ſacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis.*

Terra ſacerdotum ſancta eſt Eccleſia, in qua ſunt veri ſacerdotes, qui veram habent libertatem, & nullam ſpiritalis famis patiuntur penuriam, quia à rege Chriſto pabulo Divini verbi aluntur.

℣. XXIII. *Accipite ſemina & ſerite agros.*

Et Joſeph noſter, id eſt: Chriſtus A. hortatur fideles, ut *ſemina* Evangelicæ prædicationis *accipiant & ſerant agros*, id eſt corda auditorum, ut inde fructus bonorum operum recipere poſſint.

Quintam regi dabitis. ℣. XXIV.

Quinta pars, quæ regibus perſolvebatur, quinque ſenſuum cuſtodiam deſignat, quæ Chriſto conſecranda eſt. Nam & in lege præcipitur omne primagenitum maſculini ſexus *quinque ſiclis argenti* debere redimi. Exod. XIII. 13. Quòd verò *quatuor partes* permittebantur habere, hoc deſignat, quòd unuſquiſque in laicali converſatione, hoc eſt: actuali, ſecundùm ſuum propoſitum vel facultatem B. permittitur vivere.

Pone manum tuam ſub femore meo, & jura mihi per Deum cæli, ut non accipias uxorem de filiabus Chanaan. ℣. XXIX.

Oſtendit ſe Jacob filium ſancti Abrahæ non carne tantùm ſed moribus. Ille enim adjuravit ſervum ſuum dicens: *Pone manum tuam ſub femore meo, jura mihi per Deum cæli, ut non accipias uxorem de filiabus Chanaan.* Hic ſimiliter C. adjurat filium Joſeph, ut non ſepeliat eum in Ægypto. Uterque enim incarnationem Chriſti & prævidebat, & fideliter credebat venturam.

Quæri autem poteſt, cur ſancti Patriarchæ tantum curam habuerint ſepeliendorum corporum, cùm ſcirent cadavera & in ſarcophagis ſepulta & ſub nudo cœlo æqualiter poſſe putreſcere. Nam & Poëta dicit: *Cœlo tegitur, qui non habet urnam.* Sed hoc faciebant, non quò curam habebant ipſorum cadaverum, quæ quoquomodo in terram reditura D. erant, ſed ut memoriam ſui aliis relinquerent, ſicque eos ad ſe imitandum provocarent. Nam & Dominus ad Job loquitur: *Reſtituetur ſicut lutum ſignaculum, & ſtabit ſicut veſtimentum plicatum.* Job. XXXVIII. 14. *Signaculum*, id eſt: homo ad imaginem Dei factus *ut lutum* per mortem *reſtituitur*, non tamen temere aut negligenter projicitur, ſed *ſicut veſtimentum plicatum* tuto loco reponitur, ut rurſum per reſurrectionem reinduatur.

Adoravit Iſraël Deum converſus ad lectuli caput. ℣. XXXI.

Auguſtinus: quod habent quidam latini

Digitized by Google

latini codices : *Et odoravit ſuper caput* A. *virgæ ejus*, vel *in capite*, fallit eos Græcum verbum, quod eisdem litteris ſcriptum eſt: ſive *ſuæ*, ſive *ejus*, ſed accentu diſpares ſunt, & ab eis, qui iſta noverunt, in codicibus non contemnuntur. Valent enim ad magnam diſcretionem. Ac per hoc quæritur, quid ſit, quod dictum eſt. Nam facile intelligeretur ſenem adorare faſtigium virgæ ſuæ, quam ſic ferebat, ut ſuper eam caput inclinando adoraret Deum. Sed quod dicit *ejus*, aliter ſeſe refert : quia poſt juramentum filii ſui, ipſi filio virga ſumpta iterum innisus eidem adoravit B. cacumen ejus vel illius. Sanctus vir & Deo deditus ſenectute gravatus ita lectum, in quo jacebat, compoſitum habebat, ut capite ad orientem verſo mox ſi vellet, absque difficultate ad orandum ſe vertere poſſet.

Cap. XLVIII.

℣. V. *Sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.*

Id eſt: ſuas per ſe tribus facient, ut jam non dicatur tribus Joſeph, ſed tribus Ephraim & Manaſſe. Sicut Simeon & Ruben ſuas tribus ſingulas facient, ſic C. Ephraim & Manaſſe duæ tribus erunt, & ſic tredecim tribus perficientur, Joſeph tribu in duas partes diviſa.

℣. XIV. *Commutans manus Joſeph duos filios patri adduxit*, ut eis benediceret. Primogenitũ ſuum Manaſſen poſuit ad dextram patris: juniorem verò, id eſt: Ephraim ad ſiniſtram. Ille afflatus ſpiritu prophetico prævidens, quæ ventura erant, poſuit dexteram manum ſuper caput junioris Ephraim, ſiniſtram verò ſuper caput Manaſſe, qui major natu erat, manibus in modum crucis in tranſ- D. verſum commutatis : quia illum videbat multiplicandum, & Jeroboam regem ex tribu Ephraim futurum.

Myſticè per hos duos filios Joſeph duo populi ſignantur. Per *Manaſſen*, qui *oblivio* interpretatur, accipitur Judaicus populus, qui oblitus eſt Domini creatoris ſui. Per *Ephraim*, qui *frugifer* vel *fœcunditas* interpretatur, gentilis populus figuratur, qui credendo in Chriſtum fidei & bonorum operum fructum Domino obtulit, & ſpirituali fœcunditate multiplicatus eſt. Hic licèt poſterior Dei cognitionem perceperit, conſtitutus eſt tamen ante Manaſſen: quia quam * gratiam habuerunt Judæi & ſacramenta Scripturarum atque omnem dignitatem Divinæ legis, Judæis reprobatis, accepit.

* *Uterque Cod quia quondam grat.*

Reducétque vos ad terram patrum veſtrorum. ℣. XXI.

Magno deſiderio Patriarcha Jacob tenebatur, cupiens in ea terra ſepeliri, ubi paſſurum Chriſtum noverat & redimendum genus humanum. Denique ùt ferunt periti ſanctorum locorum, ab eo loco, qui *Abramium* dicitur, ubi Abraham & Iſaac ſepulti ſunt, usque ad locum Dominicæ paſſionis triginta ferè milia paſſuum habentur, ut ipſo quoque numero, in T littera continetur, myſterium Dominicæ paſſionis oſtendatur.

Extra fratres tuos. ℣. XXII.

Id eſt: extra ſortem, quam cum cæteris fratribus in diviſionibus poſſeſſionum accepturus eſt. Quòd autem dicit : *Quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*, gladium & arcum appellat juſtitiam ſuam, per quam peracta cæde Sichimitarum à gentibus circumpoſitis Deo ſe protegente eripi potuit. Alia translatio dicit : *Quam tuli in fortitudine mea.* Fortitudinem appellat pecuniam vel divitias, quas poſſidebat, quas ſuo ſudore vel labore acquiſierat.

Cap. XLIX.

Diebus noviſſimis. ℣. I.

Hoc dicendo oſtendit ſe propheticè locuturum. Licèt enim hæc verba, quibus filiis benedixit, ad diviſionem poſſeſſionis, quam acceperunt in terra Chanaan, pertineant, ſpecialiter tamen ad Chriſtum, qui noviſſimo ſeculi tempore incarnatus eſt, referenda ſunt.

Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei. ℣. III. & IV.

Quòd dicit: *Principium doloris mei*, juxta literam hoc deſignat, quia omnis primogenitus principium eſt doloris, dum pro eo paterna primùm & mater-

materna viſcera concutiuntur. Eſt au- A. tem ſenſus horum verborum : O Ruben, qui primogenitus meus fuiſti, cui omnia primogenita & dignitas ſacerdotalis ac regia debebatur, qui *prior* fuiſti *in donis* & *major in imperio*, tamen perdidiſti hæc omnia : quia *effuſus es ſicut aqua* impetu mali deſiderii. *Ergo non creſcas*, ſive non multipliceris & augearis. Quo ſenſu & Moyſes benedicens eum dicit: *Vivat Ruben & non moriatur & ſit parvus in numero, & non creſcas*, vel ut iteres ſcelus tuum. Hæc juxta litteram.

Allegoricè Ruben populum Judæo- B. rum ſignificat, de quo dictum eſt : *Filius primogenitus meus Iſraël.* Hic *fortitudo* dicitur : quia ſcripturarum myſteria intellexit. *Principium* quoque *doloris* Dei fuit, quia poſtquam ſe Deo ſerviturum promiſit, frequenter eum ad iracundiam provocavit murmurando & ejus beneficia faſtidiendo. Fuit etiam *prior in donis:* quia illi tradita ſunt fidelia Sacramenta: *Et major in imperio :* quia quamdiu Deo ſervivit, multis gentibus fideliter imperavit. *Sed effuſus eſt ſicut aqua*, id eſt: omnia hæc velociſſimè amiſit, ſicut aqua velociter effunditur, cùm in C. vaſe contineri non poteſt. Etquare hoc?

Quia aſcendiſti, inquit, *cubile patris tui.*

Cubile Dei Patris Chriſtus eſt ſecundùm humanitatem, in quo requieſcit plenitudo Divinitatis. Hoc cubile plebs nefanda aſcendit, quando contra Chriſtum inſurrexit & ita eum ad mortem expetivit. *Stratum* quoque Dei *maculavit*, quando Chriſtum peccatorem, Samaritanum & dæmonium habere dicebat. Unde meruit audire : *Non creſcas*, ſed potiùs minuaris, & per omnes gentes minuaris.

ỷ. V. *Simeon & levi, vaſa iniquitatis bellantia.*

Hi duo fratres Dinæ fuerunt, qui ob ſtuprum ſororis ſæviendo fœderatam civitatem ſubverterunt cæſis habitatoribus. Hos vocat *vaſa iniquitatis bellantia*, id eſt : inſtrumenta iniquitatis. *In conſilio eorum non veniet anima mea.* His verbis oſtendit non eſſe ſuæ voluntatis, ut Hemor & Sichem innocentes cum cæteris occiderentur. Non ſit anima, id eſt : voluntas & conſilium.

Occiderunt virũ, id eſt : Hemor & Sichem. *Suffoderunt murum* hoſpitæ civitatis. Quòd autem dicit : *Dividam eos in Jacob, & diſperdã in Iſraël*, ſignificat, quia tribus levi non habuit poſſeſſionem cum aliis tribubus, ſed parvas urbes inter alias tribus ad habitandum accepit. De Simeone quoque legitur, quòd nullum poſſeſſionis propriæ funiculum habuerit, ſed de poſſeſſione Judæ aliquid acceperit. ỷ. VI. & VII.

Myſticè *Simeon & Levi* principes Judæorum deſignant, qui contra Chriſtum bellabant facibus invidiæ ſuccenſi. Unde meritò *vaſa iniquitatis* appellantur. Quia ſicut vaſa liquore implentur : ſic ſcribæ, & ſacerdotes Judæorum dolo & malitia pleni erant. Prævidens ergo Patriarcha illorum malitiam orat, ut *in conſilio eorum*, quod contra Chriſtum fecerunt, *non veniat anima mea ;* id eſt: voluntas ejus. *Occiderunt virum*, id eſt : Chriſtum : *Suffoderunt murum*, id eſt: corpus ejus clavis confixerunt & lancea aperuerunt. Murum enim fortiſſimum appellat corpus Chriſti, quod in utero Virginis quadraginta & ſex diebus ædificatum eſt, ſicut templum Domini quadraginta & ſex annis ædificatum vel conſtructum eſt.

Dividam eos in Jacob, & diſperdam in Iſraël. Non uno ſenſu diviſio & diſperſio accipienda ſunt. *Diviſio* enim in bono, *diſperſio* autem accipitur in malum. Eos enim, qui ex illo populo crediderunt, *diviſit* Deus ab infidelibus, & corpori Eccleſiæ conjuuxit. Illos autem, qui in infidelitate permanſerunt, *diſperdidit* per univerſas gentes.

D. *Juda te laudabunt fratres tui*, & reliqua usque : *adorabunt te filii patris tui.* ỷ. VIII.

Sub nomine *Judæ* hæc benedictio de David accipitur, qui de eadem tribu fuit rex potentiſſimus. *Quem laudabunt fratres ſui*, reliquæ videlicet tribus. *Manus ejus in cervicibus inimicorum* ejus erat, hoc eſt : virtus & fortitudo ad humiliandam potentiam reliquarum gentium. Pene enim omnem Syriam & Palæſtinam & circumpoſitas nationes reli-

reliquas humiliavit & tributarias fecit. A. Unde *& adorabunt eum filii patris ejus*, vel fratres videlicet, vel omnis Judæorum populus, videntes Dominum eſſe cum illo.

Myſticè *Judas* Chriſtum ſignificat, Matt. XI. 25. qui eſt verus confeſſor, ſicut in Evangelio ad Patrem dicit: *confiteor tibi Pater cæli & terræ.* Hunc *laudant fratres ſui*, omnis videlicet juſtorum multitudo, non communi laude, ſed ſpeciali & Divina ſicut Deum & Dominum ſuum. *Ejus manus* eſt *in cervicibus inimicorum* ſuorum, ut eos humiliet, & ſuæ fidei colla eorum ſubdat. Hunc *adorabunt* B. *filii patris ejus*, id eſt: Sancti, quos ipſe dedit eſſe filios Dei & fratres ejus.

℣. IX. *Ad prædam fili mi aſcendiſti.*

Hæc, quæ tradita ſunt, tam de David ad litteram, quàm & de Chriſto ſpiritaliter pertinent, quem per apoſtrophen Patriarcha alloquitur: *ad prædam fili mi aſcendiſti.* Chriſtus *ad prædam aſcendit*, quia contra diabolum pugnaturus venit, ut eos? quos captivaverat, eriperet. Quòd autem dicit: *aſcendiſti*, confidentiam & ſecuritatem creatoris oſtendit. Ipſe *requieſcens accubuit* C. *ut Leo:* quia in ſpe firmiſſima *reſurrectionis mortem ſuſcepit, quam in poteſtate habuit. *Requievit ut catulus Leonis*, quia tribus diebus in ſepulchro jacuit. Ferunt enim Phyſici de catulo Leonis, quòd natus tribus diebus dormiat, tertio tandem die magno rugitu patris excitatur. Sic & Chriſtus tribus diebus dormivit in ſepulchro, & tandem tertia die à Deo Patre excitatus eſt, cujus rugitum Pſ. CVII. 3. Pſalmiſta deſcribit dicens: *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cythara.* Et reſpondit ipſe: *Exurgam diluculo. Quis ſuſcitavit eum?* Nullus videlicet D. niſi Pater & ipſa Divinitas, qua humanitas ejus plena erat.

*Uterque Cod. firmiſſimæ.

℣. X. *Non auferetur ſceptrum de Juda & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt.*

Patet omnibus hoc de Chriſto dici, ad cujus usque adventum principes de tribu Juda extiterunt in populo Judæorum. Nam Herodes, ſub quo Dominus natus eſt, alienigena erat & proſelytus. Jam enim venerat, qui mittendus erat. Et *ipſe erit expectatio gentium*, ut quæ pretioſo ſanguine ejus redimendæ erant.

Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem ò fili mi, aſinam ſuam.

Hic apertè oſtenditur, quòd non de Juda, ſed de Chriſto iſta dicantur. Nam cùm de Juda videatur loqui, tamen ad ipſum Judam converſus quaſi de alio dicit: *ligans ad vineam pullum ſuum. Vineam* chorum appellat Apoſtolorum, qui quaſi palmites de una & vera vite ſuccreverant, ſicut ipſe in Evangelio: *ego ſum vitis, vos palmites.* Pullus verò gentilis populus, quem ad vineam ligavit, quando per Apoſtolicam prædicationem populum domuit, ut illorum fidem & doctrinam ſequerentur. *Aſina* verò Eccleſia eſt ex gentibus congregata quondam ſtulta & oneribus peccatorum prægravata*, ſed poſtquam fidem Chriſti recepit, verſa vice jugum Diaboli projecit & onus Chriſti leve ſuſcepit. Hanc *aſinam ad vitem ligavit*, quia Eccleſiam ex gentibus vinculis charitatis ſibi conjunxit.

*Codd. prægnata.

Lavabit vino ſtolam ſuam.

Stola Chriſti caro ejus eſt, quam *vino lavit*, quod de botro in cruce pendente expreſſum eſt, quia videlicet carnem ſuam ſanguine paſſionis ſuæ perfudit.

Pallium gentes ſignificat, quibus Chriſtus indutus eſt, juxta quod ei per Prophetam dictum eſt: *his omnibus velut ornamento veſtieris.* Iſa. XLIX 18. Pallium ergo ſuum lavit *in ſanguine uvæ:* quia populum gentium ſuo redemit cruore. Hinc Johannes: *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Apoc. I. 5.

Pulchriores ſunt oculi ejus vino. ℣. XII.

Oculi Chriſti Apoſtoli ſunt & Evangeliſtæ, qui nobis ſpiritalem ſcientiam infuderunt. *Vinum* verò auſteritatem legalis obſervantiæ deſignat. *Oculi* ergo Chriſti *vino pulchriores ſunt:* quia doctrina Evangelica clarior eſt legali traditione. *Dentes* verò ſancti prædicatores ſunt, qui ſicut dentes cibos, ita infideles à ſua duritia comminuunt, ut in corpus Eccleſiæ recipiantur. *Lac* verò eſt legalis traditio, qua Judæi tanquam parvu-

Digitized by Google

parvuli nutriebantur non valentes recipe- A. re ſolidum cibum. *Dentes* ergo *lacte candidiores* ſunt: quia prædicatores novi teſtamenti præcellunt legis Doctores. Et benè *candidi* dicuntur: quia qui alios docent, mundi [illegible]. ab omni labe peccati immunes eſſe debent.

ỳ. XVI. *Dan judicabit populum ſuum.*

Hæc verba, quæ ſub perſona Dan dicuntur, quidam de Juda proditore accipiunt, qui rectè *coluber* & *ceraſtes* appellatur, id eſt: ſerpens cornutus propter dolos & venena malitiæ. *Equum* B. verò vel equitem Chriſtum accipiunt ſecundùm humanitatem. Cujus *ungulas coluber* vel ceraſtes *momordit*, quando morti ejus inſidias paravit. *Ut caderet aſcenſor ejus retro*, hoc eſt: ut Chriſtus per mortem redigeretur in pulverem ſicut cæteri homines. Quaſi enim retro cadunt, quando per mortem in terram, de qua ſumpti ſunt, redeunt. Sed quia prævidit eum prophetico Spiritu tertia die reſurrecturum, ideo dixit: *Salutare tuum expectabo Domine.*

Sed melius hæc verba ad Antichriſtum referuntur, qui de tribu Dan na- C. ſciturus eſt. Unde tribus Dan rectè in deſerto in aquilonari parte caſtra metata fuiſſe legitur, illum oſtendens, qui dixit: *Sedebo in monte teſtamenti, in latere Aquilonis.* Hinc ergo Dan *coluber & ceraſtes* appellatur: *coluber* propter dolum: *ceraſtes* propter potentiam. Antichriſtus enim, quos fraude decipere non poterit, per potentiam ſeculi quaſi cornutus ſerpens ſibi ſubdere laborabit.

Attendendum verò, quòd dicit: *coluber in via, ceraſtes in ſemita.* Nullus ignorat *viam* latiorem eſſe quàm *ſemitam.* Ideo per *viam* deſignantur la- D. ta itinera ſeculi gradientes, quos quaſi *coluber* Antichriſtus occultè mordendo decipiet: In *ſemita* verò Sancti per anguſtam viam ad vitam tendentes, quos quaſi *ceraſtes* per potentiam opprimet.

Mordens ungulas equi. Equus hoc loco Mundus accipitur, qui ſuperbiam & ambitionem in curſu labentis temporis ſpumat. *Ungula* autem extrema pars pedis eſt: pes extrema pars corporis. Quia ergo Antichriſtus extrema Mundi tempora capere quærit, ideo *ungulas equi mordere* dicitur. *Aſcenſor* autem hujus equi eſt omnis, qui in dignitatibus & potentia ſeculi gloriatur. *Ceraſtes* ergo, id eſt: Antichriſtus, *equi ungulas mordet, ut aſcenſor retro cadat:* quia ad hoc extrema Mundi tempora occupat, ut reprobos ſecum ad æternam damnationem trahat. *Retro* enim *cadere* reproborum eſt, ſicut econtra in faciem cadere electorum. In faciem cadere eſt de perpetratis malis erubeſcere, quia qui in faciem cadit, ibi cadit, ubi videt: qui verò retro, ibi cadit, ubi non videt. Et ideo *retro cadere* eſt in æternæ damnationis foveam, dum ignorat, ruere.

Quidam hunc locum ſub perſona Dan de Sampſon fortiſſimo ad litteram accipiunt, qui fuit de eadem tribu, & judicavit Iſraël multis annis. Hunc ergo comparat colubro & ceraſtæ. Sicut enim ſerpentes tranſeuntibus inſidiantur: ſic Sampſon neminem hoſtium ſinebat per ſuam tranſire poſſeſſionem, vel malum aliquod ibi facere. Sed & ſi quis fretus agilitate vel fortitudine mordebat ejus ungulas, hoc eſt: magna virtute eum ſuperabat, & retro illum fugere compellebat, quaſi equitem retro faciens cadere de equo. Quod autem dicit: *Salutare tuum expectabo Domine*, ſenſus talis eſt: cùm, inquit, viderem Sampſon fortiſſimum tam magna facere, & Philiſtæos, qui tunc præerant Iſraëlitis, devincere, in mandibula aſini mile viros occidere, portas Gazæ civitatis humeris impoſitas in montem deferre, Leonem veluti hœdum occidere, cùm hæc & talia facientem viderem, putavi eum eſſe Chriſtum. Sed rurſum cùm viderem eum amoribus meretricis decipi, & cùm viderem eum occiſum non reſurgere, intellexi non eum eſſe nobis repromiſſum Chriſtum. Ergo *tuum ſalutare expectabo*, id eſt: Jeſum, qui *ſalutaris* vel *ſalus* interpretatur.

Zabulon in littore maris habitabit. ỳ. XIII.

Juxta litteram prædicit Patriarcha poſſeſſionem, quam tribus Zabulon tenuit. Poſſedit enim littus maris magni *pertingens usque ad Sidonem* maritimam civitatem.

Allegoricè *Zabulon* Eccleſiam ſignificat, quæ erepta de fluctibus ſeculi fruitur ſoliditate littoris, & eſt *in ſtatione* navi-

Digitized by Google

navium: quia Eccleſia dilatatur per populos gentilium, quos *Sidon*, quæ *venatio* interpretatur, deſignat.

℣.XIV. *Iſſachar*, inquit, *aſinus fortis.*

Aſinum fortem vocat juxta litteram, quia laborabat in vehendis mercibus ad mare. *Accubat in terminis*, videlicet juxta poſſeſſionem Nephtalim. Hebræi dicunt, quòd aſſiduè homines illius tribus operabantur in Divinæ legis meditatione, & ideo *aſinus fortis* vocatur propter aſſiduum ſtudium inquirendæ ſapientiæ. *Iſſachar aſinus fortis.* Quia dixerat poſſeſſionem Zabulon in mariti- B. mis locis futuram, redit ad mediterranea, & prædicit poſſeſſionem Iſſachar, quòd fertiliſſima futura eſſet, & negotiationibus abundaret.

Myſticè *Iſſachar* populum gentilem ſignificat, qui quondam ſtultus & ignobilis prægravabatur oneribus peccatorum. Poſtquam verò Chriſtum cognovit, cœpit *accubare in terminis*, hoc eſt: requieſcere in ſpe promiſſæ felicitatis, quam expectat in termino, hoc eſt: in fine ſeculi. *Vidit* enim *requiem, quòd eſſet bona*, illam videlicet, quæ in alia vita omnibus Sanctis repromittitur. *Vi-* C. *dit terram, quòd* eſſet *optima*, eam, de

Pſ. XVI. 13. qua Pſalmiſta dicit: *credo videre bona Domini in terra viventium:* & ideo *ſuppoſuit humerum ad portandum:* quia pro adeptione patriæ cœleſtis libenter omnia tolerat ſeculi adverſa. *Factúſque eſt tributis ſerviens:* quia cenſum fidei & bonorum actuum Chriſto reddit.

℣.XIX. *Gad accinctus præliabitur.*

In Devteronomio legimus, tribum Gad cum tribu Ruben & dimidia tribu Manaſſe poſſeſſionem trans Jordanem accepiſſe tradente ſibi Moyſe, ea tamen con- D. ditione, ut non ante in domos ſuas reverterentur, donec cæteri fratres eorum poſſeſſionem acciperent. Sicque iſti *accincti*, id eſt: expediti ad bellum vel præparati perrexerunt ante fratres ſuos. Cùm ergo reverſi fuiſſent peracto bello, & quiete reddita invenerunt filios ſuos, quos parvos in ſua poſſeſſione dimiſerunt, graviſſimo bello impugnari à circumjectis hoſtibus, & tunc iterum neceſſe fuit eis, ut ſe accingerent & bellum præpararent. Hoc eſt, quod dicit: *Gad accinctus præ-* A. *liabitur ante eum*, id eſt: ante populum: & poſtquam reverſus fuerit, *accingetur* iterum *retrorſum* contra nationes.

Allegoricè *Gad* Chriſtum ſignificat, qui primo adventu ſuo, quando occultus venit, accinctus eſt, ut præliaretur contra diabolum, & *accingetur* * *retrorſum* in ſecundo adventu ſuo, quando manifeſtus adveniet, ut judicet Mundum, & ſingulis ſecundùm merita ſua reddat. * C. Garſ. accingeretur.

Aſer, pinguis panis ejus. ℣.XX.

Hæc verba ad fertilitatem poſſeſſionis juxta litteram pertinent.

Allegoricè verò *Aſer*, qui *beatus* vel *pinguis panis* interpretatur, eundem Chriſtum deſignat, cujus *panis pinguis* eſt, id eſt: corpus ejus, quo ad æternam vitam reficimur, ſicut ipſe dixit: *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi, & do vitam huic mundo* Ipſe *præbet delitias regibus*, id eſt: Sanctis. qui motus corporis ſui benè regere noverunt. His *præbet delitias*, id eſt: ſuavitatem verbi, ſive etiam ſe ipſum, quia Aſer *delitiæ* interpretatur. Johan. VI. 35.

Nephtalim cervus emiſſus. ℣.XXI.

Cervus emiſſus vocatur propter fructus temporaneos, qui apud illos citiùs matureſcunt, ideo cervus emiſſus, id eſt: velox vel fugax vocatur. Alia translatio dicit: *Nephtalim ager irriguus.* Significat autem aquas calidas, quæ in illa tribu ſunt. Vel etiam propter lacum Geneſar hoc dicit, qui apud illos eſt. Hebræi tradunt Tiberiadem civitatem in hac tribu eſſe, in qua ſunt Doctores legis. Et hoc eſt, quod dicit: *dans eloquia pulchritudinis.*

Myſticè *Nephtalim* Apoſtolos deſignat, qui de tribu Nephtalim & Zabulon à Domino electi ſunt, juxta quod prædictum fuerat per Eſaiam: *primo tempore alleviata eſt terra Zabulon & terra Nephtalim:* quia primò Dominus in his locis prædicavit, & *tunc alleviata eſt terra* eorum ſublato graviſſimo jugo diaboli. Ergo Nephtalim *cervus emiſſus* vocatur: quia Apoſtoli velociſſimè per univerſum Mundum diſcurrerunt, & ipſi ſunt *filii excuſſorum* miſſi de manu Domini, velut ſagittæ de manu potentis. Ipſi *dant eloquia pulchritudinis*, id eſt: verba prædicationis Divinæ. Iſai. IX. 1. Pſ. CXXVI. 4.

Filius

Digitized by Google

ỳ. XXII. *Filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens.*

Joſeph *auctus* interpretatur, id eſt: multiplicatus virtutibus & ſeculi dignitate. Erat enim *decorus aſpectu.* Unde & à principe Ægypti emptus eſt. *Filiæ diſcurrerunt ſuper murum.* Dicunt Hebræi, quòd, quando Joſeph venum ducebatur per Heliopolim civitatem Ægypti, *filiæ*, id eſt: puellæ Ægyptiorum *diſcurrebant per murum civitatis*, admirantes ejus pulchritudinem. Qui qualis fuerit, ex hoc conjici poteſt, quòd fœminæ, quarum propriè pulchritudo B. eſt, eam in Joſeph mirabantur.

ỳ. XXIII. *Sed exaſperaverunt eum, & jurgati ſunt,*

Propter ſomnia, quæ viderat, dicentes: *Nunquid rex noſter eris? Inviderunt illi habentes jacula.* Ipſi ſauciati jaculis invidiæ *inviderunt illi.* Unde & vendiderunt eum in Ægypto.

ỳ. XXIV *Sedit in forti arcus ejus,*

id eſt: virtus ejus, & ſpes ejus *ſedit*, hoc eſt: ſtabilita eſt *in forti*, hoc eſt: in Chriſto. *Et diſſoluta ſunt vincula bra* C. *chiorum ejus per manus potentis Jacob*, id eſt: Omnipotentis Dei. *Inde*, id eſt: ex Jacob progenie, *egreſſus eſt lapis*, id eſt: Chriſtus: *egreſſus eſt paſtor*, id eſt: Chriſtus, qui eſt & lapis Iſraël, id eſt: firmitas & robur omnium Deum contemplantium.

ỳ. XXV. *Benedictionibus cœli deſuper.*

Quod dicit, *benedictionibus deſuper* & *abyſſi*, omnium rerum copiam per hæc duo ſignificat, fertilitatem videlicet terræ, temperiem & proventum cœli, hoc eſt: aëris. Per *benedictiones ube-* D. *rum & vulvæ* multiplicandam deſignat ſtirpem ejus maximè propter Ephraim, cujus multitudo uſque in immenſum aucta eſt.

Allegoricè *Joſeph* Chriſtum ſignificat. *Accreſcens* dicitur, quia crevit in fide gentium. Ipſe eſt enim *decorus aſpectu*: quia *ſpecioſus forma præ filiis hominum.* Pſ. XLIV. 3. *Filiæ*, quæ *diſcurrerunt per murum* admirantes ejus pulchritudinem, animæ ſunt Sanctorum, ſuper ſoliditatem fidei conſtitutæ, quæ admirantur pulchritudinem Chriſti, & tantò eum

A. amplius diligunt, quantò majoris fragilitatis ſibi ſunt conſciæ. *Diſcurrunt ſuper murum*, hoc eſt: ſuper ſoliditatem fidei, vel ſuper inſuperabilem firmitatem Divinarum Scripturarum, ut ibi poſſint videre pulchritudinem Chriſti.

Sed exaſperaverunt eum & jurgati ſunt. Hoc de Judæis dicitur, qui exaſperaverunt Chriſtum dicentes eum Samaritanum & dæmoniacum. *Habentes jacula* invidiæ, quibus ſeipſos vulnerabant. Unde & Pſalmiſta: *dentes eorum* Pſ. LVI. 5. *arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Sedit in forti arcus ejus*, id eſt: ſpes virtutis ejus manſit in DEO Patre. *Et diſſoluta ſunt vincula brachiorum ejus*, quia vinctus adductus eſt ante Præſidem. Vel vincula brachiorum dicit blaſphemias, quibus opera virtutum ejus impedire conabantur dicentes eum in Belzebub ejicere dæmonia. Et hoc *per manus potentis Jacob*, id eſt: per operationem Omnipotentis DEI. *Deus patris tui adjutor tuus.* Loquitur Patriarcha ad Chriſtum ſecundùm hoc, quod homo eſt. *Deus*, inquit, *patris tui*, id eſt: ille Deus, quem patres tui adoraverunt Abraham, Iſaac, & Jacob. *Et Omnipotens benedicet tibi* ſingulari videlicet benedictione præ cæteris Sanctis. Per *benedictionem cœli deſuper & abyſſi jacentis deorſum* ſignificatur, Chriſto omnia fuiſſe ſubjecta, Angelos videlicet in cœlo & homines in terra. De hac benedictione Apoſtolus dicit: *Et exaltavit illum Deus, & donavit illi nomen* &c. Philip. II. 9. *Benedictionibus uberum* dicit: id eſt: duorum Teſtamentorum, quorum alterum venturum Chriſtum, alterum veniſſe nuntiavit. His uberibus nutritur infantia Eccleſiæ. Vel etiam *benedictionibus uberum* dicit beatæ Mariæ Virginis, quæ Chriſtum infantem habuit, cujus incorrupta in vulva progenitus eſt. Unde & in Evangelio exclamans quædam mulier dixit: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti.* Luc. XI. 27.

Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum ejus, hoc eſt: illæ benedictiones, quibus Deus Pater Filium benedixit, confortatæ ſunt & prævaluerunt omnium ſanctorum Patrum benedictionibus. Nullus enim juſtorum Chriſto exæquari potuit: quia ille per naturam eſt Dei Filius, cæteri Sancti

Digitized by Google

cti per adoptionis gratiam. *Donec veniret deſiderium collium æternorum. Colles æternos* Patriarchas & Prophetas dicit, qui non jacent in terrenis, ſed ſublevantur ad cœleſtia. Horum *deſiderium* fuit, quo deſiderabant videre adventum Chriſti. *Fiant iſtæ benedictiones in capite Joſeph*, id eſt: impleantur in Chriſto. *Et in vertice Nazaræi*, id eſt: Chriſti, qui eſt verus flos munditiæ, in quo primùm benedictiones factæ ſunt, & ab hoc vertice deſcenderunt per omnia membra Eccleſiæ usque ad oram veſtimenti ejus, id eſt: usque ad noviſſimum electum.

℣. XXVII. *Benjamin lupus rapax.*

Hunc locum ita Hebræi ediſſerunt. Altare, quod in templo erat Domini, in parte tribus Benjamin ſitum erat. Hoc ergo altare vocat *lupum* ſanguinarium & *rapacem* propter hoſtias, quæ ibi mane offerebantur, & igne, qui erat ſemper in altari, devorabantur. Hoc eſt, quod dicit: *mane comedet prædam.* Quod verò ſequitur: *veſpere dividet ſpolia*, ad ſacerdotes pertinet, qui ea, quæ per diem de ſacrificiis altaris à populo conſequebantur, veſpere inter ſe dividebant. Et hoc ſecundùm illos.

Nos verò de Paulo Apoſtolo dictum accipimus, qui fuit de tribu *Benjamin*, & quaſi *lupus rapax* perſecutus eſt Eccleſiam primo tempore. Unde & in Pſalmo dicitur: *ibi Benjamin in mentis exceſſu.* (Pſ. LXVII. 28.) Hic ergo *mane prædam comedit*, quando Sanctos laniabat, & acceptis à principibus epiſtolis usque in exteras nationes ſequebatur. *Veſpere autem divisit ſpolia*, quando jam converſus doctrinam Evangelii magna diſcretione fidelibus diſtribuit.

Notandum autem, quòd cum illis fratribus, qui de liberis nati erant, id eſt: Lia & Rachele, etiam ancillarum filii benedicti ſunt: in quo oſtenditur, non eſſe perſonarum acceptionem apud Deum, qui omnes vult ſalvos fieri, nec diſcernit gradus nativitatis, quos una fides facit æquales.

℣. XXXII. *Appoſitúsque eſt ad populum ſuum.*

Sæpe hoc legitur in Divina Scriptura: *appoſitus eſt ad fratres ſuos, appoſitúsque eſt ad populum ſuum.* Ideo quærendum, de quo populo dicatur. Nam de patribus nulla quæſtio eſt, quod videlicet cum Abraham & Iſaac congregaretur. De *populo* autem dubium eſt: quia populus eſt multitudo. Illi verò adhuc tam parvi erant, ut populus dici non poſſint. Intelligamus ergo hoc non de ſolis ſanctis hominibus dictum, ſed etiam de Angelis, ad quorum ſocietatem Sancti de mundo tranſeuntes apponebantur. De hoc populo Paulus dicit: *Acceſſiſtis ad montem Sion & ad Hieruſalem cæleſtem, & ad frequentiam Angelorum.* (Heb. XII. 22.)

A. B.

Cap. L.

℣. III. *Tranſierunt quadraginta dies.*

Hic numerus pœnitentiæ & humilitati convenit. Unde & in Lege & in Evangelio & ab ipſo Domino obſervatus eſt.

Septuaginta diebus.

Ethnici, id eſt: gentiles novem diebus flebant mortuos ſuos. Unde & novendialis vocabatur nona dies, quando ſepeliebatur. Noſtri verò, id eſt: Dei cultores *ſeptem diebus* exequias mortuorum celebrant. Unde ſcriptum eſt: *luctus mortui ſeptem dies: luctus autem fatui omne tempus vitæ ejus.* (Eccli. XXII. 13.) C. Septenarius requiem ſignificat: unde & ſeptima dies Sabbatum, id eſt: requies appellatur. Celebrant ergo ſeptimam diem mortuorum optantes illos requieſcere cum Domino à laboribus præſentis ſæculi. Hìc ergo dicit: *flevit eum Ægyptus ſeptuaginta diebus*, qui eſt decuplatus ſeptenarius. Nam ſepties deni ſeptuaginta ſunt.

Poteſt & hoc dici, quia ſicut tertia dies mortui agitur à fidelibus, ut anima, quæ triplicis naturæ eſt, requieſcat: ita ſeptima dies celebratur, ut anima corpori reconcilietur, (D) quæ carne illiciente peccavit. In ſeptem enim tria ſunt & quatuor. Et ternarius, ùt dictum eſt, pertinet ad animam, quæ eſt iraſcibilis, concupiſcibilis, rationalis: quaternarius ad corpus, quod quatuor conſtat elementis.

℣. X. *Venerúntque ad aream, quæ ſita eſt trans Jordanem.*

Septuaginta dicunt: *ad aream Adad*, qui locus trans Jordanem eſt, & multis paſſuum milibus diſtat ab Abramio, id eſt: à loco, ubi Abraham ſepultus eſt. Ergo præter-

prætergreſſi ſunt locum, ubi ſepeliri de- A.
bebat Jacob, & poſtea remenſo Jordane
redierunt ad locum duplicis ſpeluncæ.
Unde quæri poteſt, quare hoc fecerint.
Sed fortè dicet aliquis, quòd timerent,
ne bella contra ſe ſurgerent, ſicut & filii
Iſraël circumducti ſunt quadraginta annis
per deſertum, donec quadrageſimo anno
transmiſſo Jordane venirent in terram
promiſſionis. Sed cauſa majoris ſignificantiæ
hoc factum eſſe ſciamus. In hoc
enim loco, quæ *area Adad* dicitur, poſtea
multitudo filiorum Iſraël murmurans
contra Dominum igne Divino conſump- B.
ta eſt. Hoc ergo præſignabat luctus ille
vehemens, quo non tantum mors Jacob,
quantum ruina illius populi, quæ
ibi futura erat, deflebatur.

ỳ. XXI. *Locutus eſt fratribus: poſt mortem meam viſitabit vos Dominus* & reliqua.

Joſeph igitur, qui ſicut pater ejus Jacob terram repromiſſionis tota mente deſiderabat, incolatúmque Ægypti deteſtabatur, moraliter nos inſtruit, ut, quàm diu ſumus in hoc Mundo, ſemper deſideremus ingredi terram repromiſſionis, id eſt: *terram viventium*, ibique requieſcere optemus. Quod tunc dignè fit, ſi numerum annorum ætatis ipſius moribus imitemur.

Centum ergo & decem vitæ ſuæ annis expletis mortuus eſt. ỳ. XXV.

Et nos ſtudeamus, quòd per Decalogi numerum vel obſervantiam ad æternam beatitudinem, quam centenarius numerus deſignat, perveniamus.

Conditus eſt quoque aromatibus ipſe Joſeph, & repoſitus eſt in loculo in Ægypto.

Loculus eſt vas repoſitorum, ubi aliquod adſervandum commendatur. O felix anima, quæ aromatibus virtutum condita in hoc corpuſculo degens cottidie proficiendo perenni vitæ reſervatur! Sine dubio ſi tali condimento condita in fide, ſpe, & charitate cuſtodita fuerit per gratiam Chriſti, ad Divinæ contemplationis ſpeciem pervenire merebitur, cujus adeptio perfecta eſt lætitia, quam Pſalmiſta oculis aſpiciens ait: *adimplebis me lætitia cum vultu tuo Domine: delectationes in dextera tua usque in finem.* Amen. Pſ. XV. 10.

* Explicit Commentum Breſith.

* Ita Cod. Tegernſ.

VEN.

VENERABILIS

IRIMBERTI

ABBATIS ADMONTENSIS

Ord. S. Ben.

COMMENTARIORUM

IN

LIBRUM JUDICUM

LIBRI II.

Prodeunt nunc primùm in lucem

ex autographo ejuſdem Inclyti Monaſterij Codice, operam & ſtudium conferente Ven. D. P. Sebaſtiano Treger Cartuſiano Gemnicenſi in Auſtria.

INCIPIT PROLOGUS IN LIBRUM *SOPTHIM* ID EST JUDICUM.

Joh. V. 39.

JUdicium illud de quo Salvator in Evangelio loquitur: *Ego in judicium in hunc mundum veni, ut non videntes videant, & qui vident, cæci fiant;* diverſis & miris figuris hiſtoria tibi Judicum eloquitur: Geſta enim ferè omnium Iſraëliticorum Judicum illius loquuntur myſterium, cui Pater in manus omne dedit judicium. In quo nimirum judicio ſtatera illa appenditur, de qua Job loquitur, cùm in ſua percuſſione totius humani generis

Job. VI. 2.

typum exequitur: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior in ſtatera!* ſtatera enim iſta, crux Redemptoris intelligitur, quæ & in præſenti, vel in ruinam, vel in reſurrectionem multorum ponitur, & in futuro vel ad condemnationem reproborum, vel ad ſalvationem electorum proponitur.

Cujus profectò crucis formam, Ahoth ille tam nominis ſui interpretatione quàm operis atteſtatione inclytus mirabiliter depingit, cùm in illius craſſi Regis ventrem gladiũ ancipitem diſtringit. Lignum enim vivificæ crucis figuram ancipitis gladij exequitur, dum in eo Auctor vitæ Chriſtus moritur & mortis auctor diabolus configitur. Qui nimirum gladius mirabilis ſanctæ crucis, dum velut in capulo ſublimitatem divinitatis, in extremitate pedes myſterium incarnationis, quaſi profundum humiliationis, in transverſo latitudinem incomprehenſibilis & in effabilis dilectionis in longitudine verò extenſam proceritatem prætendit æternæ remunerationis, mirifico ſchemate ſuæ compoſitionis mirificum opus oſtendit noſtræ redemptionis. Proinde hujus acumine

A. mucronis omnis carnalitas, vel ipſe incentor carnalitatis antiquus hoſtis trucidatur, cujus utriusque peſtis imagine Eglon ille craſſus adumbratur.

Hujus ſanctæ crucis myſterium, Gedeon ille bellicoſus miles Domini multipliciter recitat, dum frumenta in torculari purgat, ut Madian fugiat; dum hædum coctum cum azymis panibus ſupra petram immolat, quæ ſummitate virgæ tangendo Angelus inflammat, cùm aram Baal ſublatô taurô pa-

B. tris ſui diſſipat, cùm nemus circa ipſam aram exſtirpat, dum altare Domino Deo ædificat, in quo taurum alterum annorum ſeptem mactat ſuper lignorum ſtruem, quæ de nemore ſucciderat; dum hæc omnia nocte complet, quia domum Patris ſui timet, dum buccina inſonat, quâ domum Abjether convocat: dum aliis atque aliis nunciis Manaſſen, Aſer, Zabulon, & Nephtalim invitat, dum vellus in area dilatat, & de nocte conſur-

C. gens expreſſo vellere concham rore humectat, dum ad fontem Arath exercitum probat, dum trecentos quos ſtantes & inſtar canum aquas lambentes divinitas approbat, tubis, lagenis, ac lampadibus armat, quos auditô ſomniô de pane ſubcinericio & hordeaceo per circuitum caſtrorum hoſtilium in tribus locis ordinat, quibus tubis inſonantibus, & Gladium Gedeonis & Domini conclamantibus, hoſtes in fugam & mortem præcipitat: ad quorum interitum

D. Ephraim aquas præoccupat, duosque viros Madian. Oreb in petra Horeb: Zeb in torculari Zeb jugulat, denique dum Zebee & Salmana propria manu ipſe Gedeon mactat, ſuper quibus injuriam ſuam in viros Sochot & inhabitatores

turris

turris Phanuel ſibi exprobrantes vindicat.

Simili modo Samſon ille fortiſſimus myſterium redemptionis diverſis canit præfigurationibus, dum primò ſterili genitrici ab Angelo prænuntiatur, priusquam in utero concipiatur, dum natus ſpiritu Dei benedicitur; quô dum alienigenæ matrimonium in Thamnata requirit, catulum leonis ſævum rugientem, & ſibi occurrentem quaſi hædum in fruſta diſcerpit, in cujus ore examen apum, & favum mellis poſtmodum invenit, dum convivium nuptiale inſtituit; dum triginta Sodalibus problema proponit, cujus ſolutionem triginta ſindonibus & totidem tunicis appendit, pro quo pacto uxor ſollicitatur, cui flenti & quærenti, ſeptimo tandem die verbi myſterium à ſponſo revelatur, quod ab ipſa civibus indicatur, ac proinde ipſe Aſcalonem deſcendit, ubi triginta viros percutit, quorum veſtes his, qui problema ſolvunt, diſtribuit: dum in domum Patris ſui iratus nimis aſcendit, dum tempore triticeæ meſſis uxorem inviſit, cui hædum de capris offerre intendit, dum ab illius cubiculo excluſus à ſocero, trecentas vulpes capit, quas caudis ad caudas jungit, & facibus in medio colligatis Phyliſtinorum ſegetes, vineas & oliveta flamma conſumit: dum eos ingenti plaga percutit, quâ eos ſuram femori imponere cogit, dum de petra Ethan à ſuis extractus, & duobus novis funibus ligatus, hoſtibus occurrentibus & vociferantibus vincula dirumpit: dum in mandibula aſini mille viros proſternit; dum ſiti deficit, ſed molari dente aquas largiter effundente ſpiritum reficit, & vires recipit. Dum in Gazam abit, ubi mulieri meretrici ſe jungit, dum usque ad medium noctis dormit, dum inde conſurgit, & in porta civitatis cuſtodibus tota nocte poſitis, ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſeris in verticem montis evehit; dum in valle Sorech Dalilæ amplexus expetit, quæ ipſum inſidiis multiplicibus impetit, quas tribus vicibus in ſeptem nervicis funibus, in duobus novis funibus, in licio & clavo crinibus circumligato conterit, ſed tandem laſſatus, ſecretum ſuum illi aperit, propter quod

A. tonſo capite deperit: dum ab hoſtibus capitur, & oculis erutis vinctus Gazam devehitur, dum clauſus in carcere molere cogitur. Dum denique capillis renatis è carcere educitur, & hoſtibus ad ſpectaculum ſtatuitur: dum inter duas columnas ſiſtitur, quarum unam dexterâ, alterum lævâ complectitur; ſicque concuſſis fortiter columnis, domus evertitur, ipſéque cum hoſtibus moritur.

Sic Jephte dum de domo Patris ſui à fratribus ejicitur, dum in terra aliena peregrinatur, dum ingruente bello à Principibus in Patriam revocatur: dum

B. in Principatum ab omnibus evocatur: dum Regi hoſtium ſuam legationem dirigit. Dum denique voto ſe aſtringit, dum pugnam committit, quâ hoſtes ingenti plaga conterit, dum unicâ filiâ ſibi occurrente, veſtimenta ſcindit: dum ipſam duobus menſibus montes circuire dimittit, dum ad ſe reverſam Deo offerre non ambigit: in his omnibus Chriſti Domini redemptionem exprimit.

Sic Barach dum hortatu deboræ bellum indicit Siſaræ, cujus tempori Jahel impingit clavum per malleum ſuperpoſitum, redemptionis canit myſte-

C. rium, & per mirabile prælium, & per mirabile quod ſubſequitur Canticum. Sic omnes ferè principes populi Iſraëlitici, qui in hoc libro deſcribuntur, redemptionis noſtræ myſteria diverſis figuris eloquuntur.

Quoniam ergo opitulante gratia Chriſti monaſterio Admuntenſi *Librum Joſue* utcunque digeſſi, fretus confidentia divini auxilii, hujus quoque libri explanationem attentare diſpoſui poſitus in Carinthia in Eccleſia B. Georgii, ubi & *primas partes libri Regum* primitus explanavi. Ante annos autem aliquot,

D. quia *Hiſtoriam de Concubina*, quæ in duodecim partes eſt ſecta; Nec non Hiſtoriam Ruth ſororibus Admuntenſibus diſſerueram, duæ ex ipſis ſtudii ſui impenderunt diligentiam ad conſervandam interpretationis meæ memoriam. Ideoque huic opuſculo annectere duxi earundem hiſtoriarum, ſicut ab ipſis Sororibus digeſta eſt, explanatiunculam.

Expicit Prologus explanationis in librum Judicum.

INCIPIT EXPLANATIO IN LIBRUM SOPTHIM, ID EST JUDICUM.

LIBER I.

Cap. I.

℣. I. *Poſt mortem Joſue conſuluerunt filii Iſraël Dominum dicentes: quis aſcendet ante nos contra Chananæum & erit Dux Belli?*

℣. II. *Dixítque Dominus: Judas aſcendet. Ecce tradidi terram in manu ejus.*

Sancti Spiritûs adſit nobis gratia! Quoniam Solemnitatem Spiritûs Sancti colimus, ipſius miſericordiam humilibus votis expetimus, ut ipſe, qui eſt B. Dominus ſcientiarum, qui S. Apoſtolis in linguis apparens igneis, notitiam illis contulit omnium linguarum, nobis quoque in explanationem Libri Judicum dignetur aperire verbi oſtium ad indagandam profunditatem cœleſtium myſteriorum.

Joſue moritur: Cùm Chriſtus Dominus, qui in typo Joſue ponitur, pro redemptione humani generis in cruce mortis debitor efficitur. *Poſt mortem* ergo *Joſue filii Iſraël Dominum conſulunt*, cùm Chriſto in cruce paſſo, mortuo, ſepulto, & reſuſcitato, ac die quadrageſi- C. mo ad cœlos elevato, fideles omnes continuis ſuſpiriis Dei Patris miſericordiam pro ſtatu fluctuantis Eccleſiæ expoſcunt. Proinde dicunt, cùm Spiritum Paraclitum die noctúque jejuniis, vigiliis, & inceſſantibus lachrymis requirunt: *Quis*, inquiunt, *ante nos contra Chananæum aſcendet;* quis ſublatô paſtore bono oves Sanctæ Matris Eccleſiæ contra diabolicos incurſus, verbô, exemplô & prece defendet? *Chananæus* enim *negotiator*, vel *præparatus* interpretatur, per quem ille ſerpens antiquus figuratur, qui de lethali illo pomo primo homini in paradiſo D. collato, mortem hominis inceſſanter negotiatur. Qui ad diem malum divinitùs præparatur, dum inſcius & mutus divinæ diſpenſationi ad utilitatem electorum ſuis tentationibus famulatur, ſicut de eo

A. Pſalmiſta teſtatur. *Draco iſte, quem formâſti ad illudendum ei.* (Pſ. CIII. 26.) Proinde Iſraëlitæ viri dicunt Deo creatori: *Quis erit Dux belli* illius, de quo eſt vox illa Redemptoris noſtri: *Non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem adverſus fratrem ſuum, & filiam adverſus Matrem ſuam, & inimici hominis domeſtici ejus.* (Matth. X. 34.) De quo nimirum bello ſcribitur in libro Regum, quia cùm in unum conveniſſent, *Joab filius Sarviæ cum pueris David, & Abner filius Ner cum pueris Hisboſeth juxta piſcinam Gabaon: hi ex una parte piſcinæ, illi ex altera, ſurrexerunt & tranſierunt numero duodecim de Benjamin, & duodecim de pueris David; apprehenſoque unusquisque capite comparis ſui, defixit gladium in latus contrarii ſui, & ceciderunt ſimul. Proinde vocatum eſt nomen loci illius, ager robuſtorum in Gabaon: & ortum eſt bellum ſatis durum in illa die.* (II. Reg. 2.) Cujus litteræ ſenſum ſi quis requirere voluerit, in expoſitione noſtra ſuper librum Regum ſuo in loco invenire poterit.

Iſraëlitis ergo Dominum conſulentibus *Dominus dicit*, cùm Deus Pater per emiſſum de cœlis Spiritum Sanctum poſt Chriſti Aſcenſionem ſuis fidelibus Sanctæ Eccleſiæ Statum usque in finem ſæculi præſcribit: *Judas*, inquit, *aſcendet;* quia ordo Sanctorum Apoſtolorum, vel S. Martyrum prædicationum ſuarum ſpiculis vel continentiæ & orationum telis Sanctæ Eccleſiæ ſtatum ab hoſte defendet. *Judas* enim *confeſſio* dicitur; per quem vel Apoſtolorum vel Martyrum ordo exprimitur. *Ecce* ego, qui vobiſcum ſum omnibus diebus usque ad conſummationem ſæculi, *terram in manus ejus tradidi:* quia vel Apoſtolorum vel Martyrum prædicationi latitudinem gentium ſubjugavi. Cujus literæ notitia, ut pleniùs habeatur, lectio de Libro Numeri recenſeatur, in qua breviter & plenariè totius Eccleſiæ ſtatus ab Aſcenſione Chriſti usque in finem ſæculi denotatur.

Anno

Digitized by Google

Numer. cap. X.

Anno ſecundo, menſe ſecundo vigeſima die menſis elevata eſt nubes de tabernaculo fœderis, profectique ſunt filii Iſraël per turmas ſuas de deſerto Synai, & recubuit nubes in ſolitudine Pharan. Moveruntque caſtra primi juxta imperium Domini in manu Moyſi filii Juda per turmas ſuas. Quorum princeps erat Naaſon filius Amminadab. In tribu filiorum Iſachar fuit princeps Nathanaël filius Suar. In tribu Zabulon erat princeps Heliab filius Elon. Depoſitúmque eſt tabernaculum, quod portantes egreſſi ſunt filii Gerſon & Merari. Profectique ſunt & filii Ruben per turmas & ordinem ſuum: quorum Princeps erat Heliſur filius Sedeur. In tribu autem filiorum Simeon princeps fuit Salamiel filius Suriſaddai. Porro in tribu Gad erat princeps Heliaſaph filius Duhel. Profectique ſunt & Caathitæ portantes ſanctuarium. Tam diu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum. Moverunt caſtra & filii Effraim per turmas ſuas, in quorum exercitu princeps erat Eliſama filius Amiud. In tribu autem filiorum Manaſſe princeps fuit Gamaliel filius Phadaſſur. Et in tribu Benjamin dux Abidan filius Gedeonis. Noviſſimi caſtrorum omnium profecti ſunt filii Dan per turmas ſuas. In quorum exercitu princeps fuit Abiezer filius Amiſaddai. In tribu autem filiorum Aſer erat princeps Phagagiel filius Ochran, & in tribu filiorum Nephtalim princeps Achira filius Enan. Hæc ſunt caſtra & profectiones filiorum Iſraël per turmas ſuas, quando egrediebantur.

Annus ſecundus inſtitutionem novi teſtamenti deſignat: *menſis ſecundus* collectionem populi Chriſtiani figurat. *Vigeſima dies menſis* eſt completio noſtræ redemptionis, in qua ſcilicet pro amore Dei Patris, próque amore humani generis Chriſtus mortem ſubiit crucis. In qua nimirum conſummatione geminæ dilectionis, quaſi viceſima die menſis *nubes elevatur*, dum humanitas Filii Dei, per quam ſpecies divinitatis amictu carnis obnubilatur, vel à terra in cruce exaltatur, vel ad cœlos peractô reſurrectionis triumphô ſublevatur. De qua nube Iſaias loquitur: *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum. Tabernaculum fœderis* A. eſt ipſa compoſitio ſuſceptæ pro nobis humanitatis, in qua corporaliter inhabitat omnis plenitudo divinitatis: quæ nimirum rectè *tabernaculum fœderis* nominatur, quia per eam genus humanum ſuo Creatori reconciliatur. Unde nato ipſo Mediatore Dei & hominum, Angeli gloriam in altiſſimis Deo decantant, & pacem hominibus bonæ voluntatis denuntiant. Cùm ergo nubes elevatur, *filii Iſrael per turmas ſuas proficiſcuntur*, quia cùm Chriſtus vel in cruce exaltatur, vel ad cœlos elevatur, quatuor Sanctæ Eccleſiæ ordines, qui in hac lectione deB. ſcribuntur, ſanguinis & crucis beneficiô uſque in finem ſæculi promovendi diſponuntur. Qui *de deſerto Synai egrediuntur;* quod *amphora* vel *menſura mea* interpretatur, quo nomine Synagoga figuratur, in qua oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, fractura pro fractura reddi per legem imperatur. *Filii* ergo *Iſrael de deſerto Synai per turmas ſuas proficiſcuntur*, quia primitiæ credentium de ipſa oriuntur, per quos Eccleſiæ ordines ſuis temporibus turmatim promoventur. *Nubes in ſolitudine Pharan recumbit*, dum protectio hu-C. manitatis Chriſti in deſerto gentium ſuaviter requieſcit. *Pharan* enim *frugifer* dicitur, quo nomine ſterilis ſolitudo gentium virtutum fruge fœcundanda exprimitur. Sequitur:

Moveruntque caſtra primi juxta imperium Domini in manu Moyſi filii Juda per turmas ſuas: quorum princeps erat Naaſon filius Amminadab. Filii Juda ſancti ſunt Apoſtoli, ſpeciales illius filii & electi, qui de tribu Juda leo catulus leonis naſcitur, dum de Virgine Matre quaſi flos de virga Jeſſe exoritur. Qui nimirum S. Apoſtoli *primi caſtra mo-*D. *vent*, quia ipſi primi omnium fidelium contra ſpiritalia nequitiæ verbô & exemplô exercitum Dei in terris promovent. Unde ipſe Salvator ad eos loquitur: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Multi enim Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Et item: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.*

Luc. X. 24.

Joan. XV. 16.

Juxta imperium Domini, quod eis Chri-

Chriſtus in ſermone illo ſupercœleſti inculcat, quô in cœna excellentis doctrinæ (Joh. XIII. 34.) favos exaggerat: *Mandatum*, inquit, *novum do vobis, ut diligatis invicem.* Quod nimirum imperium *in manu Moyſi* ab antiquo dederat, cùm ipſi legislatori tabulas geminæ dilectionis nota inſcriptas in monte porrexerat. Primi ergo filii Juda caſtra movent per turmas ſuas, cùm S. Apoſtoli omnium Sanctorum primi, prædicatione Evangelii diverſas per mundum inſtituunt Eccleſias, diverſorum ordinum, diverſarum profeſſionum varietate decoratas. De qua (Pſ. XLIV. 10.) varietate dicit Pſalmiſta: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Quorum princeps erat Naaſon, filius Amminadab. Naaſon ſerpentinus* vel *augurans* interpretatur; quô nomine rectè princeps Apoſtolorum Petrus figuratur. Qui jure *ſerpentinus*, velut à ſerpente ſuſpenſo in cruce derivato nomine dicitur, dum ùti à petra Petri nomen ſortitur. Qui etiam non incongruè *augurans* interpretatur, dum inſtar auguris de cœleſtibus & incognitis veræ fidei teſtimonium de Chriſto proſequitur: *Tu es*, inquiens, *Chriſtus Filius Dei vivi.* Proinde rectè *Amminadab filius* ſcribitur, qui *Pater meus ſpontaneus* dicitur, quia meritô fidei Petrus illius generationi inſcribitur, qui pro humani generis redemptione, ſponte ſe in mortem crucis animam ſuam ponere profitetur. Unde ipſe Chriſtus ſic (Matth. XVI. 17.) ad eum loquitur: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis.* De hoc Amminadab ſponſa dicit in Canticis: *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Amminadab.*

In tribu filiorum Iſachar fuit princeps Nathanael filius Suar. Iſachar *merces* dicitur, & per tribum filiorum Iſachar ordo ſanctorum prædicatorum exprimitur, qui æternæ remunerationis intuitu commiſſam ſibi verbi pecuniam ad menſam largitur. Unde Jacob Patriarcha benedicens filiis ſuis loquitur: *Iſachar aſinus fortis, habitans inter terminos.* Quorum profectò Doctorum vel prædicatorum *princeps Nathanael* eſſe deſcribitur, qui *donum Dei* dicitur, per quem egregius ille Doctor gentium Paulus rectè intelligitur. Qui jure *do*-

A. *num Dei* vocatur; quia ipſe Chriſtus cùm de eo Diſcipulo Ananiæ loquitur, *vas electionis* eum ſibi eſſe proteſtatur. Unde & ipſe cùm ſuam converſionem deſcribit, ita de ſe ipſo dicit: *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregavit de utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut evangelizarem illum in gentibus, continuò non acquievi carni & ſanguini.* (Gal. I. 15.) Et item: *Gratiâ Dei ſum id, quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit.* (1. Cor. XV. 10.) Nathanael *filius Suar* ſcribitur, qui *puſillus* dicitur, quia veræ humilitatis magiſteriô ipſe Paulus ad culmen perfectionis evehitur, ſicut præteritorum malo-

B. rum reminiſcens, de ſe humili teſtimonio iſta proſequitur: *Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum: ſed miſericordiam conſecutus ſum, quoniam ignorans feci.* (1. Tim. I. 15.) Et item in actibus Apoſtolorum: *Cùm funderetur*, inquit, *ſanguis Stephani Protomartyris, ego eram conſentiens actibus eorum.* (Act. VIII. 1.)

In tribu Zabulon erat Princeps Heliab filius Helon. Zabulon *habitaculum fortitudinis* dicitur: & per tribum Zabulon conſtantia Prædicatorum exprimitur, quæ nec proſperis nec adverſis à ſui pro-

C. poſiti curſu reflectitur: ſicut ipſe primus Doctorum loquitur: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* (Rom. VIII. 35.) In tribu Zabulon *princeps Heliab* ſcribitur, qui *Deus meus Pater* dicitur: quia ordini ſanctorum Prædicatorum ipſe Chriſtus Pater efficitur, qui per eorum prædicationem gentibus declaratur. Qui *filius Helon* ſcribitur, qui *exercitûs fortitudo* dicitur: quia Chriſtus Dei Patris Filius eſt, & eſſe creditur: qui *Domi-*

D. *nus Deus Sabaoth*, id eſt exercituum eſſe prædicatur.

Depoſitumque eſt tabernaculum, quod portantes egreſſi ſunt filii Gerſon & Merari. Tabernaculum deponitur, quaſi deorſum ponitur, dum ad prædicationem ſanctorum Apoſtolorum Regnum Dei in terris conſtituitur. Quod enim faciunt Angeli in cœlis, hoc Monachi vel Clerici veri continentiæ profeſſores faciunt in terris. Unde rectè ejuſdem tabernaculi portitores *filii Gerſon Merari* hic *egreſſi* deſcribuntur, per quos veræ conti-

continentiæ & obedientiæ profeſſores, vel eremi cultores exprimuntur. Gerſon enim *ejectio eorum*, ſive *advena ibi*, vel *advena pupillæ* interpretatur; quibus nominibus perfectè mundo abrenunciantium, perfectéque obedientium excellentia figuratur, qui per voluntariam paupertatem abjectionem illam aſſequuntur, de qua Pſalmiſta loquitur: *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Qui etiam advenas & peregrinos ſe eſſe recognoſcunt hujus exilii, juxta illud Pſalmigraphi: *Advena ego ſum & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* Qui etiam rectè *advena pupillæ* eſſe dicuntur; quia de eis Deus per Prophetam loquitur: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Merari, amara,* ſive *amaritudines* dicitur: quò nomine Eremitarum perfectio exprimitur, de quibus Jeremias loquitur: *Bonum eſt viro, cùm portaverit jugum ab adoleſcentia ſua: ſedebit ſolitarius & tacebit, quia levavit ſe ſuper ſe.* Et item: *Ponet in pulvere os ſuum, ſi forte ſit ſpes.* De qua amaritudine Ezechiel dicit: *Spiritus aſſumpſit me, & abii amarus in indignatione ſpiritus mei.* Et Salomon: *Cor, quod novit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio illius non miſcebitur extraneus.* Tabernaculum ergo deponitur, quod à filiis Gerſon & Merari attollitur; cùm ad prædicationem ſanctorum Apoſtolorum in octo illis millibus perfectè abrenuntiantium forma præſcribitur, & Eremitarum vita exoritur. Sequitur.

Pſal. LXXXIII. 11.

Zach. II. 8.

Thren. III. 27.

Ezech. III. 14.

Prov. XIV. 10.

Profectique ſunt & filii Ruben per turmas ſuas & ordinem ſuum, quorum princeps erat Heliſur filius ſedeur. Ruben *videns filius*, vel *videns in medio* dicitur; per quem ordo S. Martyrum exprimitur, qui per magiſterium ſanctorum Apoſtolorum inſtituitur, & eorum ſucceſſor efficitur. Qui *videns filius*, vel *videns in medio* rectè dicitur; quia ille Protomartyr, & Martyrum ſignifer Stephanus in certamine poſitus loquitur: *Ecce video cœlos apertos & filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Filii ergo Ruben *per turmas ſuas proficiſcuntur*, cùm ſancti Martyres per innumeras gentium Eccleſias ſuo ſanguine fundatas diffunduntur. *Per ordinem ſuum* proficiſcuntur, dum Chriſti nomen coram Regibus & gentibus conſtanter profitentes, ſuo ſanguine omnes laureantur. *Quorum Princeps Heliſur* eſſe deſcribitur; qui *Pater meus fortis*, ſive *Pater meus coanguſtans* dicitur. Quo nomine rectè ipſe Proto-Martyr Stephanus exprimitur, qui *plenus Spiritu ſancto* eſſe deſcribitur. Ipſe enim Spiritus ſanctus *Pater fortis*, ſive *Pater coanguſtans* rectè dicitur, per quem pulvis & cinis ad fortitudinem Martyrii ſolidatur, cujus magiſteriô carnalium voluptatum latitudo coanguſtatur. *Heliſur*, *filius Sedeur* ſcribitur, qui *abſconditus* ſive *divertens* interpretatur: quibus nominibus ipſe Chriſtus intelligitur, cujus *vultus abſconditus* ab Iſaia memoratur: qui à Jeremia *quaſi colonus* futurus *ſuper terram, & quaſi viator declinans ad manendum* declaratur. Heliſur ergo filius ſedeur rectè deſcribitur, quia Chriſtum in cruce pro inimicis ſuis orantem, Stephanus pro inimicis ſuis in monte orans, invictæ fidei & dilectionis veſtigiis ſubſequitur.

Act. VII. 56.

Iſa. LIII.

Jerem. XIV. 8.

In tribu autem filiorum Simeon, princeps fuit Salamiel filius Sariſaddai. Simeon *audiens triſtitiam* interpretatur & per tribum filiorum Simeon ſanctorum Martyrum gemitus figuratur, qui variis & horribilibus ſuppliciis dilaniati, Regem Chriſtum in agonia poſitum, & ſudore ſanguinis perfuſum, ſuſpiriis & gemitibus in mortem ſubſequuntur. Quorum *Salamihel* eſſe deſcribitur, qui *retribuens mihi Deus*, vel *pax mea Deus* dicitur. Cùm enim eſſent in tormentis ſancti Martyres, cœleſtia contemplantes dixerunt: Adjuva nos Domine, ut perficiamus opus tuum ſine macula. Qui pacem illam rectè ſequuntur, quam Chriſtus ſuis Apoſtolis, vel in Cœna reſidens, vel à morte reſurgens, largitur: *Pacem*, inquit, *meam do nobis, pacem relinquo vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis: quia in mundo preſſuram habebitis.* Salamihel *filius Suriſaddai* eſſe ſcribitur, qui *continens mea ubera*, vel *fortis meus Dominus* dicitur. Quibus nominibus timor vel amor perfectus exprimitur: quibus ſanctorum Martyrum conſtantia præcingitur. De quo timore vel amore ſponſæ ſuæ ſponſus in Canticis loquitur: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, quia fortis* eſt

Joan. XIV. 27.

Cant. VIII. 6.

Digitized by Google

eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Proinde ipſa ſponſa vim ſuæ dilectionis proteſtatur, dicendo: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter* Cant. I. 13. *ubera mea commorabitur.*

Porrò in tribu Gad, erat Princeps Heliaſaph filius Duhel. Gad, *accinctus* vel *latrunculus* ſive *tentatio* dicitur: & per tribum Gad, ſanctorum Martyrum perſeverantia exprimitur, qui dum per tentationem mortis ad Confeſſionem divini nominis accinguntur, velut latrunculi à Rege Chriſto poſt urbem Hai, quæ figuram tenet hujus mundi, in inſidiis diſponuntur. De quibus latrunculis ſcribitur in Regum libro quòd *mortuô Heliſæô latrunculi de Moab venerunt in* IV. Reg. XIII. 20. *terram in ipſo anno. Quidam autem ſepelientes hominem viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulchro Heliſæi.* Cujus literæ expoſitio in ipſo Regum libro à nobis edito, ſuô invenitur locô.

In tribu Gad, Princeps Heliaſaph ponitur, qui *Deus congregans*, vel *Dei mei protectio*, ſive *abſconſio* dicitur. Quibus nominibus divinæ miſericordiæ cuſtodia circa ſanctos Martyres exprimitur. Ipſe enim Deus eos congregat, qui omnia oſſa eorum cuſtodit, ne vel unum ex his conteratur, vel capillus de capite eorum deſpereat. Ipſe eos protegit, qui eos in certamine ſuperiores efficit, & per palmam victoriæ in abſcondito faciei ſuæ à conturbatione hominum Martyres ſuos abſcondit. Heliaſaph *filius Duhel* ſcribitur, qui *agnoſcant Deum* dicitur, quia Chriſtus ſuos Martyres in paſſione idcirco glorificat, ut per eos, quia ipſe verè ſit Deus, gentibus innoteſcat.

Profectique ſunt & Caathitæ, portantes ſanctuarium. Tam diu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum. Caath, unde Caathitæ derivantur, *patientia* ſive *molares dentes*, ſive *dolans*, aut *componens* interpretatur, quibus nominibus ſanctorum Prædicatorum virtus declaratur. Ipſi enim ſunt, quos B. Jacobus ad pa- Jac. V. 10. tientiam his verbis cohortatur. *Exemplum accipite fratres laboris & patientiæ per Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini.* Ipſi ſunt *molares dentes*, velut panem doctrinæ parvulis comminuentes, velut aquas ſalutaris ſcientiæ ad refocillandam ſitim Chriſti Domini, quaſi Samſon inviĉtiſſimi largiter emittentes. Sunt etiam ſuis exhortationibus, corda ſubditorum ſuorum ne peccatis indureſcant, continuè *dolantes.* Sunt etiam eorum vitam verbô & exemplô ſtudioſè *componentes.* De qua compoſitione David dicit, cùm in morte Regis Saulis, mortem veri Doctoris ingemiſcit: *Filiæ Iſraël ſuper Saul flete:* II. Reg. I. 24. *qui veſtiebat vos coccinô in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro.* Iſraëlis enim filiæ ſunt fideles animæ, æternæ creatoris ſui viſioni intentæ. Quæ ſuper Saul flere monentur: quia de amiſſo Doctore ſuo animæ Deum tenerè diligentes lamentantur. Qui eos coccinô in deliciis veſtiebat, dum eos, quos continuis verbi Dei deliciis ſaginabat, geminæ dilectionis amictu, qui per coccinum exprimitur, ante Dei Patris oculos decorabat. Qui ornamenta aurea cultui eorum præbebat, dum eos veræ ſapientiæ, quæ per aurum intelligitur, decore intus & exteriùs componebat. *Caathitæ* ergo Martyrum turmas ſubſequentes *proficiſcuntur*, dum ſancti prædicatores tempore ſanctorum Martyrum exurgentes in latitudinem gentium diffunduntur.

Qui *ſanctuarium* Domini *portare* deſcribuntur, quia ipſi remoti à ſolicitudinibus & curis hujus mundi, ſanctuarium cœleſtis Regis veraciter efficiuntur. Unde Jeremias lamentatur, dum ſanctæ Eccleſiæ Prædicatores terrenis occupationibus diſtendi conſpicatur: *Diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite* Thren. IV. 1. *omnium platearum.* Caathitæ ſanctuarium portant, dum ſancti Doctores verbô, exemplô, & oratione ſanctam Eccleſiam, quæ verè eſt templum Dei vivi, inceſſanter ſuſtentant. De quo ſanctuario Jeremias lamentatur, cùm gentes illud ingredi conſpicatur, quia per Doctorum inertiam ſancta Eccleſia diabolicis incurſibus violatur.

Tam diu tabernaculum portatur, donec ad erectionis locum veniatur: quia tam diu ſancta Eccleſia in terris poſita fidelium Doctorum verbô, exemplô & prece ſuſtentatur, donec ad cœleſtem Jeruſalem perveniatur, ubi ipſius Creatoris ſui viſione æternaliter reficiatur,

Digitized by Google

tur, & refecta in perpetuum *erigatur.* ſequitur.

Moverunt caſtra, & filii Ephraim per turmas ſuas, in quorum exercitu Princeps erat Heliſama filius Amiud. Ephraim *frugifer* vel *creſcens* interpretatur, per quem ordo ſanctorum Confeſſorum deſignatur qui fruge multiplici virtutum locupletatur, qui ad divini timoris & amoris menſuram ſe jugiter extendere conatur. Tertio loco filii Ephraim caſtra movent, cùm poſt decurſum Apoſtolorum poſt excurſum ſanctorum Martyrum ceſſante rabie perſecutorum ordines ſanctorum Confeſſorum in ſtadio ſanctæ Eccleſiæ ſe promovent. *Per turmas ſuas*, per profeſſiones Religionis innumeras, ſpectabili varietate decoratas. *In quorum exercitu Princeps Heliſama* eſſe deſcribitur, qui *Deus meus audiens* dicitur; quo nomine perfecta in Confeſſoribus timoris & amoris reverentia exprimitur. Sicut enim *qui avertit aurem ſuam, ne audiat legem* (Proverb. XXVIII. 9.) *Oratio ejus execrabilis* eſſe dicitur: ita cùm muri Jeruſalem, ſcilicet interiores & exteriores ſenſus timore & amore Dei reædificantur, tunc ſacrificium juſtitiæ, quod eſt ſacrificium contritionis, & ſacrificium pietatis acceptatur: tunc ſuper altare cordis, vituli laudis dignè imponuntur. Heliſama *filius Amiud* ſcribitur, qui *populus meus inclytus* dicitur: quia per hoc ordo ſanctorum Confeſſorum vultui Creatoris ſui inclytum ſe exhibet, quòd continentiæ, orationi & meditationi continuæ ſtudet.

In tribu autem filiorum Manaſſe, Princeps fuit Gameliel filius Phadaſſur. Manaſſes *oblitus* vel *neceſſitas* interpretatur, & per tribum Manaſſe ordo continentium figuratur, qui per timorem & amorem Dei populum ſuum, & domum Patris ſui obliviſcitur, & neceſſitate obedientiæ voluntariæ conſtringitur. Quorum *Princeps Gamaliel* eſſe ſcribitur, qui *retributio Dei* dicitur; quia pro æternæ remunerationis intuitu, fidelis quiſque voluptates mundi vel carnis obliviſcitur, & jugo obedientiæ ſubmittitur. Gamaliel *filius Phadaſſur* ſcribitur, quod *redemptio fortis*, ſive *vallata* dicitur: quia voluntaria paupertas & obedientiæ neceſſitas in die conſummationis *redemptio fortis* efficitur, per quam fidelis anima fortiter *vallata* ab incurſu hoſtis & mortis defenditur.

Et in tribu Benjamin Dux Abidan, filius Gedeonis. Benjamin *filius dexteræ* interpretatur, & per tribum Benjamin illorum forma deſcribitur, qui licèt ſæculi rebus inhærentes, piè tamen viventes, ad dexteram Judicis quandoque transferri per eleemoſynarum largitionem conantur. Quorum *Dux Abidan* eſſe ſcribitur, qui *Pater meus Judex* dicitur: quia ipſe eis in præſenti per fidem & dilectionem principatur, qui eos in futuro judicio benignè remunerans alloquitur: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum. Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere &c.* (Matth. XXV. 34. & ſeq.) Abidan *filius Gedeonis* ſcribitur, qui *tentatio iniquitatis* dicitur: quia Filius Dei in carne veniens ſuæ miſericordiæ oſtenſione, quaſi *tentatione iniquitatem* Judaicæ perfidiæ experitur; ſicut ipſe Diſcipulis ſuis in Cœna loquitur: *Niſi veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* (Joh. XV. 22.) Sequitur.

Noviſſimi caſtrorum omnium profecti ſunt filii Dan per turmas ſuas. In quorum exercitu Princeps fuit Abiezer filius Amiſaddai. Dan *judicium* vel *judicans* dicitur per quem ſynagoga in fine converſa exprimitur, quæ per judicium cæcitatis ejecta foris, nunc conculcatur, ſed ad Eccleſiæ ſocietatem per fidem recepta judicandi poteſtate donatur. De qua poteſtate Apoſtolus loquitur: *Spiritalis autem omnia dijudicat.* (I. Cor. II. 15.)

Noviſſimi caſtrorum omnium filii Dan proficiſcuntur: quia decurſis Apoſtolorum, & Martyrum & Confeſſorum temporibus fideles Synagogæ in extremitate mundi, Eccleſiæ ſtadium pugnaturi ingrediuntur. *Per turmas ſuas*, per diſtinctiones Prædicatorum, Continentium & cæterorum fidelium, pulchra varietate decoratas. *In quorum exercitu Princeps Abiezer* eſſe deſcribitur, qui *frater meus adjutor* dicitur, per quem Chriſtus Dominus intelligitur, qui per illud orationis ſuæ ſacrificium, quo pro eis in cruce Patri ſupplicare non dedignatur, abjectis miſeræ Synagogæ filiis quandoque ſuffragatur, pro eo quòd de ejus progenie carnem ſumere dig-

Digitized by Google

natur. Cùm enim fratrem ſuum & conſanguineũ populus Judaicus eum recognoſcere, venerari & diligere cœperit, ejus apud Patrem interceſſione ad priſtinæ libertatis gratiam redit. Ahiezer *filius Amiſaddai* ſcribitur, qui *populus meus ſufficiens* dicitur: quia ipſe Chriſtus tunc quaſi Matrem ſuam Synagogam filiali dilectione amplectitur; cùm omnis Iſraël, qui tunc temporis inventus fuerit, per fidei & dilectionis ſufficientiam ſalvabitur. Unde Apoſtolus dicit: *Cùm plenitudo gentium introjerit, tunc omnis Iſraël ſalvus erit.* Et Iſaias: *Si fuerit numerus filiorum Iſraël quaſi arena maris reliquiæ ſalvæ fient.* Et Pſalmiſta: *Convertentur ad veſperam, & famem patientur ùt canes, & circuibunt Civitatem.* Unde benè ſubditur.

Rom. XI. 25. *Iſa. X. 22.* *LVIII. 7. Palm.*

In tribu autem filiorum Aſer, erat Princeps Phagagiel filius Ochran. Aſer *beatus* interpretatur, & per tribum filiorum Aſer ordo continentium de converſa Synagoga figuratur, qui diverſarum virtutum vel ſcientiarum beatitudine ſublimatur. Quorum Princeps *Phagagiel* ſcribitur, qui *occurſio Dei* dicitur: quia ipſe Deus per prævenientem & ſubſequentem gratiam eis gratuita pietate miſeretur. Phagagiel *filius Ochram* ſcribitur, qui *turbavit eos*, dicitur: quia ipſe eorum miſeretur, qui ſpiritum compunctionis ipſis infundere clementer dignatur.

Et in tribu filiorum Nephtalim Princeps Achira filius Enan. Nephthalim *latitudo* dicitur, & per tribum filiorum Nephthalim, ordo Prædicatorum ex converſa Synagoga exprimitur, qui per latitudinem gentium prædicationis ſuæ irrigatione diffunditur. Quorum *Princeps Achira* ſcribitur, qui *fratris mei amicus* dicitur: quia per hoc populus Judaicus fratrem Chriſtum ſe habere, & ejus amicum ſe veraciter eſſe conteſtatur quod per emiſſos verbi Præcones ejus notitiam gentibus prædicare non cunctatur. Achira *filius Enan* ſcribitur, qui *nubes* dicitur, per quem Chriſti humanitas intelligitur: quia nubes illa, quæ nunc in ſolitudine Pharan, ſcilicet in Eccleſia gentium recumbit, propitiatio illa humanitatis filii Dei ad Converſam Synagogam quandoque redibit. Unde ipſe Salvator diſcipulis ſuis dicit: cùm eis mundi finem præſcribit: *Videte ficulneam, & omnes arbores. Cùm producunt jam ex ſe fructum, ſcitis quoniam prope eſt æſtas.* Ficulnea enim, quæ à cognitione Dei ſuæ perfidiæ immanitate contabuit: quæ quandoque reviviſcere incipiet, quando fidem & dilectionem Chriſti plenariè ſuſcipiet. Omnes arbores ſunt omnes gentes, ad prædicationem *Synagogæ* fructum fidei proferentes. Unde Iſaias dicit: *Conſummatio abbreviata juſtitiam mundabit:* quia converſa Synagoga in brevi ſterilitatem gentium prædicatione ſuâ fœcundabit.

Luc. XXI. 29. *Iſa. X. 22.*

Hæc ſunt caſtra & profectiones filiorum Iſraël per turmas ſuas quando egrediebantur. Talibus, ut præſcriptum eſt, ordinum & temporum ſucceſſionibus Eccleſiæ limites diſterminantur, quando, Chriſto in cruce exaltato, vel ad cœlos elevato unguenti ſancti Spiritûs à capite in barbam delapſo, veſtimenta Eccleſiæ cœleſti benedictione irrorantur. Quatuor iſti ſanctæ Eccleſiæ Ordines, qui ab aſcenſione Chriſti usque in finem mundi diſponuntur, tali modo in Zacharia deſcribuntur: *In die illa magnus erit planctus in Jeruſalem, ſicut planctus ad Adadremmon in campo Mageddon, & planget terra, familiæ & familiæ ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum, familiæ Domûs Nathan ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum, familiæ domûs Levi ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum. Familiæ Semei ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum. Omnes familiæ reliquæ familiæ & familiæ ſeorſum; & mulieres eorum ſeorſum.* Cujus literæ ſenſum ſi quis ſcire voluerit, in expoſitione noſtra ſuper librum Joſue in fine libelli tertii, ubi in Sichem Patriarchæ & Prophetæ convocantur, invenire poterit. Quoniam ergo propter Judam digreſſionem iſtam fecimus, nunc ad expoſitionis ordinem redeamus. Sequitur.

Zach. XII. v. 11. & ſeqq.

Et ait Judas Simeon fratri ℣. III.
ſuo: Aſcende mecum in ſorte
mea, & pugna contra Chananæum, ut & ego pergam tecum in ſorte tua. Et abjit cum eo Simeon.

Aſcenditque Judas, & tra- ℣. IV.
didit

Digitized by Google

didit Dominus Chananæum ac Pherezæum in manus eorum, & percuſſerunt in Bezech decem millia virorum.

Quoniam ſicut in præcedentibus eſt dictum, per Judam Ordo Sanctorum Apoſtolorum & Martyrum figuratur; per Simeonem, qui *audiens triſtitiam* interpretatur, ſanctorum Confeſſorum Ordo deſignatur. *Judas* ergo *Simeoni fratri ſuo loquitur*, cùm Ordo Sanctorum Martyrum, Ordinem Sanctorum Confeſſorum ad fidem & dilectionem Chriſti cohortatur. Abyſſus abyſſum invocat, quia dies diei verbum eructat.

Aſcende mecum in ſorte mea, in corpore tuo ferendo Chriſti ſtigmata. *Pugna contra Chananæum*, quia non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. *Ut & ego pergam tecum in ſorte tua*, in pace tibi tradita, multos transmittens ad cœleſtia in occultæ paſſionis ſemita. Sicut enim tempore perſecutionis multi fideles fuerunt, qui ſinè aperto Martyrio in ConfeſſioneChriſti de hac vita tranſierunt: ita nunc in pace Eccleſiæ multi conſiſtunt, qui per occultum Martyrium paſſionis trophæum cœlis inferunt. Unde rectè *cum Juda Simeon abire* dicitur: quia à paſſione Chriſti, imò ab initio usque ad finem ſæculi unanimi fide & dilectione tam Martyrum, quàm Confeſſorum Ordo Chriſti veſtigia inſequitur. Iſti enim ſunt duo filii Jacob, de quibus ipſe filiis ſuis loquitur: *Vos ſcitis, quòd duos genuerit*
Gen. XLIII. 27. 28. & 29. *mihi uxor mea. Egreſſus eſt unus, & dixiſtis: beſtia devoravit eum, & hucusque non comparet. Si tuleritis & iſtum, & aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos ad inferos.* Jacob Chriſtum deſignat: uxor ejus ſanctam Eccleſiam figurat. Quæ nimirum uxor per aquam & Spiritum duos filios parturit; cùm Martyres & Confeſſores per aquas Baptiſmi abluit, & per Spiritum compunctionis enutrit. Egreſſum unum beſtia devoravit: quia populum Sanctorum Martyrum rabies perſecutionis extinxit. Hucusque non comparet: quia barbaricæ perſecutionis furor in Eccleſia modò non apparet. Si iſte ablatus fuerit, ſcilicet, ſi Ordo Sanctorum Confeſſorum de hac vita tranſierit, cani Jacob cum mœrore ad inferos deducuntur: quia extrema mundi, quæ per canitiem Jacob exprimuntur, infinitis doloribus usque ad conſummationem rerum perducuntur.

Judas aſcendit, cùm Ordo Sanctorum Martyrum, comitante ſecum Ordine ſanctorum Confeſſorum, fide & dilectione ad cœleſtia contendit. *Chananæum & Pherezæum in manus eorum Dominus tradit*, cùm ſuperbiam & vanam gloriam continentiæ, Orationi & Meditationi Sanctorum Martyrum & Confeſſorum divina clementia ſubſternit. Chananæus enim *negotiator* vel *motus eorum* dicitur, per quem ſuperbia exprimitur, quæ per appetitum avaritiæ primum hominem movit de quieta paradiſi habitatione. *Pherezæus ſeparans*, vel *diſſeminatus* interpretatur, per quem vana gloria figuratur, quæ hominem ab unitate Eccleſiæ ſeparat, quæ diſcordiam inter fideles ſeminat.

Moraliter per Judam, qui *confeſſio* dicitur, pœnitentia & confeſſio peccatorum exprimitur: per Simeonem, qui *audiens triſtitiam* interpretatur, triſtitia, quæ ſecundùm Deum eſt, deſignatur. *Chananæum & Pherezæum Dominus in manus eorum tradit:* quia vera pœnitentia, & quæ ſecundùm Deum eſt, triſtitia, ſuperbiam & vanam gloriam funditus extinguit. *In Bezech decem millia virorum percutiunt*, quia vera pœnitentia, & ſalubris triſtitia, univerſa vitia interiorum & exteriorum ſenſuum configunt. Bezech enim *egeſtas* interpretatur, per quam ſterilitas illa figuratur, cùm caro ſpiritui dominatur. Sequitur.

Inveneruntque Adonibezech & pugnaverunt contra eum, ac percuſſerunt Chananæum & Pherezæum. ℣. V.

Fugit autem Adonibezech: Quem ſecuti comprehenderunt, cæſis ſummitatibus manuum ejus ac pedum. ℣. VI.

Dixitque Adonibezech: Septuaginta Reges amputatis ma- ℣. VII.

nuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntq́, eum in Jeruſalem & ibi mortuus eſt.

Adonibezech *Dominus fulgurans* interpretatur, per quem ille rectè figuratur, qui cùm plenus tenebrarum eſſe ſciatur, in angelum lucis falsò ſe transfigurare conatur. Qui *in Bezech invenitur*, ſicut de eo Job loquitur: *Faciem ejus præcedet egeſtas.* (*Job. XLI. 13.*) *Contra eum pugnatur:* quia continentia, Oratione, & Meditatione fidelium oppugnatur. *Chananæus & Pherezæus percutiuntur:* quia ſuperbia & vana gloria, humilitate & voluntaria paupertate extinguuntur.

Adonibezech fugit: quia continentiæ, orationi & meditationi perſeverantium malignus hoſtis cedit. Pœnitentia & triſtitia eum inſequuntur, quia per ſtabilem pœnitentiam, & per ſalubrem triſtitiam omnes vanitates malignarum cogitationum ad nihilum rediguntur. *Adonibezech comprehenditur*, cùn. Spiritus falſitatis Spiritu veritatis opprimitur. *Summitates manuum ac pedum ejus cæduntur*, cùm cogitationum & operum vanitates gladiò Spiritûs, quod eſt verbum Dei, reciduntur. Sicut enim pedibus iter conficitur, ita cogitationibus verborum vel operum qualitas in mente diſponitur: ideoque per pedes cogitationum motus exprimitur. Quia autem manibus homo quæque agenda operatur, rectè per manus verborum vel operum perverſitas figuratur, quæ verbi Dei mucrone obtruncatur.

Adonibezech dicit: cùm draco ille antiquus in extremo judicio pro immanitate ſcelerum ſuorum æterni Judicis condemnationem excipit. *Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias.* Septuaginta Reges ſunt omnes fideles, ſeptiformi S. Spiritûs gratiæ in baptiſmo participantes. Quibus *manuum ac pedum ſummitates amputantur;* dum ab innocentiæ ſuæ rectitudine cogitationum, verborum & operum perverſitate debilitantur. Qui *ſub menſa Adonibezech ciborum reliquias colligunt*, dum per concupiſcentiam carnis, & per concupiſcentiam oculorum & ſuperbiam vitæ, innumeras cogitationum, verborum & operum maculas, quaſi ciborum reliquias, vel porcorum ſiliquas congerunt, quibus in ſe ipſis malignis ſpiritibus paſtum delectationis conficiunt. Proinde *Adonibezech dicit:* cùm hoſtis ille ſuperbus extrema judicii diſtrictione contritus, percuſſoris ſui in ſe ipſo æquitatem perſentit. *Sicut*, inquit, *feci*, qui ab initio usque ad finem ſæculi, quoscunque potui, interficere non ceſſavi: *ita nunc mihi Deus reddidit*, quia juſtus ille Judex me cum omni reproborum corpore æternis inferorum ſuppliciis addixit: *diſcedite*, inquiens, *à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & Angelis ejus.* (*Matth. XXV. 41.*) *Adonibezech in Jeruſalem adducitur*, quia antiquus ille hoſtis in illo magni Judicii die, in conſpectu totius Eccleſiæ vinctus & catenatus miniſteriò ſanctorum Angelorum ante faciem æterni Judicis perducitur. *Ibi moritur*, quia cunctis electis videntibus, gaudentibus, Deúmque liberatorem ſuum collaudantibus in abyſſum præcipitabitur. Sequitur.

Oppugnantes ergo filii Juda ℣. VIII.
Jeruſalem, ceperunt eam; &
percuſſerunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem.

Et poſtea deſcendentes, pu- ℣. IX.
gnaverunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, & ad meridiem, & in campeſtribus.

Pergensque Judas contra ℣. X.
Chananæum, qui habitabat in Hebron, cujus nomen fuit antiquitus Cariatharbe, percuſſit Syſai & Tholmai.

Atque inde profectus, abiit ℣. XI.
ad habitatores Dabir: cujus nomen vetus erat Cariathſepher, id eſt, civitas litterarum.

Spiritus Sanctus, qui ſimul omnia creavit, ſimul interdum præterita, præſentia, & futura comprehendit. *Filii Juda Jeruſalem oppugnant*, dum electi ad

ad laudandum Deum formati, cœleſtis Jeruſalem arcana, in terris adhuc poſiti, inveſtigare laborant; ac proinde ſanctam Scripturam continuæ meditationis inſtantiâ oppugnant. *Capiunt eam*, dum cœleſtium myſteriorum eminentiam in ſuam redigunt intelligentiam. *In ore gladii eam percutiunt*, dum gladiô Spiritûs, quod eſt verbum Dei, reſeratô ſibi per gratiam Spiritûs Sancti oſtiô verbi, quaſi ore gladii, literam occidentem à Spiritu vivificante diſcutiunt. Qui enim occiditur, à vita ſeparatur: ſic acumine ſpiritalis intelligentiæ in ſacra Scriptura, Spiritus vivificans à litera occidente ſequeſtratur. *Cunctam civitatem incendio tradunt*, dum omnem Scripturæ ſacræ conſtructionem igni Sancti Spiritûs ſubjiciunt, ut argentum habere poſſint examinatum, juxta illud Pſalmigraphi

Pſ. XI. 7. teſtimonium: *Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.*

Poſtea deſcendunt, cùm de ſecretis cœleſtibus ad tractanda Chriſti & Eccleſiæ Sacramenta ſe transferunt. *Contra Chananæum pugnant*, dum Chriſti Sacramenta continuæ meditationis inſtantiâ retractant. Chananæus enim *motus eorum* vel *negotiator*, aut *humilis* interpretatur: quibus nominibus ipſe Redemptor figuratur, cujus humilitate ſuperbus ille Synagogæ populus movetur, qui per aſſumptæ humanitatis laborem pro humani generis ſalute negotiatur. *Qui in montanis, & ad meridiem, & in campeſtribus habitat.* In *montanis* literarum veteris teſtamenti difficultas, per *meridiem* Allegoriarum proceritas, in *campeſtribus* moralitatum exprimitur ſuavitas.

Judas contra Chananæum pergit, dum electus Eccleſiæ populus veræ ſcientiæ armis præcinctus latentem in ſacra Scriptura Chriſtum requirit. *Qui in Hebron habitat*, quæ *conjugium* ſonat, quia Chriſtus ſacram Scripturam inhabitat, quæ ſanctam Eccleſiam ejus conjugio dedicat. *Nomen Hebron fuit antiquitus Cariatharbe*, quæ *quatuor* dicitur, quô nomine Geneſis exprimitur; quæ dum de veteri illo Adam, ejusque conjuge Eva hiſtorialiter loquitur, novi Adæ, ejusque Matris Beatæ Mariæ Virginis typum latenter exſequitur. Judas *Syſai, &*

A. *Ahiman & Tholmai percutit:* dum Eccleſiæ populus veræ ſcientiæ armis præcinctus, allegoriam & moralitatem Scripturæ Geneſis ſua interpretatione diſcutit. Syſai enim *longævus* dicitur, quo allegoriæ decus exprimitur, cujus ſenectus in miſericordia uberi incaneſcit, cùm miſericordia Dei Patris in carne juveneſcit. Ahiman *frater ejus* dicitur: quia moralitas Allegoriæ Spiritus conjunctione jungitur. Tholomai *ſuſpenſio*, vel *ſulcus* dicitur: quô nomine Anagogen Continentia * exprimitur, quæ in Allegoria ſuſpenditur, & in moralitate compo- *Ita Cod.

B. nitur.

Inde profectus ad habitatores Dabir abit: quia ordo Doctorum, quem Judas exprimit, veteris teſtamenti ſcripta tranſcendens, novi teſtamenti ſcripturam diſcutit. Dabir enim *eloquentia* dicitur, per quam novi teſtamenti litera exprimitur. *Cujus nomen vetus erat Cariathſepher: id eſt, civitas literarum,* quando in primordio ſæculi ſine lege ſcripta diverſis præfigurationibus mundo loquebatur ſuæ redemptionis myſteria. Sequitur.

C. *Dixitque Caleb: Qui percuſſerit Cariathſepher, & vaſtaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.* ŷ.XII.

Cumque cepiſſet eam Othoniel filius Cenez, frater Caleb junior, dedit ei filiam ſuam conjugem. ŷ.XIII.

Quam pergentem in itinere monuit vir ſuus, ut peteret à Patre ſuo agrum. Quæ cùm ſu- ŷ.XIV.
D. *ſpirâſſet ſedens aſino, dixit ei Caleb: Quid habes?*

At illa reſpondit: Da mihi benedictionem. Quia terram arentem dediſti mihi, da & irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum ſuperius, & irriguum inferius. ŷ.XV.

Caleb, *quaſi cor*, aut *omne cor*, vel *canis* dicitur, per quem ordo Doctorum exprimitur; qui *quaſi cor* vitam ſanctæ Eccle-

Eccleſiæ continet, & inſtar *canis* excubias Domini ſui obſervat, dum contra dæmones vel Chriſti hoſtes latratum prædicationis emittere non ceſſat. Ipſe etiam Caleb, qui in typo Doctorum ponitur, ipſius quoque Domini typum hoc in loco exſequitur: quia ipſe omnium Doctorum caput & Magiſter eſſe cognoſcitur. *Caleb* ergo *dicit*, cùm Chriſtus ſua myſteria mundo prædicit. *Qui Cariathſepher percuſſerit, & ceperit*, qui Scripturæ ſanctæ intelligentiam per meam paſſionem tetigerit, & per Reſurrectionem meam & Aſcenſionem in captivitatem eam redegerit, *dabo illi Axam filiam meam uxorem.* Axa *claudicans* vel *iraſcens*, vel *furibunda* dicitur: per quam Eccleſia præſentis temporis exprimitur, quæ *claudicat* in ſpe, dum, quod ſperat, nondum habet in re. *Iraſcitur* contemptoribus legis divinæ: *furibunda* efficitur zelo juſtitiæ & continentiæ. Unde reprobi in libro Sapientiæ deſcribuntur loqui in die judicii viſâ gloriâ electorum Dei: *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore.* Hæc ergo Axa, *filia Caleb* ſcribitur, quia ſancta Eccleſia Chriſti ſanguine in cruce gignitur. Quam nimirum ipſe Chriſtus Ordini Doctorum in matrimonio jungit; cùm per Spiritum S. verbô prædicationis prolem fidelium ipſi tribuit.

Sap. V. 4.

Othoniel, *tempus ejus Dei*, vel *reſponſio Dei* dicitur, per quem ordo Doctorum novi teſtamenti exprimitur, *cujus tempus* eſſe *Dei* dicitur; cùm ipſe Dei reſponſio efficitur. Qui *frater Caleb junior* fore deſcribitur: quia novi teſtamenti Prædicator per Chriſtum conſtituitur, qui poſt Reſurrectionem ſuam Mariæ Magdalenæ loquitur: *Vade nuncia fratribus meis, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum.* Hic ergo Othoniel *Cariathſepher capit*, dum per Chriſti paſſionem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem Spiritu S. de cœlis miſſo, ſacræ ſcripturæ intelligentiam comprehendit. Cui Caleb filiam ſuam Axam dat uxorem, de qua verbô prædicationis fidelium generet ſobolem.

Joh. XX. 17.

Othoniel & Axa ſimul *pergunt*: quia ordo Magiſtrorum & Eccleſia ſubditorum in unitate fidei & ſpei & dilectionis

A. Chriſto ſerviunt. Vir ejus ei ſuadet: quia Ordo Doctorum ſanctæ Eccleſiæ ſalutis conſilium præbet. *Ut petat à Patre ſuô agrum:* de quo Iſaac ad Jacob loquitur filium ſuum: *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus.* Ager nempe iſte ſacra ſcriptura eſt ex Prophetarum & Apoſtolorum cultura, qui à Patre luminum petitur, à quo omne datum optimum, & omne perfectum donum tribuitur. *Axa ſuſpirat*, quia ſancta Eccleſia continuo gemitu cœlos pulſat. *Sedet aſino*, quia Prædicatorum ſuorum inhæret ſolatio. Gen. XXVII. 27.

B. Quòd enim per aſinum Prædicatorum Ordo ſignificetur, Jacob Patriarcha teſtatur: *Iſachar aſinus fortis, habitans inter terminos.* Caleb *interrogat, quid Axa habeat*, quia Chriſtus ſciſcitatur, cujus rei gratia Eccleſia compungatur. Gen. XLIX. 14.

Illa reſpondet, cùm ſancta Eccleſia Filio Dei ſua vota expandit. *Da mihi benedictionem* per tuam incarnationem, Paſſionem, Reſurrectionem & Aſcenſionem. Unguentum à te capite mitte in barbam, quô veſtimenti mei perfundas oram. *Terram* auſtralem & *arentem dediſti mihi*, cùm literam veteris teſta-

C. menti ſiccam mihi contuliſti. *Junge & irriguam*, literæ veteris teſtamenti copulando allegoriæ & moralitatis conſequentiam. *Dat* itaque *Caleb irriguum ſuperius, & irriguum inferius:* quia Chriſtus per gratiam S. Spiritûs dat Eccleſiæ teſtamentum novum, quod eſt irriguum ſuperius, & teſtamentum vetus, quod eſt irriguum inferius. Vel irriguum ſuperius datur, cùm ſancta Scriptura utriuſque teſtamenti de cœleſtibus nos conſolatur. Irriguum inferius datur, cùm peccantibus inferni ſupplicia ſancta

D. Scriptura comminatur. Sequitur.

Filii autem Cynæi cognati Moyſi aſcenderunt de civitate Palmarum cum filiis Juda in deſertum ſortis ejus, quod eſt ad meridiem Arad, & habitaverunt cum eo. ℣. XVI.

Abiit autem Judas cum Simeone fratre ſuo, & percuſſerunt ſimul Chananæum, qui habitabat in Sephath, & interfecerunt ℣. XVII.

Digitized by Google

cerunt eum. Vocatúmque eſt nomen urbis Horma: id eſt anathema.

℣.XVIII. *Cepitque Judas Gazam cum finibus ſuis, & Aſcalonem, atque Acaron cum terminis ſuis.*

℣.XIX. *Fuitque Dominus cum Juda & montana poſſedit, nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.*

℣.XX. *Dederúntque Caleb Hebron, ſicut dixerat Moyſes, qui delevit ex ea tres filios Enach.*

℣.XXI. *Jebuſæum autem habitatorem Jeruſalem non deleverunt filii Benjamin in Jeruſalem: habitavitque Jebuſæus cum filiis Benjamin in Jeruſalem uſque in præſentem diem.*

Cynæus *poſſeſſor* interpretatur, per quem fidelis populus deſignatur, qui meritô fidei poſſeſſionem cæleſtis regni conſequitur. Qui Cynæus *cognatus Moyſi* ſcribitur, qui verá fide & dilectione Creatori ſuo jungitur. Iſta *cognatio* fit de Spiritu ſancto, ſicut Joannes dicit in Evangelio: *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* (Matth. III. 9.) *Filii Cynæi*, ſunt Judæi, qui in extremitate ſæculi venientes ad cognitionem Chriſti cognatione ſpirituali, filii fiunt populi Chriſtiani. Qui *de civitate Palmarum aſcendunt*, cùm illam abolitæ legis defectivam traditionem derelinquunt. Civitas enim Palmarum, Jericho nominatur, quæ *luna* interpretatur: per quam inſtabilitas & defectus ceremoniarum legalium figuratur. *Cum filiis Juda aſcendunt*, dum cum ſanctæ Eccleſiæ Doctoribus de litera occidente ad Spiritum vivificantem ſe extendunt. *In deſertum ſortis ejus*, unde deſcendit paſtor ille pius, relictis nonaginta novem ovibus. Quod nimirum deſertum ſorti Judæ debetur, quia Deum fide & vera dilectione collaudantibus Regnum cælorum hæreditario jure promittitur. Proinde ipſum deſertum *ad meridiem Arath* eſſe ſcribitur, quæ *con-*

A. *ſurrectio deſcenſionis* dicitur. De qua conſurrectione vel deſcenſione ipſe Chriſtus in Evangelio loquitur: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo.* (Joh. III. 13.) Per meridiem paſſio ipſius Redemptoris exprimitur: quæ in meridie peragitur, quia per illam cunctis credentibus regni cœleſtis introitus panditur. *Filii Cynæi cum filiis Juda habitant*, cùm ſynagogæ filii in fine mundi converſi ſanctæ Eccleſiæ ſocietatem fide & dilectione unanimi inhabitant.

Judas cum Simeone fratre ſuo abit; B. cùm ordo SS. Martyrum, cum ordine ſanctorum Confeſſorum de terris ad cœleſtia contendit. *Simul Chananæum percutiunt*, cùm Sacramenta Chriſti æquali ſtudio Martyres & Confeſſores diſcutiunt. *Qui in Sephath habitat*, quæ *ſpecula* ſonat; quia Chriſtus vel ſanctam Eccleſiam, vel ſanctam ſcripturam inhabitat, de qua quaſi de ſpecula longè proſpicitur, ut vel ſancto Spiritui veritatis advenienti aditus cordis aperiatur, vel ſpiritus falſitatis, continentiæ & orationum telis procul arceatur. De qua ſpecula dicitur in Canticis: *Naſus* C. *tuus, ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* (Cant. VII. 4.) De qua item ſpecula dicit Habacuc Propheta: *Super ſpeculam meam ſtabo, ut audiam quid dicatur mihi.* (Habac. II. 1.) Judas & Simeon *Chananæum interficiunt*, cùm ſanctæ Eccleſiæ Doctores literam occidentem, Chriſti in ſe myſteria continentem, ſpiritualis intelligentiæ mucrone configunt. Sicut enim de corporibus interfectis profluere ſolet ſanguis: ſic de compuncta veteris teſtamenti litera, rubea ſpiritualis intelligentiæ evaporat unda. Proinde *nomen vobis Horma, id eſt anathema vocatur*, D. quod *ſeparatio* interpretatur, quia ſpiritus vivificans à litera occidente ſequeſtratur.

Judas Gazan cum finibus ſuis capit, quia ordo Prædicatorum primordium ſanctæ Eccleſiæ per gratiam ſancti Spiritûs prædicationi Evangelicæ ſubjicit. Gaza enim *ſortitudo* interpretatur, quo nomine perfectio primitivæ Eccleſiæ commendatur. *Cum finibus ſuis* Gaza capitur: quia primordium ſanctæ Eccleſiæ Martyrii palmâ decoratur. Judas *Aſcalonem capit*, dum ordo ſanctorum Docto-

Doctorum tempus illud, ſcilicet ſanctæ Eccleſiæ ſua prædicatione protegit, quò poſt tempora barbaricæ perſecutionis, furor hæreticæ pravitatis eam incendit. Aſchalon enim *appenſa*, vel *ignis infamis* dicitur; quia cùm hæreticæ pravitatis ignis exoritur, ſanctæ Eccleſiæ doctrina multipliciter in ſtatera catholicæ fidei & veritatis appenditur, ſicut Pſalmiſta loquitur: Pſalm. LXVII. 31. *Congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos, qui probati ſunt argento.* Hinc & Apoſtolus dicit: I. Cor. XI. 19. *Oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Aſchalon cum terminus ſuis capitur, quia tempus illud hæreticorum multo ſudore & labore ſanctorum Expoſitorum tranſigitur. *Judas Acharon capit*, cùm ordo ſanctorum Prædicatorum extremitatem ſanctæ Eccleſiæ in fine mundi non deſerit. Acharon enim *ſterilitas* vel *eruditio triſtitiæ* interpretatur: quia extremitas illa ſanctæ Eccleſiæ partim eorum ſterilitate prægravatur, in quibus refrigeſcente charitate abundantia iniquitatis exaggeratur: partim Synagogæ, vel omnium gentium converſione, jamjamque imminentis judicii timore fœcundatur. Acharon ergo cum terminis ſuis capitur, cùm extremum ſanctæ Eccleſiæ vel Synagogæ, vel omnium gentium converſione locupletatur.

Dominus cum Juda eſſe ſcribitur, quia Chriſtus Eccleſiæ ſuæ neque in finem ſæculi ſui miſericordiæ protectione auxiliatur, ſicut ipſe Diſcipulis ſuis reſurgens à mortuis pollicetur: *Ecce*, inquit, *ego vobiſcum ſum omnibus diebus,* Matth. XXVIII. 20. *uſque ad conſummationem ſæculi.* Judas *montana poſſidet*, cùm ſancta Eccleſia tam in Prælatis quàm in ſubditis continentiæ operam dantibus, & cœleſtia quærentibus eminet. *Habitatores vallis non poteſt delere:* quia amatores mundi vel carnis, vel eorum incentores malignos ſpiritus non poteſt in hac vita penitus exſtirpare. *Quia falcatis curribus abundant*, quia per concupiſcentiam carnis, per concupiſcentiam oculorũ & per ſuperbiam vitæ, quaſi falcatis curribus Evangelicæ doctrinæ telis repugnant. *Hebron Caleb datur*, quæ *conjugium* interpretatur: quia ſancta ſcriptura ordini Prædicatorum divinitùs datur; in qua veræ delectationis complexus peragitur, per quam æternæ viſionis lætitia repromittitur. *Sicut Moyſes dixerat*, quando terram lacte & melle manantem veris Iſraëlitis repromiſerat. *Caleb tres filios Enach ex ea delet*, cùm ordo ſanctorum Prædicatorum literam veteris teſtamenti per Spiritûs S. mundationem abolet, in qua allegoria, Moralitas, & Anagogen * redolet. (* Ita Cod.) *Enach* enim *monile collo ſublimi* dicitur, quò nomine allegoriarum, moralitatum, & Anagogen decor literæ veteris teſtamenti circumdatus exprimitur, quibus *tres filii Enach* denotantur. Quòd autem *deletur*, quaſi agitur, ne videatur. Sic litera veteris teſtamenti, cum per ſpiritum vivificatur, carnalis ejus intelligentia tota movetur.

Jebuſæum autem habitatorem Jeruſalem non deleverunt filii Benjamin, habitavitque Jebuſæus cum filiis Benjamin in Jeruſalem uſque in præſentem diem. Jebuſæus *præſepe meum* vel *calcatus* interpretatur, per quem neceſſaria carnis cura figuratur, qua ſublimis ardor perfectorum in hac vita calcatur, dum quam diu in hac carne corruptibili vivitur, neceſſe eſt, ut quaſi *præſepe* cibo ac potu venter farciatur. Proinde Jebuſæum habitatorem Jeruſalem filii Benjamin non poſſunt delere: quia electi, qui *dexteræ* erunt *filii*, quantalibet contemplationis inſtantia æternæ pacis fuerint viſioni infixi, neceſſariam carnis curam à ſe non poſſunt penitus removere. *Jebuſæus cum filiis Benjamin in Jeruſalem habitat*, quia corpus quod corrumpitur, animam aggravat. *Uſque in præſentem diem*, uſque in illum reſurrectionis diem, quem ſemper præ oculis oportet habere præſentem, quando corruptibile hoc induerit incorruptelam, & mortale hoc induerit immortalitatem. Sequitur.

Domus quoque Joſeph aſcendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis. ℣. XXII.

Nam cùm obſiderent urbem, quæ prius Luza vocabatur. ℣. XXIII.

Viderunt hominem egredientem de civitate: dixeruntque ℣. XXIV.

que

que ad eum : Oſtende nobis introitum civitatis, & faciemus tecum miſericordiam.

℣. XXV. *Qui cùm oſtendiſſet eis, percuſſerunt urbem in ore gladii: hominem autem illum, & omnem cognationem ejus dimiſerunt.*

℣. XXVI. *Qui dimiſſus abjit in terram Ethim, & ædificavit ibi civitatem, vocavítque eam Luzam, quæ ità appellatur uſque in præſentem diem.*

Sic & ſic loquitur puella de terra Iſraël captiva, quia aliis atque aliis modis Chriſti & Eccleſiæ myſteria ſancta canit ſcriptura. *Domus Joſeph in Bethel aſcendit;* cùm ordo Doctorum in meditatione cæleſtium ſe extendit. Joſeph enim *augmentum* interpretatur, & per domum Joſeph ordo ſanctorum Doctorum figuratur, per quem fidelium numerus in ſancta Eccleſia quotidie augmentatur. *Bethel domus Dei* dicitur, per quam cæleſtis illa Jeruſalem exprimitur, cujus atrium in præſenti Eccleſia per ſanctam ſcripturam extenditur, in qua ejus myſteria occultantur. *Dominus cum Domo Joſeph eſſe* deſcribitur, quia ſanctis Doctoribus in ſancta ſcriptura laborantibus cooperatur Chriſtus per gratiam S. Spiritus.

Urbs obſidetur, cùm ſolicita cogitationum, verborum & operum cuſtodia diſponitur: cùm continentiæ, orationi, & meditationi jugiter inſiſtitur, ut prævia ſancti Spiritûs gratia ſanctæ ſcripturæ munitio penetretur. *Quæ urbs priùs Luza vocabatur,* quod *amygdalum* interpretatur, cùm in litera veteris teſtamenti amygdalum illud occultabatur, quod de virga Jeſſe quandoque naſciturum ſperabatur. Unde Jacob dum fœtandis ovibus invigilat, virgas amygdalinas decorticat, quas oculis arjetum vel ovium exponat, ut ex earum aſpectu fœtus diſcolor prodeat. Jacob enim paſtores & Doctores Eccleſiæ deſignat, qui ſuæ prædicationis induſtriâ oves Chriſti multiplicare feſtinant. Qui

A. virgas amygdalinas tollunt, cùm veteris ac novi teſtamenti ſcripta ad utilitatem audientium per ſuæ prædicationis ſublimitatem ſuſtollunt. Quas ex parte decorticant & fœtandis ovibus repræſentant, ut fœtum multicolorem pariant, dum Chriſti ovibus innocentiæ & obedientiæ ſtudentibus partim ad literam, partim ad allegoriam, vel moralitatem ſanctam Scripturam proponunt: ut ejus conſideratione multiplicem virtutum decorem proferant.

Filii Joſeph *cùm urbem obſident, hominem de civitate egredientem vi-* B. *dent:* quia ſancti Doctores cùm meditationi continuæ ſtudent, in tota veteris teſtamenti litera, Chriſti eis myſteria reſplendent. Proinde ad eum *dicunt*, cùm ejus miſericordiam in ſancta Scriptura humiliter & ſuppliciter expetunt, *Oſtende nobis introitum civitatis,* tu, qui vera es ſapientia Dei Patris, qui aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit, per ſpiritûs tui gratiam aperi nobis ſanctæ Scripturæ januam. *Et faciemus tecum miſericordiam* per prædicationis noſtræ inſtantiam in tuis fidelibus reficiendo eſuriem & ſitim C. tuam.

Sic eis *introitum civitatis oſtendit*; *Pſalm.*
quia ſic homo ille, de quo dicit Pſal- *LXXXVI.*
miſta: *homo natus eſt in ea*, per ſuæ *5.*
humanitatis propitiationem, perque ſui ſanguinis effuſionem ſuis fidelibus in ſancta Scriptura ſalutaris ſcientiæ lumen oſtendit. Illi *urbem in ore gladii percutiunt*: quia ſancti Doctores per gratiam Chriſti conductu Spiritûs S. munitionem ſanctæ Scripturæ ſpiritalis intelligentiæ mucrone diſcutiunt. *Hominem autem illum & omnem cognationem ejus dimittunt:* dum Chriſtum verum Dei Filium, D. verúmque Virginis Filium ſuæ prædicationis auctoritate adſtruunt. Verbum enim iſtud *dimiſſionis* frequens eſt in ſcriptura veteris teſtamenti, habens teſtimonium divinitatis Chriſti & humanitatis. Unde in libro Joſue pleniùs diximus, ubi duos exploratores in fune coccineo per feneſtras ſubmiſſos expoſuimus. Omnis ergo cognatio hominis iſtius dimittitur, cùm vera divinitas & humanitas Chriſti veraciter creditur & exponitur. De qua cognatione Iſaias loquitur: *Gene-* *Iſa. LIII. 8*

rationem ejus quis enarrabit? Unde be- A. nè ſubditur.

Qui dimiſſus abiit in terram Ethim, & ædificavit ibi civitatem, vocavitque eam Luzam, quæ ita appellatur usque in præſentem diem. Homo qui dimittitur, in terram Ethim abiiſſe ſcribitur, quæ *timor* vel *ſtupor* dicitur; quia Chriſtus cùm verus Deus & homo creditur & prædicatur, timori & ſtupori ſuæ Eccleſiæ efficitur. *Timet* enim ejus, quaſi Creatoris poteſtatem: *ſtupet* ejus, quaſi Redemptoris benignitatem. De quo timore Pſalmiſta dicit: Pſal. XXVIII. 10. *Timor Domini ſan-* B. *ctus, permanens in ſæculum ſæculi.* Et item: Pſ. XXXII. 10. *Timete Dominum omnes Sancti ejus.* De quo etiam ſtupore Iſaias Propheta dicit, cùm ejus paſſionem, Reſurrectionem vel Aſcenſionem cœleſtes virtutes mirari deſcribit: Eſa. LXIII. 1. 2. *Quis eſt*, inquiunt, *iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ?* Ibi *Civitatem ædificat, eamque Luzam vocat:* quia Chriſtus in ſancta Eccleſia novi teſtamenti Scripturam dedicat: quia *Amygdalum*, vel *hic ipſe* C. nominat, quod Luza ſonat. Sancta enim Scriptura veteris ac novi teſtamenti eſt ille locus, de quo Angelus loquitur mulieribus: Marc. XVI. 6. *Ecce locus, ubi poſuerunt eum;* quia in ſcriptura veteris ac novi teſtamenti ſancti Prophetæ vel Apoſtoli conditores utriusque teſtamenti, quorum typum Joſeph & Nicodemus præferunt, Chriſtum Dominum repoſuerunt. Unde rectè hìc ſubditur: *Quæ ita usque in præſentem diem appellatur:* quia usque in illum æternitatis diem, quem ſemper præ oculis convenit habere præſentem, ſancta ſcriptura credentium oculis D. proponitur, in qua Chriſtus ſemper requiratur, & fideliter inveniatur. Sequitur.

✝. XXVII. *Manaſſes quoque non delevit Bethſan, & Thanac cum viculis ſuis, & habitatores Dor, & Jeblaam, & Mageddo cum viculis ſuis, cœpitque Chananæus habitare cum eis.*

Sicut divinæ adſcribi debet clementiæ, quòd fidelibus Sanctæ Eccleſiæ in veteris teſtamenti conſtructione oſtium patet ſpiritalis intelligentiæ: ita divinæ nihilominus adſcribendum eſt providentiæ, quòd populus Judaicus licèt carnali intellectui deditus, literas veteris teſtamenti illæſas & incorruptas Catholicæ conſervavit Eccleſiæ. Quæ nimirum divinæ miſericordiæ providentia hujus literæ denotatur conſequentia. *Manaſſes non delevit Bethſan & Thanac cum viculis ſuis.* Per Manaſſen qui *neceſſitas* vel *oblitus* interpretatur, pars illa populi hebraici figuratur, quæ in Ægypto duræ ſervitutis vinculis aſtringitur: ſed inde divinitùs eruta, quadraginta annis in deſerto commorans, & inde terram promiſſionis intrans, præteritæ captivitatis obliviſcitur. Hic ergo Manaſſes *Bethſan & Thanac cum viculis ſuis non delet*, cùm literas Geneſis vel Exodi æternæ patriæ gaudia latenter denunciantes, *cum viculis ſuis*, cum allegoriarum & moralitatum conſequentiis non abolet. Bethſan enim *domus dormientis*, vel *domus ſecuritatis* dicitur: quia qui in præſenti tentationibus non vincitur, æternæ pacis ſecuritate in cœleſti manſione perfruitur. Tanach *reſpondens* vel *humilitas* dicitur: quia ab electis omnibus in æterna patria gaudentibus Creatrici Trinitati perenne reſponſum gratiarum actionum in humilitate impenditur, cùm miſericordiæ ejus in æternum decantantur. De qua humilitate Ezechiel dicit, cùm animalia ante & retrò oculata deſcribit: *Cùm autem fieret vox ſuper firmamentum, ſtabant, & ſubmittebant alas ſuas.* Ezech. I. 25. Bethſan & Thanac *viculi* ſunt allegoriæ & moralitates, Geneſis, & Exodi. Sunt etiam infinita æternæ ſecuritatis & exultationis gaudia in eisdem literis Geneſis vel Exodi, recondita: *quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* Iſa. LXIV. 4.

Et habitatores Dor, Jeblaam, & Mageddo cum viculis ſuis. Dor, per quam liber Levitici exprimitur, *generatio* dicitur, quâ rurſus æternæ beatitudinis gloria repetitur: quia ſicut generatio generationi ſuccedit: ita in æterna gloria lætitiæ lætitia accedit. Unde Iſaias dicit: *Et erit menſis ex menſe, & Sabbatum ex Sabbato: Aſcendent ab anno in annum, ut adorent Regem Dominum exercituum.* Iſa. LXVI. 23. *Habitatores Dor*, ſunt Apices Levi-

Digitized by Google

Levitici figurativis ſacrificiis cœleſtium A. gaudiorum myſteria in ſe continentes. *Jeblaam*, per quam liber Numeri deſignatur, *abſorbet* interpretatur, per quam æternæ beatitudinis ſtatus iterum exprimitur, ubi corruptio incorruptione, & mortalitas immortalitate abſorbebitur. *Mageddo*, per quam Deuteronomium exprimitur, *poma* vel *cœnacula* dicitur, per quam odor indeficiens æternæ ſuavitatis innuitur, ſicut de pomis vel cœnaculis fragrantia odoris attrahitur. *Habitatores* ergo *Dor*, *& Jeblaam*, *& Mageddo cum viculis ſuis*, ſunt literæ libri Levitici, libri Numeri, libri Deu- B. teronomii, æternæ jucunditatis, incorruptionis, ſuavitatis myſteria redolentes, *cum viculis ſuis*, cum Allegoriis & moralitatibus ſibi connexis. Hos ergo habitatores Manaſſes non delet: quia populus ille de Ægypto egreſſus, vel terram repromiſſionis ingreſſus, licèt carnalitati deditus, apices, Geneſis, Exodi, Levitici, Deuteronomii, cœleſtium myſteriorum indices non abolet.

Cœpitque habitare Chananæus cum eis. Per Chananæum, qui *humilis*, vel *pauperculus* interpretatur, carnalis ille intellectus populi Judaici figuratur, qui C. cum eis in litera legis habitare incipit: quia animalis ille populus, ea, quæ ſunt Spiritûs Dei, non percipit. Benè etiam per Chananæum, qui *pauperculus* vel *humilis* interpretatur, ipſe Dominus Chriſtus in humilitate & paupertate aſſumptæ carnis quandoque venturus deſignatur: qui cum populo Judaico habitare incipit, quia apud eum in litera Moyſaicæ legis deliteſcit.

℣. XXVIII. *Poſtquam autem confortatus eſt Iſrael, fecit eos tributarios, & delere noluit.*

Iſrael confortatur, cùm populus hebraicus literæ legis carnaliter mancipatus, ad ſpiritalem intelligentiam per Sancti Spiritûs gratiam ſubvehitur. Proinde habitatores Bethſan, Thanac, Dor, & Jeblaam, & Mageddo *tributarios ſibi facit:* dum literas Geneſis, Exodi, Levitici, Numeri, & Deuteronomii ſpiritali intelligentiæ ſubjicit. Proinde *non vult eos delere*: quia legis apices cœleſtium myſteriorum bajulos non vult abolere. Sequitur.

Ephraim etiam non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, ſed habitavit cum eo. ℣. XXIX.

Per Ephraim, qui *frugifer* vel *creſcens* dicitur, populus ille exprimitur, qui cùm terram repromiſſionis victor ingreditur, multiplici prolis vel gloriæ ſucceſſione diſtenditur. Per *Gazer*, quæ *præciſio* vel *diviſio* interpretatur, Liber Joſue, vel Liber Judicum figuratur. In libro enim Joſue, Rachab Jerichontina Iſraeli ſociatur, de cujus poſteritate genealogia Redemptoris præciditur. In libro Numeri Benjamin ab univerſo Iſraele propter Gabonitas dividitur. Liber quoque Ruth illi adſcribitur, de cujus poſteritate ſimili modò Chriſti genealogia præciditur. *Ephraim* ergo *Chananæum, qui in Gazer habitat, non interficit:* quia populus ille, qui in terra repromiſſionis ſe extendit, literam libri Joſue, libri Judicum, libri quoque Ruth, Redemptoris myſteria in ſe continentem, non abjicit, *ſed cum eo habitat:* quia carnalis ille populus tanquam puer panibus hordeaceis onuſtus populo gentium ſcripta iſta conſervat. Sequitur.

Zabulon non interfecit habitatores Cetron, & Naalol, ſed habitavit Chananæus in medio ejus, factusque eſt ei tributarius. ℣. XXX.

Per *Zabulon*, quod *habitaculum fortitudinis* interpretatur, populus ille Iſraelis deſignatur, qui vel Judicum vel Regum prælatione confortatur. Per *Cetron*, quod *tenebræ eorum* vel *thymiama* dicitur, & per *Naalol*, quod *aſcenſio* vel *laus*, vel *hymnus* dicitur, li- D. ber Samuelis exprimitur, qui apud nos primus & ſecundus Regum dicitur, qui totus myſteriorum tenebris operitur, qui thymiama incarnationis & paſſionis Dominicæ redolet, qui laudem & hymnum reſurrectionis & aſcenſionis in ſe continet. *Zabulon* ergo *habitatores Cetron, & Naalol, non interficit:* quia populus ille Judices & Reges ſecutus literas libri Regum, Chriſti Myſteriorum bajulas non abjecit. *Chananæus in medio ejus habitat:* quia Chriſtus in agro libri Re-

Digitized by Google

gum latitat, qui juxta Joannis vocem *in medio* ſtat: *Ego*, inquit, *vos baptizo in aqua: medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Verè enim in medio ſtat, qui duos parietes circumciſionis & præputii in ſe angulari lapide conjunxit. Proinde *factus eſt ei tributarius*, qui in temporum plenitudine natus ex muliere, factus eſt ſub lege. *Non enim*, inquit, *veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Sequitur.

℣. XXXI. *Aſer quoque non delevit habitatores Accho, & Sidonis, Ahalab, & Achazib, & Helba, et Aphec, & Rohob.*

℣. XXXII. *Habitavitq́; in medio Chanæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum.*

Per *Aſer*, qui *beatus* interpretatur, ille populus Iſraelis figuratur, qui templi & Regni gloriâ ſublimatur. *Qui habitatores Accho, & Sidonis, Ahalab, & Achazib, & Helba, & Aphec, & Rohob non delet:* quia literas propheticas myſteriorum Chriſti bajolas non abolet. Per *Accho* enim, quæ *hamus* vel *humilitas ejus* interpretatur, Incarnatio Filii Dei figuratur, quâ ipſe in utero Virginis Matris carnem aſſumere dignatur: in qua hamus ille divinitatis occultatur, quo draco ille antiquus in cruce ſuffocatur. Per *Sidonem*, quæ *venatio* dicitur, Nativitas Chriſti exprimitur, per quam ipſe humani generis redemptionem venatur, dum in ſimilitudine carnis peccati apparens, tentari per omnia pro ſimilitudine abſque peccato non dedignatur. Per *Ahalab*, quæ *lac* vel *lactea* interpretatur, Baptiſmus Chriſti figuratur, quô ipſe prædicationis ſuæ doctrinam orditur, qua uti lactis alimoniâ humani generis ignorantia cibatur, & potatur. Per *Achazib*, quæ *mendacium* vel *ſtultitia* dicitur, paſſio Chriſti exprimitur: quia in ipſa paſſione ipſe falſorum teſtium mendaciô opprimitur, ſive ſpecialiter illorum duorum noviſſimè, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent, advenientium, ſive generaliter omnium

Johan. XVIII. 30. Pilato dicentium: *Niſi eſſet hic malefactor, non tradidiſſemus eum.* Rectè etiam ipſa ejus paſſio per ſtultitiam exA. primitur, ſicut Apoſtolus loquitur: *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* *1. Cor. I. 23.* Per *Helba*, quæ *laxitas* dicitur, Chriſti reſurrectio exprimitur, quâ ipſe ſolutis doloribus inferni, reſurgens à mortuis, ultrà jam non moritur, & mors illi ultrà non dominabitur. Per *Aphec*, quæ *libertas* dicitur, Aſcenſio Chriſti exprimitur, per quam Spiritus Sanctus de cœlis mittitur, quô vera libertas tribuitur, ſicut Apoſtolus loquitur: *Ubi ſpiritus Domini ibi libertas.* Per *Rohob*, quæ *plateæ* vel *latitudo* B. interpretatur, extremum judicium deſignatur, in quo quaſi plateis via bonorum malorúmque diſterminatur, quô latitudo cæleſtis Jeruſalem, electis ad dexteram poſitis manifeſtatur. Hos ergo habitatores Aſer non delet, cùm populus judaicus templi & Regni gloria inclytus, propheticos apices, tantorum myſteriorum indices, non abolet.

Habitat in medio Chananæi, replicans in Prophetis Sacramenta Chriſti, in obſcuris prophetiæ latibulis reconditi. *Habitatoris illius terræ*, quam leC. giſlator repromittit manantem lacte & melle. Nempe terra iſta à legislatore repromiſſa, eſt humanitas Chriſti ſanctiſſima melle divinitatis, & lacte humanitatis opulentiſſima. Proinde *Chananæum non interficit*, quia Chriſti in humilitate & paupertate venturi prophetiam non abjicit. Sequitur.

*Nephthalim non delevit habitatores Bethſames & Bethenath, & habitavit inter Chananæum habitatorem terræ, fu*D.*erúntque ei Bethſamitæ & Bethanitæ tributarii.* ℣. XXXIII.

Per *Nephthalim*, qui *implicuit me* interpretatur, populus ille Judaicus, qui in captivitatem Babylonicam tranſiit, figuratur; qui ſuorum meritô peccatorum captivitatis nexibus implicatur, vel per gratiam Dei ab exilio in patriam revocatur. Hic ergo populus *habitatores Bethſames & Bethenath non delet:* dum partim Prophetiam, partim agiographa ſuo tempore edita non abolet. *Bethſames* enim *domus ſolis* dicitur,

per

Digitized by Google

per quam prophetia exprimitur, quæ vero ſoli in mundum hunc venienti oppanditur. *Bethenath domus humilitatis*, vel *domus reſpondens* interpretatur, per quam hiſtoria libri Machabæorum, Judith, Eſther, vel Nemiæ figuratur, in quibus afflictio plebis hebraicæ velut *humilitas*, & repugnatio contra hoſtes velut *reſponſio* denotatur. *Nephthalim inter Chananæum habitatorem terræ habitat*: quia populus ille vel in captivitatem tranſiens, vel inde in patriam rediens, Chriſti in humanitate & paupertate venturo communicat, qui vel in agiagraphis inter B. ipſum habitat. Proinde *fiunt ei tributarii Bethſamitæ & Bethanitæ*, quia vel Prophetarum vel agiographorum literæ dant ei cenſum cognitionis divinæ. Sequitur:

℣. XXXIV *Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, ut ad planiora deſcenderent.*

℣. XXXV. *Habitavítq; in monte Hares, quod interpretatur teſtatio, in Aialon, & Salebim, & aggravata eſt manus domûs Joſeph, factusque eſt ei tributarius.*

℣. XXXVI *Fuit autem terminus Amorrhæi ab aſcenſu ſcorpionis, petra & ſuperiora loca.*

Amorrhæus *amaricans* interpretatur, per quem amara veteris teſtamenti litera figuratur. Per *filios Dan*, qui *Judicium*, vel *judicans* dicitur, populus Judaicus accipitur, qui dum Chri- D. ſtum injuſtè judicare non veretur, ipſe judicium condemnationis in eo ſortitur. *Amorrhæus filios Dan in monte arctat*: quia amara litera legis populum judaicum in obſervantia carnalium ceremoniarum coarctat, quam *mons* deſignat. Unde Abraham in monte filium immolat: quia Chriſtus in veteris teſtamenti conſtructione natus, novi teſtamenti cultum dedicat. Hinc eſt, quod filii

IV. Reg. II. 16. Prophetarum dicunt ad Heliſæum: *Ecce* A. *cum ſervis tuis quinquaginta viri fortes ſunt, qui poſſunt ire & quærere Dominum tuum, nè fortè tulerit eum ſpiritus Domini, & projecerit in unum montium, aut in unam vallium.* Cujus literæ ſenſum ſi quis requirit, in Expoſitione noſtra ſuper librum Regum ſuo in loco invenire poterit. Amorrhæus filiis Dan *locum non dat, ut ad planiora deſcendant*: quia amara litera legis populum judaicum vetat, nè de ſervitute carnis ad libertatem ſpiritûs tranſeat.

Amorrhæus in monte Hares habitat B. *quod teſtatio ſonat*: quia carnalis intelligentia totum vetus teſtamentum amaricat. *In Aialon & in Salebim habitat*; & amara litera veteris teſtamenti dulcem allegoriam, & Moralitatem inhabitat. Per *Aialon* enim, quæ *campus* dicitur, ſpecioſa allegoriæ amœnitas exprimitur. Per *Salebim*, quæ *ſalus cordium* interpretatur, gratia moralitatis figuratur, in qua vera ſalus cordium collocatur. Per *domum Joſeph*, qui *argumentum* interpretatur, ſicut jam ſæpius dictum eſt, ordo Doctorum figuratur. *Manus domûs Jo-* C. *ſeph aggravatur*, cùm per Spiritum S. ſcientia & intelligentia Doctorum in ſcriptura veteris teſtamenti ſublimatur. Proinde Amorrhæus domui Joſeph *fit tributarius*, dum literam occidentem ſubigunt per ſpiritum vivificantem.

Fuit autem terminus Amorrhæi ab aſcenſu ſcorpionis petra, & ſuperiora loca. Terminus Amorrhæi hic memoratur, per quem initium veteris teſtamenti denotatur. *Scorpionis aſcenſus*, eſt formatio Behemoth illius, de quo Job loquitur: *Ipſe eſt principium viarum Dei.* Ab hoc ergo *aſcenſu ſcorpio-* D. *nis petra, & ſuperiora loca* memorantur: cùm in principio Geneſis Deus cœlum & terram creâſſe deſcribitur. *Petra* in fundamento locata, eſt ipſa litera veteris teſtamenti, inexpugnabilis veritatis auctoritate roborata: *ſuperiora loca* ſunt allegoriarum & moralitatum inſignia, ipſi literæ, quaſi monilia ex auro & gemmis circumdata. Sequitur.

Cap. II.

Aſcenditque Angelus Domini ℣. I.

Digitized by Google

ni de Galgalis ad locum flenti- A. *um, & ait; Eduxi vos de Ægypto, et introduxi in terram, pro quo juravi Patribus veſtris, & pollicitus ſum, ut non facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum.*

Sancta Scriptura ideo capreæ aſſimilatur, quia huc illucque excurrendo evagatur: modò præterita, quaſi præſentia narrat: modò futura, quaſi præterita vel præſentia replicat. *Galgalis, volutabris* interpretatur, quo nomine vete- B. ris teſtamenti ſcripta figurantur, in quibus quaſi volutabris, carnalis ille Judæorum populus ſe reverſando ſordidatur. *Angelus Domini de Galgalis aſcendit;* dum ille magni Conſilii Angelus de illis & in illis veteris teſtamenti literis myſteria ſuæ Redemptionis oſtendit. *Ad locum flentium* aſcendit, dum in hanc convallem lachrymarum ſe quandoque venturum & mortis debitum pro humano genere ſoluturum, ſe in illis literis multiplici præfiguratione portendit. *Angelus Domini ait:* dum ille magni Conſilii An- C. gelus in plenitudine temporis homo factus, ſua Nativitate, Paſſione, ad inferos deſcenſione, humani generis prævaricationem plangit. *Eduxi*, inquit, *vos de Ægypto*, cùm vos plaſmavi de terræ limo. *Ægyptus* enim *tenebræ* dicitur, & homo cùm de limo terræ plaſmatus, ſpiraculo vitæ divinitùs animatur, quaſi de caligoſa hujus terræ habitatione ſequeſtratur. *In terram vos introduxi*, cùm in amœna paradiſi habitatione vos collocavi. *Pro qua juravi Patribus veſtris*,
Gen. II. 16. dicendo illis Protoplaſtis: *Ex omni ligno paradiſi comedite, de ligno autem ſcientiæ boni & mali comedere nolite.* D. Hæc enim mea conteſtatio fuit, quaſi quædam adjuratio, quam ſi firmiter cuſtodiſſent, à paradiſi gaudiis exules non fuiſſent. *Pollicitus ſum, ut non facerem irritum pactum meum vobiſcum uſque in ſempiternum;* dum Protoplaſto illi Adæ immittens ſomnum, oſtendi ei ſtatum futurorum. Propter quod ille expergefactus dixit, cùm coſtam ſibi detractam in mulierem formatam vidit:
Gen. II. 23 *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur Virago,* A. *quia de viro ſuo ſumpta eſt. Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Dum enim hæc ille Protoplaſtus expergefactus dixit, me Dei Filium, quandoque Virginis Filium, futurum prædixit.

Ita duntaxat, ut fœdus cum habitatoribus terræ hujus non feriretis. ℣. II.

Ut à malignis ſpiritibus, qui de ſuperioribus præcipitati, meritò ſuæ ſuperbiæ & perfidiæ in hoc caligoſo aëre ſunt B. relegati, per inſitam à me rationem vobis caveretis.

Ut aras eorum ſubverteretis.

Cùm eorum ſuperbiæ & vanæ gloriæ meæ ſubjecti obedientiæ non communicaretis.

Noluiſtis audire vocem meam,

Appetentes boni & mali ſcientiam, & per hoc infringentes præcepti mei obedientiam.

C. *Cur hoc feciſtis?*

Quòd me immortalem, immortalis Patris Filium, factum Virginis Matris Filium, mortis debitum pro vobis in cruce ſolvere coegiſtis? *Cur hoc feciſtis?* Quòd me qui vita ſum vivens ad inferos pro vobis deſcendere compuliſtis?

Quamobrem nolui eos à facie veſtra delere: ℣. III.

Quibus per inſitam à me rationem, & per collatam vobis arbitrii libertatem potuiſtis prævalere.

D. *Ut hoſtes habeatis:*

Quibus in ſuperbia & perfidia communicâſtis, dum eorum potius ſuaſioni, quàm meæ juſſioni obtemperâſtis.

Ut Dii eorum ſint vobis in ruinam,

Qui veſtris oculis, manibus & faucibus vetiti pomi ingeſſerint eſcam. Dii nempe iſti, fuerunt ſuperbia, vana gloria, avaritia, & gaſtrimargia, quarum fraudulentia humani generis primordio prævaluit inſipientia, per quam in orbem terrarum ſubintravit idolatria.

Cùm

℣.IV. *Cùm Angelus Domini verba hæc loquitur:*

Cùm ille magni Conſilii Angelus hujusmodi querimonias in lege & Prophetis proſequitur:

Omnes filii Iſrael vocem ſuam elevant, & plorant:

Quia omnes electi ab initio ſæculi primæ prævaricationis reatum ex intimo corde deplorant.

Elevaverunt vocem ſuam omnes in fletum: Quia ex intimis medullis omnes fideles Incarnationem unigeniti Redemptoris expoſtulant, quam fletus deſignat: B. ſicut ipſe per Pſalmiſtam clamat: *Potum meum cum fletu temperabam.*

℣.V. *Et vocatum eſt nomen loci illius locus flentium ſive lachrymarum: immolaveruntque ibi hoſtias Domino.*

Nomen loci illius flentium ſive lachrymarum vocatur: quia ipſa Incarnatio, & paſſio unigeniti Redemptoris cunctorum ab initio ſæculi electorum ſuſpiriis & lachrymis evocatur. Ibi *hoſtias* C. *Domino immolant*, quia in fide, ſpe, & dilectione venturi quandoque & paſſuri Redemptoris ſui, omnes juſti ab initio ſæculi hoſtias contritionis, hoſtias pietatis, hoſtias laudis ſuper aram crucis offerre non ceſſant. Sequitur.

℣.VI. *Dimiſit ergo Joſue populum, & abierunt filii Iſrael, unusquisque in tabernacula ſua, & in poſſeſſionem ſuam, ut obtinerent eam:*

℣.VII. *Servieruntque Domino cunctis diebus ejus, & ſeniorum qui longo poſt eum vixerunt tempore, & noverant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Iſrael.*

℣.VIII. *Mortuus eſt autem Joſue filius Nun famulus Domini centum & viginti annorum.*

℣.IX. *Et ſepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamath- A. ſare in monte Ephraim, à ſeptentrionali plaga montis Gaas.*

Omnisque illa generatio congregata eſt ad patres ſuos, et ſurrexerunt alii, qui non noverant Dominum, et opera, quæ fecerat cum Iſrael. ℣.X.

Joſue populum dimittit: quia Chriſtus ſua paſſione cunctis electis veræ remiſſionis gratiam per Spiritum S. tribuit. De qua dimiſſione Simeon dicit: *Nunc* Luc.II.29. *dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace.* Singulos *in poſſeſſionem ſuam:* quia annô Jubilæi rediet unusquisque in poſſeſſionem ſuam. Chriſti enim paſſio Jubilæi eſt præfiguratio, in qua vera peccatorum confertur remiſſio. *Unusquisque in tabernacula ſua abit*, de quibus ipſe Chriſtus in cœna diſcipulis ſuis dicit: *In domo Patris mei* Joh.XIV. 2. *manſiones multæ ſunt.* De quibus etiam tabernaculis Pſalmiſta dicit: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum,* Pſal. LXXXIII. 1. *concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.*

Iſrael Domino cunctis diebus Joſue C. *ſervit:* quia ſancta Eccleſia, vel quælibet fidelis anima æternæ viſioni intenta, in cunctis Sacramentis Chriſti Creatori fideliter ſervit, dum pro redemptione mundi die noctuque debitas ei gratiarum actiones rependit. *Et Seniorum qui longò poſt eum tempore vivunt*, quia Patriarcharum, & Prophetarum, & Apoſtolorum myſteria recolit in ſancta Scriptura, qui Chriſtum imitantes in hac vita, ipſum ſequuntur in immortalitatis gloria, viventes in ſæcula. *Qui omnia* D. *opera Domini noverant, quæ in Iſrael fecerat;* quia Spiritus Sanctus omnia redemptionis myſteria ipſis aperuerat, quæ filius Dei ab æterno diſpoſuerat.

Joſue moritur, cùm Chriſtus in cruce clamans voce magna emittit Spiritum. Qui *filius Nun* ſcribitur, quod *ſempiternum* dicitur: quia Chriſtus verus Dei Filius eſt, & eſſe creditur, ſicut centurio in paſſione loquitur: *Verè Filius Dei* Marc. XV. 39. *erat iſte.* Qui *ſervus Domini* dicitur, quia verus Virginis Filius in paſſione mortis oſtenditur, ſicut ipſe Matri de Joh. XIX. 26. cruce loquitur: *Mulier ecce Filius tuus.*

Digitized by Google

Qui *centum & viginti annorum* eſſe ſcri- A. bitur: quia Chriſtus ſuis electis & bonorum operum perfectio, quæ per *centenarium* numerum exprimitur, & remuneratio bonorum efficitur, quæ per *denarium* intelligitur, qui laborantibus in vinea tribuitur.

In finibus poſſeſſionis ſuæ eum ſepeliunt: quia Prophetæ & Apoſtoli conditores veteris ac novi teſtamenti, quorum typum Joſeph & Nicodemus gerunt, Chriſtum in ſancta Scriptura reponunt, quæ ejus poſſeſſio eſſe cognoſcitur, in cujus finibus ejus requies conſtituitur. Un-

Pſ. LXXV. 3. de Pſalmiſta loquitur: *In pace factus eſt* B. *locus ejus, & in Sion habitatio ejus. In Thamnathſare*, quæ *numerus novi operimenti* dicitur, per quam novum teſtamentum exprimitur, quod in numero vel menſura, vel pondere conſtituitur, dum per ejus inſtitutionem numerus cogitationum, menſura verborum, pondus operum ab electis appenditur. *Thamnathſare in monte Ephraim* ſita eſſe ſcribitur, qui *frugifer*, vel *creſcens* dicitur: quia doctrina novi teſtamenti fruges bonæ operationis, & incrementa æternæ retributionis lucratur. *A ſeptentrionali* C. *parte montis Gaas* locari dicitur: quia novum teſtamentum populo gentium tribuitur, qui per aquilonem exprimitur.

Omnis illa generatio, de qua dicitur

Pſ. XXIII. 6. in Pſalmo: *Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob, ad patres ſuos congregatur*, dum chorus Apoſtolicus cum ſuis ſequacibus ſanctis Martyribus, vel beatis Confeſſoribus, ſanctis Patriarchis & Prophetis in cœleſtibus aſſociatur. *Surgunt alii*, de quibus loquitur illud teſtimonium Pſal-

Pſ. XVII. 46. migraphi: *Filii alieni mentiti ſunt mihi, filii alieni inveterati ſunt, & claudicaverunt à ſemitis ſuis.* D *Qui Dominum non noverant*, quia in cognitione Dei caligant. *Et opera, quæ cum Iſrael fecerat*, qui cognitionem ſui habere renuunt, qui in delectatione peccati obſcuratum oculum cordis habere non metuunt. Sequitur:

℣. XI. *Fecerúntque filii Iſrael malum in conſpectu Domini, & ſervierunt Baalim.*

℣. XII. *Ac dimiſerunt Dominum Deum patrum ſuorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti, & ſecuti ſunt Deos alienos, Deosq́ populorum, qui habitabant in circuitu eorum, & adoraverunt eos, & ad iracundiam concitaverunt Dominum.*

Dimittentes eum, & ſervientes Baal & Aſtaroth ℣. XIII.

Iratúſque eſt Dominus contra Iſrael, & tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hoſtibus, qui habitabant per gyrum, nec potuerunt reſiſtere adverſariis ſuis. ℣. XIV.

Sed quocunque pergere voluiſſent, manus Domini erat ſuper eos, ſicut locutus eſt, & juravit eis, & vehementer afflicti ſunt. ℣. XV.

Filii Iſrael malum in conſpectu Domini faciunt, dum ſolo nomine Chriſtiani ſanctificatione Baptiſmi ad videndum Creatorem ſuum regenerati, delectatione peccati dorſum & non faciem ad Deum convertunt. *Baalim ſerviunt*, dum ſuperbiæ & vanæ gloriæ ſe ſubjiciunt. *Baalim* enim *ſuperiores* vel *aſcendentes* dicitur: quibus nominibus ſuperbiæ & vanæ gloriæ appetitus exprimitur.

Dominum Deum patrum ſuorum dimittunt, dum Creatoris & Liberatoris JEſu Chriſti timorem & amorem poſtponunt. *Qui eduxerat eos de terra Ægypti*, cùm eos in ſanctificatione Baptiſmi ſolvit ab ignorantia Dei & ſui. *Deos alienos ſequuntur*, qui deceptoribus ſuis ſpiritibus malignis ſubſequuntur. *Dii populorum* ſunt principalia vitia ſpirituum malignorum. *Qui in circuitu eorum habitant*, quia ſpiritalia nequitiæ in iſto caligoſo aëre circumvolant. *Eos adorant*, qui vitiis principalibus cervicem cordis inclinant. *Ad iracundiam Dominum concitant*, qui reverentiam illi debitam denegant.

Eum dimittunt, qui timorem & amorem

Digitized by Google

rem ejus poſtponunt. *Baal & Aſtaroth ſerviunt*, qui vetuſtatem carnalitatis excolunt, & creaturæ potius quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula, deſerviunt. *Baal* enim *vetuſtas* dicitur, per quam carnalitas exprimitur: *Aſtaroth factura* interpretatur, per quam idolatria figuratur.

Dominus contra Iſrael iraſcitur, cùm ſuorum prævaricationem præceptorum in falſis cultoribus Chriſtianæ profeſſionis ulciſcitur. *Tradit eos in manus diripientium*, contemptores eloquiorum cœleſtium dans in reprobum ſenſum, & in direptionem vitiorum malignantium. *Capiunt eos* conſenſu & delectatione peccati, *vendunt hoſtibus*, malignis ſpiritibus indefeſsâ perſeverantiâ delicti. *Qui per gyrum habitant*, quia *in circuitu impii ambulant*. Qui per gyrum habitant, quia in iſto aëre diſcurrentes circumvolant. *Non poſſunt adverſariis ſuis reſiſtere*, qui liberatoris JEſu Chriſti gratiam nolunt recognoſcere.

Quocunque pergere volunt, qui divinorum mandatorum curam habere nolunt. *Manus Domini eſt ſuper eos*, qui *pluit ſuper peccatores laqueos. Sicut locutus eſt, & juravit eis*, dicendo per
Deut. XXVIII. 15. 16. 17. os legislatoris: *Quòd ſi nolueris audire vocem Domini Dei tui, ut cuſtodias omnia mandata ejus, & ceremonias, quas ego tibi præcipio hodie, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus ventris tui, & maledictus fructus terræ tuæ.* In civitate enim maledicitur, qui meritò infidelitatis, vel prævaricationis ſuæ à ſanctæ Matris, vel ſupernæ Jeruſalem, vel præſentis Eccleſiæ communione ſecernitur. In agro maledicitur, qui meritò ſuæ perfidiæ redemptione crucis proſcribitur. Quòd enim per agrum crucis beneficium
Gen. XXIV. 63. deſignetur, Iſaac proteſtatur, qui *inclinatâ jam die ad meditandum in agro egreſſus* fuiſſe deſcribitur. Chriſtus enim Dominus, qui per *Iſaac* exprimitur, qui *riſus* vel *gaudium* dicitur, ad meditandum in agro inclinatâ jam die egreditur, dum in veſpera mundi per ſuæ paſſionis exercitium, ſuorum electorum ſalvationem meditatur. Unde etiam Rebecca, A. quæ *patientia* interpretatur, per quam ſancta Eccleſia figuratur, ait ad puerum, vel ad Paulum ſpecialem Doctorem ſuum, vel ad generalem ordinem ſanctorum
Prædicatorum: *Quis eſt ille homo, qui fecit lutum ex ſputo, qui linivit oculos meos, & modò video? Qui venit per agrum nobis in occurſum*, qui per ſuæ paſſionis exercitium, ſpei & pœnitentiæ nobis offert remedium? Horreum ejus maledicitur, qui totô cordis deſideriô mundi avaritiam ſequitur, qui cum divite illo in Evangelio loquitur: *Deſtruam horrea mea, & majora ædificabo.* B. Reliquiæ ejus maledicuntur, cujus extrema in cogitationibus, verbis, & operibus æternæ maledictionis ſententiâ feriuntur. Qui enim concupiſcentiam carnis, & concupiſcentiam oculorum & ſuperbiam vitæ toto corde ſequitur, ejus extremum æternæ gehennæ incendio addicitur, ſicut Salomon loquitur: *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudia luctus occupat.* Fructus ventris ejus maledicitur, qui tota intentionis ſuæ meditatione terrenis curis & carnalibus deſideriis involvitur. De quo ventre Jeremias quæritur: *Ventrem meum doleo.* Fructus terræ ejus maledicitur, qui dum totus carnalitati obſequitur, ſpinis & tribulis luxuriæ & immunditiæ amaricatur.

Joh. IX. Luc. XII. 18. Prov. XIV. 13. Jerem. IV. 19.

Unde rectè hìc ſubditur, quia *filii Iſrael vehementer affliguntur:* quia qui baptiſmi ſanctificationem obliviſcuntur divini judicii diſtrictione, vel malignis ſpiritibus, vel vitiis carnalibus terribiliter exponuntur. Sequitur:

Suſcitavítque Dominus Judices, qui liberarent eos devaſtantium manibus, ſed nec illos audire voluerunt: ℣. XVI.

Fornicantes cum Diis alienis, & adorantes eos. Citò deſeruerunt viam, per quam ingreſſi fuerant patres eorum, & audientes mandata Domini omnia fecerunt contraria. ℣. XVII.

Cumque Dominus ſuſcitaret Judices, in diebus eorum flectebatur miſericordia, et audiebat ℣. XVIII *affli-*

affliƈtorum gemitus, et liberavit eos de cæde vaſtantium.

℣.XIX. *Poſtquam autem mortuus eſſet Judex, revertebantur, & multò majora faciebant, quàm fecerant patres eorum ſequentes Deos alienos & ſervientes eis & adorantes illos. Non dimiſerunt adinventiones ſuas & viam duriſſimam, per quam ambulare conſueverant.*

℣.XX. *Iratúsque eſt furor Domini in Iſrael, & ait: quia irritum fecit gens iſta paƈtum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire contempſit:*

℣.XXI. *Et ego non delebo gentes, quas dimiſit Joſue, & mortuus eſt:*

℣.XXII. *Ut in ipſis experiar, utrum cuſtodiant viam Domini, et ambulent in ea, ſicut cuſtodierunt patres eorum, an non.*

℣.XXIII. *Dimiſit ergo Dominus has nationes, & citò ſubvertere noluit, nec tradidit in manus Joſue.*

Dominus judices ſuſcitat, cùm Deus omnipotens per fidem ſpem & dileƈtionem, compunƈtionem & pœnitentiam peccatoribus inſpirat. *Qui eos de vaſtantium manibus liberent*: qui peccatores à malignis ſpiritibus & vitiis perſequentibus eripiant. *Sed nec illos audire volunt*, qui maliciæ & nequiciæ ſuæ D. appetitum mutare nolunt.

Cum diis alienis fornicantes à veri Dei timore & amore ſe alienantes. *Et eos adorantes*, malignis ſpiritibus in conſenſu & deleƈtatione peccati famulantes. *Citò viam deſerunt*, qui anguſtam viam, quæ ducit ad vitam, derelinquunt. *Per quam patres eorum ingreſſi fuerant*, quando primi illi parentes ſolius boni ſcientiam habentes cognitione mali in paradiſo carebant. *Audientes Domini mandata, omnia faci-* A. *unt contraria*, qui inſtruƈti lege divina committunt illicita.

Cumque Dominus Judices ſuſcitat, cùm ſpiritu compunƈtionis & pœnitentiæ corda peccatorum illuminat. *In diebus illorum miſericordia fleƈtitur*, quia in veræ pœnitentiæ illuminatione peccati culpa remittitur. *Audit affliƈtorum gemitus*: quia miſericors Deus non ſpernit pœnitentium fletus. *De cæde vaſtantium eos liberat*, quos à vitiis irruentibus, vel à malignis ſpiritibus erutos per Spiritûs S. gratiam libertate donat. *Ubi enim ſpiritus Domini, ibi libertas.* II.Cor.III. 17.

B. *Poſtquam Judex moritur*, cùm pœnitentia à ſecreto cordis repellitur, filii Iſraël *revertuntur*: quia interiores & exteriores ſenſus in volutabro peccati reverſantur. *Multò majora faciunt quàm patres eorum fecerant*, qui originalibus peccatis aƈtualia peccata quotidie accumulare non ceſſant. *Sequentes Deos alienos* in admiſſione ſuggeſtionis: *Servientes eis* in conſenſu deleƈtationis: *adorantes illos* in perſeverantia iniquitatis. *Non dimittunt adinventiones ſuas*, qui voluntati creatoris ſui præponunt voluntates ſuas. *Et viam duriſſimam,* C. *per quam ambulare conſueverant*, qui lene jugum, & ſuave onus Chriſti Redemptoris reprobant.

Proinde *furor Domini in Iſraël iraſcitur*, cùm Deus omnipotens per ſubjeƈtam creaturam in peccatoribus ulciſcitur, ſicut liber ſapientiæ loquitur: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos.* Sap.V. 21. *Quia* inquit, *irritum fecit gens iſta paƈtum meum*, à me ſibi præordinatum, æternæ beatitudinis contemnens beneficium: *Quod cum patribus eorum pepigeram*, cùm primis illis parentibus in paradiſo, arborem indi- D. cem boni & mali interdixeram. Qui *vocem meam audire contempſit*, cùm voci ſerpentis ſeduƈtoris in guſtu vetiti ligni obtemperavit.

Ego, qui do unicuique ſecundùm opera ſua, *gentes non delebo:* quia violentiam peccati & mortis virtute ſpiritûs mei non cohibebo. *Quas dimiſit Joſue, & mortuus eſt:* quia pro reatu primæ prævaricationis Chriſtus ſuſcepit ſententiam mortis.

Ut in ipſis Iſraël *experiar*, ut per judicium mortis cunƈtarum animarum juſtus

Digitized by Google

juſtus judex efficiar. *Utrum viam Dei* A. *cuſtodiant, & in ea ambulent*, ſi propoſitum baptiſmi homo ſervaverit, ſi in innocentia & æquitate coram me ambulaverit. *Sicut patres eorum cuſtodierunt*, quando in paradiſo nuditatem ſuam non erubuerunt. *An non*, ſcilicet in ſolo nomine Chriſtianæ fidei profeſſionem tenuerint, opera autem fidei non habuerint.

Dominus omnes has nationes dimittit, cùm Deus judicium & pœnam mortis ab humano genere non tollit. *Non vult eas citò ſubvertere*, cùm auctorem B. peccati & mortis ante conſtitutum diem judicii ſuæ potentiæ manu non vult poſternere. *Non eas in manus Joſue tradit*, cùm per Chriſti redemptionem mortem corporis humano generi non ſubtrahit. Sequitur:

Cap. III.

℣. I. *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Iſraelem, & omnes, qui non noverant bella Chananæorum.*

℣. II. *Ut poſtea diſcerent filii eorum* C. *certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi.*

℣. III. *Quinque Satrapas Philiſtinorum, omnémque Chananæum, & Sidonium, atque Hevæum, qui habitabat in monte Libano, de monte Baal Hermon usque ad introitum Emath.*

℣. IV. *Dimiſitq; eos, ut in ipſis experiretur Iſraelem, utrum audirent mandata Domini, quæ* D. *præceperat patribus eorum per manum Moyſi, an non.*

℣. V. *Itaq; filii Iſrael habitaverunt in medio Chananai, & Hethai, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevai, & Jebuſai.*

℣. VI. *Et duxerunt uxores filias earum, ipſique filias ſuas eorum filiis tradiderunt, & ſervierunt diis eorum.*

Fecerúntque malum in conſpectu Domini, & obliti ſunt Dei ſui, ſervientes Baalim & Aſtaroth. ℣. VII.

Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, quia mortis conditionem, quæ per peccati prævaricationem intravit, humano generi Deus non abſtulit. *Ut in eis Iſraëlem experiretur*, ut per timorem mortis electos ſuos conſtringeret. *Omnes qui bella Chananæorum non moverunt:* quia primordium illud humani generis ante reatum prævaricationis experimentum tentationis non habuerat.

Ut poſtea filii eorum diſcerent, ut electi de radice peccatrice generati, ex aculeis tentationum carnalium cognitionem peccati habere inciperent. *Cum hoſtibus certare & conſuetudinem præliandi habere:* ſcientes ſe non aliter evadere, niſi indefeſſis hoſtibus armis non carnalibus ſed ſpiritualibus indefeſsô ſtudiô laborant repugnare.

Quinque ſatrapæ Philiſtinorum, ſunt quinque principalia vitia ſpirituum malignorum. Philiſtim enim *ruina duplex*, vel *potione cadentes* interpretantur, quo nomine maligni ſpiritus deſignantur, qui *ruinam duplicem* animæ & corporis operantur: ſed *potione* verbi Dei expunguntur. Quinque enim ſatrapæ Philiſtinorum ſunt quinque Principes ſpiritualium nequitiarum: ſuperbia, vana gloria, Philargyria, Gaſtrimargia, invidia, per quam mors introivit in orbem terrarum. Per *omnem Chananæum*, qui *motus eorum* interpretatur, ira figuratur. Per *Sidonium*, qui *venator* dicitur, triſtitia exprimitur, quæ venatione mortis hominem inſequitur. Per *Hevæum*, qui *ferus* vel *lapides colligens* interpretatur, acedia figuratur, quâ homo feritate belluina amaricatur, & collectione inutilium cogitationum, verborum, & operum prægravatur. *Qui in monte Libano habitant*, quod *candidatio* ſonat, quia octo principalia vitia, vitam per pœnitentiæ emundationem candidatam, ſuis tentationibus aggravare non ceſſant. *De monte Baal Hermon*, qui *vetuſtatis ſeparatio* interpretatur, quô faſtigium perfectionis deſignatur; per quam ve-

 tuſtas

tuſtas carnalitatis ab anima ſequeſtratur. *Uſque ad introitum Emath*, qui *auditio* dicitur, cùm auditui gaudium & lætitia infunditur, ubi à Chriſto Judice electis dicitur: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum.* Matth. XXV. 34.

Hos ergo ſatrapas Deus *dimittit*, cùm Chriſtus octo vitiis principalibus tentandi facultatem promittit. *Ut in ipſis Iſraelem experiatur*, ut tentationibus probatus fidelis quis inveniatur. Qui enim probatus non eſt, qualia ſcit? *Utrum mandata Domini audiant*, quæ omnia in dilectione Dei & proximi conſtant. *Quæ patribus eorum per manum Moyſi præceperat*, cùm ipſi in monte Synai duas tabulas digito Dei ſcriptas tradidit. *An non*: ſcilicet ſi tentationibus victi, cedant ab amore Dei & proximi.

Filii Iſraël in medio Chananai & Ethai, & Amorrhai, & Hevai, & Pherezai & Jebuſai habitant, cùm fidei profeſſionem tenentes in hac vita, in medio vitiorum, velut in medio laqueorum titubant. Per *Chananaum*, qui *negotiator* dicitur, philargia exprimitur, quæ diverſis negotiationibus terrenorum lucrorum diſtenditur. Per *Ethaum*, qui *formidans* interpretatur, inutilis timor figuratur, qui de inutili triſtitia generatur. Per *Amorrhaum*, qui *amaricans* dicitur, ira exprimitur, quæ amaritudine indignationis afficitur. Per *Pherezaum*, qui *ſeparans* interpretatur, vana gloria deſignatur, de qua diſcordia & novitatum præſumptio generatur. Per *Hevaum*, qui *ferus* dicitur, acedia, ſicut dictum eſt, exprimitur. Per *Jebuſaum*, qui *calcatus* interpretatur, gaſtrimargia figuratur. In quorum *medio filii Iſrael habitant*, quia ſolo nomine fidei profeſſionem tenentes horum vitiorum laquei ſtrangulant.

Filias eorum uxores ducunt, cùm eorum delectationibus ſenſus carnis ſuæ proſtituunt. Ipſi *filias ſuas eorum filiis tradunt*, cùm ſuam carnalitatem eorum præceptis ſubjiciunt. *Diis eorum ſerviunt*, cùm malignis ſpiritibus eorundem vitiorum incentoribus ſe ſubmittunt.

Malum in conſpectu Domini faciunt, cùm ſui Creatoris omnia videntis oculos ſuis malis jugiter offendere non metuunt.

A. *Dei ſui obliviſcuntur*, dum Chriſto JEſu ingrati efficiuntur. *Baalim & Aſtaroth ſerviunt*, cùm ſuperbiam & idolatriam excolunt. Sequitur:

Iratúſque Dominus contra ℣. VIII.
Iſrael, tradidit eos in manus Cu-
ſan Raphathaim Regis Meſo-* *vulg. Raſathaim.
potamiæ, ſervierúntque ei octo
annis.

Et clamaverunt ad Domi- ℣. IX.
num: qui ſuſcitavit eis Salva-
torem, Othoniel videlicet filium
B. *Cenez, fratrem Caleph mi-*
norem.

Fuítque in eo ſpiritus Domi- ℣. X.
ni, & judicavit Iſrael. Egreſ-
ſúſque eſt ad pugnam, & tra-
didit Dominus in manus ejus
Chuſan Raphataim regem Syriæ,
& oppreſſit eum.

Quievitq; terra quadragin- ℣. XI.
ta annis. Et mortuus eſt Otho-
niel filius Cenez.

C. *Dominus contra Iſrael iraſcitur*, cùm in ſcienter & voluntariè peccantibus ſui nominis contemptum graviter ulciſcitur. *In manus Cuſan Raphathaim eos tradit*, cùm ignorantiæ & impietatis cæcitate eos percutit. *Cuſan* enim *Æthiopia eorum* dicitur: quô nomine ignorantia Dei & ſui exprimitur. *Raphathaim, impietas eorum* interpretatur, qua homo à timore Dei & amore alienatur. Cuſan Raſathaim *Rex Meſopotamiæ* ſcribitur, quæ *elevata* dicitur, quia ignorantiæ & impietati ſuperbia dominatur. *Octo annis* D. *ei ſerviunt*, quia principalia vitia de Matre ſuperbia prodeunt.

Ad Dominum clamant, qui malorum ſuorum culpas per pœnitentiam deplorant. *Dominus eis Salvatorem ſuſcitat*, qui eos liberat, quia verè pœnitentibus indulgentiæ remedium Salvator demonſtrat. *Othoniel filius Cenez frater Caleb minor* eſſe deſcribitur, per quem populus Dei ab hoſte eripitur. Othoniel *tempus ejus Dei*, vel *reſponſio Dei* dicitur, per quem Ordo Doctorum novi teſtamenti exprimitur, cujus *tempus Dei*

eſſe

eſſe dicitur, cùm ipſe Dei reſponſio effi- A. citur. Othoniel *filius Cenez* ſcribitur, qui *zelotypus* vel *ſeſſio ejus* dicitur: quia ordo ſanctorum Doctorum ſpiritu zelotypiæ concitatur, dum adulterum ſponſæ cubiculum ingredi dedignatur. Qui *ſeſſio ejus* dicitur, quia per humilitatem & manſuetudinem Spiritum Sanctum ſeſſorem habere meretur. Othoniel *frater Caleb minor* ſcribitur, per quem Ordo Doctorum extremi temporis exprimitur, qui ſanctis Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus per Chriſti gratiam ſubſtituitur, eorúmque tam vitæ, quàm ſcien- B. tiæ meritò hæreditatem cœlitùs aſſequitur.

Spiritus Domini in eo eſſe ſcribitur: quia per Spiritum Sanctum vita & ſcientia fidelium Doctorum inſtituitur. Proinde *Iſrael judicat*, quia ſpiritalis omnia dijudicat. *Othoniel ad pugnam egreditur*, dum Doctor fidelis & eruditus contra ſpiritalia nequitiæ milites Chriſti continentiæ, orationis & meditationis telis dimicare cohortatur. *Dominus in manu ejus Chuſan Raphataim regem Syriæ tradit, & eum opprimit*, quia ignorantiam & impietatem, nec non & ſuperbiam eis C. dominantem eruditionis ſuæ mucrone fidelis doctor proſternit & extinguit.

Proinde *terra quadraginta annis quieſcit:* quia in obſervantia Evangelii & Decalogi, quæ pro omni eminentia ponitur veteris ac novi teſtamenti, Eccleſia vel quælibet fidelis anima ab incurſu inimici & peccati requieſcit. Quadragenarius enim numerus ex quatuor & decem multiplicatur: & per quatuor Evangelium, per denarium Decalogus figuratur: qui numerus pro tota veteris ac novi teſtamenti eminentia computatur. *Othoniel filius Cenez moritur*, cùm fidelis D. Doctor Eccleſiæ de hac luce ſubtrahitur.

℣.XII. *Addiderunt autem filii Iſrael facere malum in conſpectu Domini. Qui confortavit adverſum eos Eglon Regem Moab, quia fecerunt malum in conſpectu ejus.*

℣.XIII. *Et copulavit ei filios Ammon & Amalec: abiitque & percuſſit Iſrael, atque poſſedit Urbem palmarum.*

℣.XIV. *Servieruntq́ filii Iſrael Eglon Regi Moab decem et octo annis.*

℣.XV. *Et poſtea clamaverunt ad Dominum: qui ſuſcitavit eis Salvatorem vocabulo Aboth, filium Gera, filii Gemini, qui utraq́ manu utebatur pro dextera: miſeruntq́ filii Iſrael per illum munera Eglon Regi Moab.*

℣.XVI. *Qui fecit ſibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus eſt eo ſubter ſagum in dextro femore.*

℣.XVII. *Obtulitq́ munera Eglon regi Moab. Erat autem Eglon craſſus nimis.*

Addunt filii Iſrael facere malum in conſpectu Domini, dum profeſſionem habentes fidei, in conſpectu Creatoris Dei, non verentur adjicere iniquitatem iniquitati. *Qui adverſùm eos Eglon Regem Moab confortat:* dum juſtus Judex ſcienter & voluntariè peccantes miſeræ carnalitati condemnat. *Quia malum in conſpectu ejus faciunt*, qui ipſum videntem omnia ſuis iniquitatibus offendere non metuunt. *Eglon* enim *vacca eorum* interpretatur, per quæ carnalitas figuratur, qua uti vacca vituli ſalientes, interiores & exteriores ſenſus laſcivientes lactantur. *Eglon Rex Moab* ſcribitur, qui *ex patre* dicitur, quia qui carnalitati obſequitur, illius filius efficitur, de quo Salvator in Evangelio Judeis loquitur: *Vos ex patre diabolo eſtis.* Joh. VIII. 44.

Filii Ammon, qui *onerantes* dicuntur, & *Amalec*, qui *populus lingens* interpretatur, *Eglon copulantur:* quia peccati delectationes ſpiritum onerantes, & inſtar ſerpentis pulverem carnis lingentes, carnalitati aſſociantur. *Abit* carnalitas in peccati ſuggeſtione, *& percutit Iſrael*, interiores & exteriores ſenſus in peccati delectatione, *atque poſſidet Urbem palmarum* in peccati conſummatione. *Urbs palmarum* Jericho vocatur, quæ *luna* interpretatur, per quam inſta-

inſtabilis anima figuratur, cui carnalitas dominatur.

Filii Iſrael Eglon Regi Moab decem & octo annis ſerviunt, cùm interiores & exteriores ſenſus carnalitati dediti ab amore Dei & proximi langueſcunt. Decem enim & octo anni, quibus deſunt duo de viginti, imperfectionem deſignant amoris gemini. Unde in Evangelio legitur, quòd mulier *decem & octo annis* incurvata infirmatur, quæ Salvatoris ope ad ſoſpitatem revocatur: quia anima illa in terrenis concupiſcentiis languet, quæ duplicem ſpiritum veræ charitatis non habet.

Filii Iſrael *ad Dominum clamant*: cùm interiores & exteriores ſenſus de profundo iniquitatis miſericordiam Dei liberatoris implorant. *Qui eis Salvatorem vocabulo Ahod ſuſcitat*, qui *inclytus* ſonat, dum per liberatorem ſpiritum, hominis ſpiritum à ſomno peccati exſuſcitat, quem per amorem qui otioſus eſſe neſcit, virtutibus inclytum reddit. Ahod *filius Gera* ſcribitur, qui *ruminatio* dicitur; quia vigiliarum, orationum, & meditationum ruminatione Spiritus nutritur. Gera *filius Gemini* ſcribitur, qui *dextera mea* dicitur: quia illius ſpiritus ruminatione paſcitur, qui dexterâ Dei confortatus, in virtutibus erigitur. Ahod *utraque manu pro dextera utitur*, dum Spiritus verbi ruminatione nutritus, & dexterâ Dei confortatus, contemplativæ vel activæ vitæ viciſſitudine virtutibus æqualiter fruitur. *Utraque manu pro dextera utitur*, dum nec proſperitate erigitur, nec adverſitate dejicitur. *Utraque manu pro dextera utitur*, dum æquali ſtudiô creatori ſuo obſequitur, ſive proſperis efferatur, ſive adverſis atteratur. *Filii Iſrael per illum munera Eglon Regi Moab mittunt*, dum interiores & exteriores ſenſus per Spiritum continentiæ, orationis & meditationis remedia exquirunt, quæ carnalitati valde amareſcunt.

Ahod *gladium ancipitem ſibi facit*, dum Spiritus verbo Dei jugiter intendit. De quo gladio ancipiti Apoſtolus dicit: *Vivus eſt ſermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.* (Hebr. IV. 12.) Hinc etiam Pſalmiſta dicit: *Exultationes DEI in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum.* (Pſ. CXLIX 6.) Idcirco autem ſermo Dei gladio ancipiti comparatur: quia veteris ac novi teſtamenti auctoritate exacuitur. Qui gladius *habet in medio capulum*, quia ſermo Dei in Chriſto habet intellectum, *qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* (Apoc. III. 7.) Per *medium* enim Chriſtus intelligitur, ſicut de eo Joannes in Evangelio Judæis loquitur: *Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* (Joh. I. 26.) Ipſe enim tenet medium, qui facit utraque unum: qui terrena cœleſtibus jungit, qui inter ſpiritum & carnem veræ pacis pactum componit. Gladius *longitudinis manus palmæ* eſſe deſcribitur, per quod longanimitas, victoria, & remuneratio exprimitur: quæ omnia per verbum Dei homo aſſequitur. De hac longitudine Apoſtolus Jacobus in Epiſtola ſua loquitur: *Exemplum accipite fratres laboris & patientiæ prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini.* (Jac. V. 10.) De hac item longitudine Salomon dicit: *Doctrina viri per patientiam noſcitur.* Rectè autem longitudo gladii *palma* eſſe dicitur, quia per patientiam homo victoriam conſequitur, ſicut Salomon loquitur: *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium.* (Prov. XVI. 32.) Per *manum* remuneratio æternæ vitæ accipitur; quia quod manu includitur, pro certo tenetur: ſic æternæ beatitudinis merces ſecurè poſſidetur.

Benè quoque in *longitudine* auctoritas veteris ac novi teſtamenti exprimitur, quæ ſuæ veritatis firmitate usque in finem extenditur, ſicut ipſe Chriſtus in Evangelio loquitur: *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* (Matth. XXIV. 35.) Per *palmam* Allegoriæ varietas intelligitur, quæ per picturam palmæ exprimitur: per *manum* autem complexio moralitatis figuratur.

Alio quoque modo per *gladium ancipitem*, Crux Chriſti figuratur: quæ idcirco gladio ancipiti comparatur, quia dum in eâ auctor vitæ Chriſtus moritur, mortis auctor diabolus confligitur. Qui nimirum gladius mirabilis ſanctæ Crucis habet *in medio capulum*, dum per ejus Myſterium Angelorum & electorum hominum fit commercium, quia per ipſam conjunctione factâ inter cœleſtia & terreſtria

Digitized by Google

ſtria, du m per ipſam electi de terris ad A. cœlos aſce ndendo transmigrant, Angeli ſuos cho ros in cœlis impleri exultant. Qui gladius mirabilis ſanctæ crucis *longitudinem palmæ manus* habet: quia electorum patientia per palmam mortificationis gratuitæ, æternæ remunerationis ſecuritatem quandoque poſſidet.

Aod eô ſubter ſagum in dextro femore accingitur, dum Spiritus, qui per *Aod* intelligitur, quique carne tegitur, quæ per *ſagum* exprimitur, verbô DEI in delectatione æternorum præcingitur, quæ per *dextrum femur* innuitur. Quia enim in femore eſt carnis propagatio, B. rectè per femur ſpiritalium bonorum intelligitur delectatio, quæ eſt cœleſtium contemplatio.

Sic *Aod*, *Eglon Regi Moab offert munera:* quia Spiritus præcinctus verbi Dei machera miſeræ carnalitati ingerit purgationis pocula, quæ ſunt continentiæ, orationis & meditationis fercula. *Eglon craſſus nimis* memoratur: quia carnalitas cibis & potibus & ſomnô oblectatur, quibus caro impinguata incraſſatur. De qua craſſitudine Legislator in Cantico ſuo loquitur: *Incraſſatus eſt dilectus & recalcitravit, incraſſatus, impinguatus* C. *dilatatus.* Deut. XXXII. 15.

℣. XVIII. *Cumque obtuliſſet ei munera, proſecutus eſt ſocios, qui cum eo venerant.*

℣. XIX. *Et reverſus de Galgalis, ubi erant idola, dixit ad Regem: Verbum ſecretum habeo ad te ô Rex. Et ille imperavit ſilentium: egreſſisque omnibus, qui circa eum erant,*

℣. XX. *Ingreſſus eſt Ahoth ad eum.* D. *Sedebat autem in æſtivo cœnaculo ſolus. Dixitq́: verbum Dei habeo ad te. Qui ſtatim ſurrexit de throno.*

℣. XXI. *Extenditq́ Ahoth manum ſiniſtram, & tulit ſicam de dextro femore ſuo, infixitque eam in ventrem ejus,*

℣. XXII. *Tam validè, ut capulus ferrum ſequeretur in vulnere, ac pinguiſſimo adipe ſtringeretur: nec eduxit gladium, ſed ita ut percuſſerat, reliquit in corpore, ſtatimq́ per ſecreta naturæ alvi ſtercora proruperunt.*

Ahoth autem clauſis diligentiſſimè oſtiis cœnaculi & obfirmatis ſera, ℣. XXIII.

Per poſticum egreſſus eſt. Servique regis ingreſſi viderunt clauſas fores cœnaculi atque dixerunt: forſitan purgat alvum in æſtivo cœnaculo. ℣. XXIV.

Expectantesq́ diu, donec erubeſcerent, et videntes, quòd nullus aperiret, tulerunt clavem, & aperientes invenerunt Dominum ſuum jacentem mortuum in terra. ℣. XXV.

Poſtquam Aod Eglon offert munera, ſcilicet poſtquam ſpiritus carnalitati obtendit continentiæ, Orationis & Meditationis impendia: *Socios, qui ſecum venerant, proſequitur*, dum vel Angelicis Spiritibus bona quæque cœleſtia ſibi ſuggerentibus obtemperando obſequitur, vel virtutibus ſecum comitantibus ſuo conamine adſtipulatur.

Galgalis revertitur, quod *volutabris* dicitur; quia de illo *volutabro* inutilium cogitationum, verborum vel operum ad cordis ſui penetralia convertitur, ſicut Propheta loquitur: *Redite prævaricatores ad cor. Ubi erant idola*, quia in volutabris diſſolutionis & negligentiæ diverſarum culparum verſantur phantaſmata. Proinde *dicit ad Regem*, dum per occultam compunctionem impetit carnalitatem. *Verbum ſecretum ad te ô Rex habeo:* quia divini timoris occultum ſtimulum tibi ô carnalitas ingero. *Ille ſilentium imperat*, quia divini timoris ictum carnalitas reformidat.

Omnes, qui circa eum ſunt, egrediuntur, quia vel maligni ſpiritus, vel vitiorum exercitus carnalitati conjuncti divini timoris fulmine propelluntur.

Aod ad eum ingreditur, dum Spiritus carnalitatem in ipſis interioribus cordis inſequitur. *Sedet ſolus in æſtivo cœnaculo*, dum carnalitas exteriorum ſenſuum deſtituta præſidiô, latet adhuc in cordis cubiculo deſideriorum flammis ſuccenſo. Proinde *Aod dicit:* dum Spiritus eam apertô continentiæ bellô impetit. *Verbum*, inquit, *Dei ad te habeo*, quia vera Dei dilectione te impeto. *Qui ſtatim de throno ſurgit*, quia divini timoris & amoris impulſu ſedem iniquitatis carnalitas deſerit.

Aod ſiniſtram manum extendit, dum Spiritus activæ vitæ laboribus, jejuniis & vigiliis fortiter inſiſtit. *Sic eam de dextero femore tollit*, cùm verbum Dei de æternorum delectatione & à cœleſtium contemplatione extrahit. *In ventrem ejus eam infigit*, dum memoriam carnalitatis divini verbi ruminatione transfigit. Quòd enim per *ventrem* memoria deſi-
Jerem. IV. 19. gnetur, Jeremias proteſtatur: *Ventrem*, inquit, *meum doleo, ventrem meum doleo.*

Capulus ferrum in vulnere ſequitur: quia divini verbi intellectus ferrum timoris in vulnere amoris ſubſequitur. De quo vulnere amoris ſponſus ſponſæ loquitur
Cant. IV. 9. in Canticis: *Vulneraſti cor meum ſponſa, vulneraſti cor meum. Capulus pinguiſſimo adipe ſtringitur:* quia ſacræ ſcripturæ intellectus carnalitatis pinguedine retunditur. Unde eſt illa Græca ſententia: *Pinguis venter non gignit ſenſum tenuem. Gladius non educitur, ſed in corpore relinquitur:* dum verbum Dei carnalitati non ſubducitur, ſed continuæ Meditationis uſu ei fortiter infigitur. *Statim per ſecreta naturæ alvi ſtercora prorumpunt:* quia per ſecretum confeſſionis peccata prodeunt, quæ quaſi *ſtercora* fœtentia in conſcientia deliteſcunt. Idcirco autem ſecretum confeſſionis, ſecretis naturæ comparatur: quia ſicut ſecreta naturæ decore veſtium conteguntur, ita ſecretum Confeſſionis honore ſilentii undique circumdatur & protegitur.
I. Cor. XII. 23. Unde Apoſtolus loquitur: *Quæ inhoneſta ſunt noſtra, his honorem abundantiorem circumdamus; honeſta autem noſtra nullius egent.*

Aod diligentiſſimè oſtia cœnaculi claudit, dum ſpiritus ſolicitâ cuſtodiâ
A. exteriores ſenſus munit, quibus ad cordis penetralia introitus patere conſuevit. Unde Salomon dicit: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit. Serâ ea obſirmat*, dum divini timoris & amoris inſtantiâ ſenſus carnis obdurat.

Sic ipſe *per poſticum egreditur*, quia ſic ipſe ſpiritus obſirmatis carnis ſenſibus per occultas rimas contemplationis ad cœleſtia evehitur. *Servi Regis ingrediuntur*, dum vel maligni Spiritus, vel vitiorum phantaſmata, quæ carnalitati obſequuntur, ad interiora cordis irrum-
B. pere conantur. *Vident clauſas fores cœnaculi*, quia ſentiunt ſibi ſenſus exteriores præcludi, quibus ad cordis penetralia ſolebant ingredi. *Dicunt*, cùm inſcii cogitationum, per motus exterioris hominis, ſtatum interioris conjiciendo diſcutere contendunt: *forſitan inquiunt purgat alvum in æſtivo cubiculo*, ſcilicet carnalitas memoriam ſuam exonerat in æſtuanti cordis ſecreto.

Diu expectant: quia vel maligni Spiritus, vel vitiorum formæ apertionem
C. cordis inſtanter deſiderant. *Donec erubeſcant*, quia confuſio vitiorum eſt palma virtutum. *Vident, quòd nullus aperiat:* quia dolent, quòd exteriorum ſenſuum conſenſus ſibi non pateat. Proinde *clavim tollunt, & aperiunt*, quia per occultæ ſuggeſtionis violentiam ſtatum cordis explorare contendunt. *Inveniunt Dominum ſuum jacentem mortuum in terra*, dum à Spiritu tenente loca ſuperiora conſpiciunt Dominum ſuam carnalitatem conculcari quaſi ſtercus in platea. Mortua enim jacet, quæ in ſenſibus carnis Spiritui ſubjacentibus
D. nihil jam prævalet. Sequitur:

Aod autem, dum illi turba- ℣. XXVI.
rentur effugit, & pertranſiit locum idolorum, unde reverſus fuerat, venitque in Seirath.

Et ſtatim inſonuit buccina ℣. XXVII.
in monte Ephraim, deſcenderúntque cum eo filii Iſrael, ipſo in fronte gradiente.

Qui

Digitized by Google

℣. XXVIII. *Qui dixit ad eos: Sequimini me. Tradidit enim Dominus inimicos noſtros Moabitas in manus noſtras. Deſcenderúntque poſt eum, et occupaverunt vada Jordanis, quæ transmittunt in Moab, & non dimiſerunt quenquam tranſire.*

℣. XXIX. *Sed percuſſerunt Moabitas in tempore illo circiter decem millia omnes robuſtos et fortes viros. Nullus eorum evadere potuit.*

℣. XXX. *Humiliatusq; eſt Moab die illo ſub manu Iſrael, & quievit terra octoginta annis.*

℣. XXXI. *Poſt hunc fuit Samgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſtijm ſexcentos viros vomere, & ipſe quoque defendit Iſrael.*

Ahod, dum ſervi turbantur, effugit; quia dum vitia per continentiam exturbantur, ſpiritus muſcipulas carnalitatis evadit. *Locum idolorum tranſit*: quia cordis ſecreta verbô Dei perſtringit, ubi regnabat avaritia, quæ ab Apoſtolo vocatur idolatria. *Unde reverſus fuerat*, quia in cordis ſecreto, ubi à Deo fit averſio, ibi etiam ad Deum fit reverſio. *Venit in Seirath*, quæ *capra* dicitur, per quam excelſum contemplationis exprimitur: quia capra in paſtu ad ardua nititur.

Statim buccina in monte Ephraim inſonat, dum in ſublimi profectu virtutum, quem *mons Ephraim* denotat, laudis præconium Deo decantat, quam *buccina* deſignat. Unde Pſalmiſta dicit:
Pſ. LXXX. 4. *Buccinate in Neomenia tuba, in inſigni die ſolennitatis veſtræ. Filii Iſrael cum eo deſcendunt*, dum interiores & exteriores ſenſus de ſublimi contemplationis in activæ vitæ exercitiis ſe extendunt. *Ipſo in fronte gradiente*, ſpiritu cunctis ſenſibus hominis vitæ præcepta præſcribente.

Qui dicit ad eos, quæ retrò ſunt oblitos & in anteriora ſemper extentos. *Me* A. *ſequimini*, Creatorem veſtrum ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute complectimini. *Me ſequimini*, omni ſtudiô cœleſtia meditamini, loquimini, & operamini. *Tradidit enim Dominus inimicos noſtros Moabitas in manus noſtras*, quia carnalitatis acies nos tribulantes (*Moab* enim *tribulatio* dicitur) ſubjecit ſub pedibus noſtris Spiritûs S. Majeſtas, in quo eſt vera libertas. *Filii Iſrael poſt eum deſcendunt*, quia ſenſus interiores & exteriores Spiritui obtemperantes, de contemplativa vita ad activam ſe extendunt. *Vada Jordanis occupant*, B. dum carnis curam neceſſariam in deſideriis facere ſolicitè devitant. *Jordanis* enim *deſcenſio eorum* dicitur: quô nomine neceſſaria carnis condeſcenſio exprimitur. *Vada Jordanis in Moab transmittunt*, quia occaſiones neceſſitatis corporeæ ſuperfluitatem carnalitatis homini latenter ingerunt. Proinde filii Iſrael *quemquam tranſire non dimittunt*, dum ſenſus interiores & exteriores ſpiritui obtemperantes modum neceſſitatis corporeæ in cibo, potu, ſomno, veſtitu, cæteriſque rebus non excedunt.

C. *Moabitas percutiunt*, quia carnalitatis miſerias verbi Dei mucrone transfigunt. *In tempore illo*, quô æternæ vitæ homini ingeritur recordatio. Unde quotidie in celebratione Miſſæ lectioni ſanctiEvangelii verbum iſtud præponitur, quod & in hoc loco Sancti Spiritûs diſpenſatione ponitur: *in illo tempore*, ut per hoc quotidie moneamur, illô ſolicitè intendere, quò poſt hanc vitam nos oporteat pervenire. Filii Iſrael percutiunt Moabitas *circiter decem millia*, quæ ſunt vitiorum omnium examina, ſenſi- D. bus interioribus & exterioribus adverſantia. *Omnes robuſtos & fortes viros, robuſtos* in ſpiritualibus, *fortes* in carnalibus. Nullus eorum poteſt evadere, quia nec ſpiritalia, nec carnalia vitia verbo Dei poſſunt reſiſtere.

Moab die illo ſub manu Iſrael humiliatur, cùm in die perfectionis, qui poſt diem converſionis diem ſequitur probationis, caro ſpiritui ſubjugatur. *Terra octoginta annis quieſcit*, cùm in octo beatitudinibus Evangelii, & in conſervatione Decalogi, quibus ſumma conficitur octogenarii numeri, fidelis anima ab incurſu inimici & peccati requieſcit.

Digitized by Google

Poſt hunc fuit Samgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſtijm ſexcentos viros vomere, & ipſe quoque defendit Iſrael. *Samgar advena* vel *colonus ibi* interpretatur, per quem Chriſtus Dominus figuratur. De quo Jeremias in ſua Prophe-
Jerem. XIV. 8. tia lamentatur: *Quare quaſi colonus futurus es ſuper terram, & quaſi viator declinans ad manendum?* Qui *filius Anath* ſcribitur, qui *reſponſio* dicitur, quia per miſericordiam ſummi Patris ipſe in hunc mundum dirigitur, dum omnium ab initio ſæculi Sanctorum & juſtorum deſiderio & petitioni per ipſum reſpondetur. Qui *de Philiſthijm ſexcentos viros vomere percutit*, dum eos, quos in ſexta mundi ætate de gentibus otioſos in foro ſtantes invenit, prædicatione Evangelii ſubegit. Sicut enim vomere terra ſulcatur: ſic prædicatione Evangelii dura gentium corda ad pœnitentiam ſcinduntur. Philiſthijm *potione cadentes* interpretantur, quô nomine gentes figurantur, quæ potione verbi Dei à ſua infidelitate mortificantur. *Ipſe quoque Iſrael defendit*, qui ſuas in cruce manus pro omnibus ſuis electis ad æternam ſui creatoris viſionem prædeſtinatis extendit. Sequitur

Cap. IV.

℣.I. *Addideruntq; filii Iſrael facere malum in conſpectu Domini poſt mortem Aod.*

℣.II. *Et tradidit illos Dominus in manus Jabin Regis Chanaan, qui regnavit in Aſor: habuitq; ducem exercitûs ſui nomine Siſaram, ipſe autem habitabat in Haroſeth gentium.*

℣.III. *Clamaveruntq; filii Iſrael ad Dominum. Nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppreſſerat eos.*

℣.IV. *Erat autem Debora Prophetes, uxor Laphidoth, quæ judicabat populum in illo tempore.*

℣.V. *Et ſedebat ſub palma, quæ* A. *nomine illius vocabatur inter Rama & Bethel in monte Ephraim, adſcendebantq; ad eam filii Iſrael in omne judicium.*

Quæ miſit, & vocavit Barach filium Abinoëm de Cedes Nephtali, dixitq; ad eum: præcepit tibi Dominus Deus Iſrael: vade & deduc exercitum in montem Thabor, tolleſq; tecum decem millia pugnatorum de filiis B. *Nephtalim & de filiis Zabulon.* ℣.VI.

Ego autem adducam ad te in loco torrentis Ciſon, Siſaram Principem exercitus Jabin, & currus ejus, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua. ℣.VII.

Dixitq; ad eam Barac: ſi venis mecum, vadam, ſi nolueris venire mecum, non pergam. ℣.VIII.

Quæ dixit ad eum: ibo qui- ℣.IX.
C. *dem tecum, ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara.*

Aod moritur, cùm ſpiritus carnis ſenſibus obruitur. *Addunt filii Iſrael facere malum in conſpectu Domini*, dum profeſſionem habentes fidei, adjiciunt iniquitatem iniquitati in conſpectu Creatoris Dei.

Dominus illos in manu Jabim tradit, cùm eos, quos ab amore ſuo excludit, prudentiæ carnis deſerit. De qua Apoſtolus ait: *Prudentia carnis inimica eſt* Rom. VIII 6.
D. *Deo.* *Jabin* enim *intelligens* vel *ſapiens* dicitur, quo nomine carnis prudentia exprimitur. Jabin *Rex Chanaan* eſſe memoratur, qui *negotiator* vel *humilis* interpretatur: quia prudentia carnis in terrenis lucris negotiatur, & ſuperna deſerens in infimis humiliatur, ſicut Iſaias loquitur: *Humiliaberis, de terra loqueris.* Iſa. XXIX 4.
Qui *in Aſer regnat*, quæ *iniquitas* ſonat: quia ibi abundat iniquitas, ubi refrigeſcit charitas. Habet Jabin *Ducem exercitûs ſui Siſaram nomine*, qui *ex-*

cluſio

Digitized by Google

cluſio gaudii dicitur, per quem diabolus A. exprimitur, qui ibi exercitui cogitationum, verborum, & operum principatur, ubi prudentia carnis ſenſibus interioribus & exterioribus dominatur. Sicut enim à Spiritu S. gaudium tribuitur, de quo Apoſtolus loquitur: ita verum gaudium ibi tollitur, ubi prudentia carnis præſidente, nunc inutili lætitiâ, nunc lethali triſtitiâ mens confunditur. *Ipſe autem in Haroſeth gentium habitat*, quæ *vindemiator ſufficiens* ſonat: quia ibi in curſu vitiorum ùti gentium anima devindemiatur, ubi prudentiæ carnis obtemperatur. De qua vindemiatione Pſal- B. miſta loquitur: *Exterminavit eam aper de Sylva, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* (Pſal. LXXIX. 14.) Hinc etiam ſponſa in Canticis dicit: (Cant. II. 15) *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.*

Filii Iſrael ad Dominum clamant, cùm ſenſus interiores & exteriores contra carnis prudentiam Creatoris Dei miſericordiam implorant. *Nongentos enim falcatos currus habet*, quia prudentia carnis octo principalibus vitiis præſidet, quibus quaſi falcatis curribus ſenſus opprimit, dum quaſi ferrô præduratis peccati conſuetudinibus eos at- C. terit. Per *viginti annos vehementer eos opprimit*, dum ſenſus interiores & exteriores geminæ dilectionis, vel activæ & contemplativæ vitæ, exteriores reddit.

Debbora *Apis* vel *loquax* dicitur, per quam ſancta Scriptura accipitur, quæ inſtar apis de diverſis floribus ſuavitatem nectaris congerit, cùm de diverſis ſententiis dulcedinem divini verbi conficit. Cui etiam benè loquacitatis nomen congruit, quia nimirum ipſa eſt, quæ ad multiplicem laudem ſui creatoris hominem in terris inſtruit. Debbora *Prophetes* ſcribitur, quia ſancta Scriptura de fu- D. turis vel gaudiis vel ſuppliciis vaticinatur. *Uxor Lapidoth* eſſe memoratur, qui *lampas* vel *os cultri* interpretatur, per quem Ordo Doctorum figuratur, qui inſtar lampadis omnibus, qui in Domo Dei ſunt, lumen intelligentiæ miniſtrat, & quaſi ore cultri eloquentiâ oris ſui ſpiritum vivificantem à litera occidente diſſecat. Cui nimirum Debbora in matrimonio ſociatur, quia per ſanctam Scripturam ordo Doctorum multiplici prole fidelium fœcundatur.

Quæ *populum* cogitationum, verborum & operum *in illo tempore judicat*, cùm homo totam ſuæ mentis intentionem ad æterna ſublevat. Quæ *ſub palma ſedet*, quia ſancta Scriptura ſub crucis myſterio ſe confovet: quia dum in ea Salvator ſuſpenditur, ſanctæ Scripturæ intelligentia mundo expanditur. De qua palma ipſe in Canticis loquitur, qui in ea pro mundi redemptione moritur: *Dixi, aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* (Cant. VII. 8.) *Quæ illius nomine vocatur*, qui in ea pro mundi vita immolatur, quia crux Chriſti per orbem terrarum nominatur. Debbora *inter Rama & Bethel ſedet*, quia ſancta Scriptura Synagogam fidelem, & Eccleſiam de gentibus continet. *Rama* enim *excelſa* dicitur, per quam Synagoga Prophetis & Patriarchis ſublimis exprimitur: *Bethel Domus Dei* interpretatur, per quam ſancta Eccleſia figuratur, in qua vera Dei habitatio collocatur. *In monte Ephraim*, qui *frugifer* vel *creſcens* dicitur, quò novi teſtamenti cultus frugibus virtutum exuberans exprimitur, cui & ſynagoga fidelis & Eccleſia de gentibus pari fide & dilectione obſequuntur. *Filii Iſrael in omne judicium ad eam aſcendunt*, quia electi viſioni Dei Creatoris ſui intenti, diſcretionem boni malive à ſancta Scriptura requirunt.

Mittit ſancta Scriptura per Dei cognitionem: *& vocat* per ſui cognitionem *Barac filium Abinoëm.* Per *Barac*, qui *fulgurans* interpretatur, timor Dei figuratur. Cui rectè fulguris nomen congruit: quia ſicut Salomon dicit: *Timor Dei peccatum expellit.* Barac *filius Abinoëm* ſcribitur, qui *patris mei decor* dicitur: quia *qui* Deum *Patrem* perfectè timendo *veneratur*, ſicut Salomon teſtatur, *in filiis jucundatur:* (Eccli. III. 6.) id eſt in profectibus diverſarum virtutum gratulatur. Barac *de Cedes Nephthalim* eſſe ſcribitur: quia perfectus timor Dei de ſanctificatione veræ charitatis oritur. *Cedes* enim *ſanctificatio*, *Nephthalim latitudo* interpretatur, qua charitas figuratur, ſicut Pſalmiſta teſtatur: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* (Pſal. CXVIII. 32.) Debbora Barac compellat: quia ſancta Scriptura timorem Dei exſuſcitat. *Dominus Deus Iſrael præcepit tibi:* quia *initium ſapientiæ timor*

mor Domini. Vade per activam vitam: A.
& deduc per contemplativam, *exercitum* virtutum *in montem Thabor*, qui *veniens lumen* interpretatur, per quem ſupernæ gratiæ illuminatio deſignatur. *Tolles tecum decem millia pugnatorum*, quæ ſunt figura ſenſuum interiorum & exteriorum. *De filiis Nephthalim*, per quos contemplativæ vitæ fructus exprimitur; *& de filiis Zabulon*, quibus activæ vitæ labores figurantur. Quia Zabulon *habitaculum fortitudinis* interpretatur.

Ego autem, quæ doceo judicium & juſtitiam, *adducam ad te* inimicum B.
meum *in loco torrentis Ciſon Siſaram. Ciſon impegerunt*, ſive *duritia eorum*, ſive *lætitia* interpretatur: & per *torrentem Ciſon* amor mundi figuratur; qui dum in concupiſcentia carnis, vel oculorum vel ſuperbia vitæ oblectatur, ab amore Dei cor obduratum alienatur. *In loco torrentis Ciſon Siſara à Debbora adducitur*, quia in concupiſcentia carnis, vel oculorum, vel ſuperbia vitæ diabolus à ſancta Scriptura proditur, quòd vel per inutilem lætitiam, vel per cordis duritiam dominetur. *Currus Siſaræ addu-* C.
cuntur, cùm principalia vitia per ſanctam Scripturam exprimuntur. *Omnis multitudo ejus adducitur*, cùm omnis vitiorum ſoboles in Scriptura depingitur. *In manus*, inquit, *tuas eas tradam*, quia per activam & contemplativam vitam vitia omnia tibi ſubjiciam.

Dicit Barac Debboræ: quia timor Dei reſpondet ſanctæ Scripturæ. *Si venis mecum, vadam*, quia tuo comitatu proficiam. *Si nolueris venire, non pergam*, quia te abſente deficiam.

Dicit Barac Debbora, cùm ſancta Scriptura ſuo alumno oſtendit futura. D.
Tecum quidem ibo, quia in initio converſionis, vel in medio probationis conductum tibi dabo. *Sed in hac vice tibi victoria non reputabitur*, cùm in faſtigio perfectionis per ſuccedentem tibi dilectionem Dei omnis nequitia diaboli & peccati expugnabitur. *Quia in manu mulieris tradetur Siſara*, quia in dilectione Dei perfecta omnis diabolicæ pravitatis contereretur machina. Sequitur:

Surrexit itaq; Debbora, &
perrexit cum Barac in Cedes.

Qui accitis Zabulon & ỳ. X.
Nephthalim aſcendit cum decem
millibus pugnatorum, habens
Debboram in comitatu ſuo.

Haber autem Cinæus receſſe- ỳ. XI.
rat quondam à cæteris Cinæis
fratribus ſuis filiis Hobab, cogna-
ti Moyſi: & tetenderat taber-
nacula uſq; ad vallem, quæ vo-
catur Sennim, & erat juxta
Cedes.

Nuntiatúmque eſt Siſaræ, ỳ. XII.
quòd aſcendiſſet Barac filius Abi-
noëm in montem Thabor.

Et congregavit nongentos ỳ. XIII.
falcatos currus, et omnem exer-
citum de Haroſeth gentium ad
torrentem Ciſon.

Dixitq; Debbora ad Barac: ỳ. XIV.
ſurge, hæc eſt enim dies, in qua
tradidit Dominus Siſaram in
manus tuas: en ipſe ductor eſt
tuus. Deſcendit itaque Barac
de monte Thabor, & decem mil-
lia pugnatorum cum eo.

Perterruítque Dominus Si- ỳ. XV.
ſaram, & omnes currus ejus,
univerſamque multitudinem, in
ore gladii, ad conſpectum Barac:
in tantum ut Siſara de curru de-
ſiliens pedibus fugeret.

Et Barac perſequeretur fu- ỳ. XVI.
gientes currus & exercitum uſ-
que ad Haroſeth gentium, &
omnis hoſtium multitudo uſque
ad internecionem caderet.

Debbora ſurgit, & cum Barac in Cedes pergit, cùm ſanctæ Scripturæ intelligentia ſe exerit, & in ſanctificatione vitæ cum timore Dei ſe extendit. *Barac Zabulon & Nephthalim aſciſcit*, cùm timor Dei activam & contemplativam vitam ſibi in adjutorium contrahit. *Aſcendit cum decem millibus pugnatorum* paratam

ratam habens obtemperantem ſibi om- A. nem militiam ſenſuum interiorum & exteriorum. *Habens in comitatu ſuo Debboram*, quia timor Dei comitem ſemper habet ſanctam Scripturam.

Per *Haber*, qui *luctus* vel *committens* dicitur; per *Cinæum* qui *poſſeſſor* interpretatur, protoplaſtus ille figuratur, qui dum poſſeſſor paradiſi conſtituitur, & cùm antiquo ſerpente congreditur, victus ab eo omni ſuæ poſteritati luctui magno efficitur. *Qui quondam à Cinæis fratribus ſuis receſſerat*, quando à ſuis conſortibus, angelicis illis Spiritibus, B. cœli poſſeſſoribus, per inobedientiam creatoris Dei ſe diviſerat. Cinæi *filii Hobab* eſſe ſcribuntur, qui *dilectio* dicitur: quia ſancti Angeli filii Dei computantur, & Deus ipſe charitas eſſe memoratur. Hobab *cognatus Moyſi* eſſe ſcribitur: quia Dei filius per ſuſceptionem carnis cognatus Moyſi efficitur. Haber autem Cinæus à fratribus ſuis recedens, *tabernacula ſua extendit*, quia Adam à ſocietate Angelorum diſcedens ad hujus vitæ inſtabilitatem decurrit, quam tabernaculum exprimit. *Usque ad vallem, quæ Sennim vocatur*, quod *coccinum* C. interpretatur, quo nomine peccatum figuratur, ſicut Deus per Iſaiam proteſtatur: *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi lana alba erunt.* Tabernaculum ergo usque ad vallem Sennim tenditur, cùm in hac convalle lachrymarum inſtabilitas vitæ usque ad peccati ſordìdationem protenditur. *Sennim juxta Cedes* eſſe ſcribitur, quæ *mutata* dicitur: quia per hoc primus parens ille peccati ſordibus inficitur, quod à ſtatu æternitatis & incommutabilitatis, ad miſeriam mutabilitatis per inobedientiam devolvitur. D.

Siſaræ nunciatur: quia maligno hoſti à ſubjectis ſibi nequitiis ſpiritalibus intimatur. *Quod Barac filius Abinoem in montem Thabor aſcenderit*, ſcilicet quòd timor Dei ad deſuper venientem divinæ gratiæ reſpectum ſe in virtutibus extendere cœperit.

Proinde *nongentos falcatos currus omnémque exercitum de Haroſeth gentium congregat*, cùm diabolus vitia principalia cum omni ſua familia ad expugnationem divini timoris exſuſcitat. *Ad torrentem Ciſon* eos congregat, dum vel inutili lætitiâ cor exagitat, vel lethali duritiâ obfirmat.

Debbora ad Barac dicit, cùm ſancta Scriptura timorem Dei ad pugnam producit. *Surge*, dicendo: *exurge, quare obdormis Domine? Hæc eſt dies viſitationis*, quæ ab altiſſimo emittitur: quia nemo niſi qui legitimè certaverit, coronabitur. *In qua Dominus Siſaram in manus tuas tradidit*, quia per activam & contemplativam vitam victoria tibi de hoſte provenit. *En ipſe eſt ductor tuus*, qui Creator & Redemptor eſt, Deus. *Barac de monte Thabor deſcendit*, cùm timor Dei per ſupervenientem divinæ gratiæ reſpectum in profectu virtutum ſe extendit. *Decem millia pugnatorum ſunt cum eo*, cùm univerſa agmina ſenſuum interiorum & exteriorum ſub timoris magiſterio ſerviunt DEO.

Pſ. XLIII. 23.

Siſaram & omnes currus ejus univerſamque multitudinem in ore gladii ad conſpectum Barac Dominus perterret, dum diabolum & omnia vitia principalia cum ſua familia verbum Dei fulgure timoris divini exterret. *Siſara de curru deſilit*, cùm diabolus à locutionis vel operationis illuſione decidit. *Pedes fugit*, cùm ſola mentem cogitatione deludit.

Barac fugientes currus & exercitum usque ad Haroſeth gentium perſequitur: cùm timor Dei vitia principalia cum ſobole ſua usque ad internecionem univerſarum vanitatum inſequitur. *Omnis hoſtium multitudo usque ad internecionem cadit*, cùm omne phantaſma peccati in cogitatione, verbo & opere timori Dei cedit. Sequitur:

Siſara autem fugiens perve- ℣. XVII.
nit ad tentorium Jabel uxoris
Cinæi. Erat autem pax inter
Jabin Regem Aſor, & domum
Haber Cinæi.

Egreſſa igitur Jabel in occur- ℣. XVIII
ſum Siſaræ, dixit ad eum: in-
tra ad me Domine mi: intra,
ne timeas. Qui ingreſſus ta-
bernaculum ejus, & opertus ab
ea pallio

Dixit

ỹ.XIX. *Dixit ad eam: da mihi, obſecro, paullulum aquæ, quia ſitio valde. Quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum.*

ỹ.XX. *Dixitq; Siſara ad eam: ſta ante oſtium tabernaculi, & cum venerit aliquis interrogans te et dicens: nunquid hic eſt aliquis? reſpondebis, nullus eſt.*

ỹ.XXI. *Tulit itaq; Jahel, uxor Haber clavum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum: & ingreſſa abſcondite & cum ſilentio, poſuit ſupra tempus capitis ejus clavum, percuſſumq; malleo defixit in cerebrum usque ad terram: qui ſoporem morti conſocians defecit, & mortuus eſt.*

ỹ.XXII. *Et ecce Barac ſequens Siſaram veniebat: egreſſaq; Jahel in occurſum ejus dixit ei: veni, & oſtendam tibi virum, quem quæris. Qui cùm intrâſſet ad eam, vidit Siſaram jacentem mortuum, & clavum infixum in tempore ejus.*

ỹ.XXIII. *Humiliavit ergo Deus in die illo Jabin regem Chanaan coram filiis Iſrael.*

ỹ.XXIV. *Qui creſcebant quotidie, & forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan, donec delerent eum.*

Siſara fugit, cum diabolus fulgur timoris Divini pertimeſcit. *Ad tentorium Jahel pervenit*, cùm initium animæ fidelis ſuis ſuggeſtionibus impetit. *Jahel* enim *incipiens* dicitur, per quam fidelis anima nuper ad Deum converſa exprimitur. Jahel *uxor Haber Cinæi* eſſe ſcribitur: quia fidelis anima, in matrimonio fideli doctori jungitur, qui per luctum & congreſſionem cœleſtis Regni

A. poſſeſſor fieri nititur. *Pax inter Jabin Regem Aſor, & domum Haber Cinæi* eſſe memoratur, quàm diu prudentiæ carnis per vigorem homo Spiritu non reluctatur. Unde Dominus in Evangelio loquitur: *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet.*

Jahel *in occurſum Siſaræ egreditur*, cùm anima in initio converſionis poſita diabolicæ ſuggeſtionis impetitione allicitur. *Dicit ad eum*, dum ſuggeſtioni præbet delectationis conſenſum. *Intra ad me Domine mi* per ſuggeſtionem, *in-*
B. *tra* per delectationem, *ne timeas* aliquam contradictionem. *Qui tabernaculum ejus ingreditur*, dum converſionis initium ſuis tentationibus aggreditur. *Pallio ab ea operitur*, cùm ſub defenſione peccati contegitur. Unde de eo Job dicit: *Sub umbra dormit in ſecreto calami, in locis humentibus.* Job. XL. 16.

Proinde *ad eam dicit*: quam ſibi nolle reluctari conſpicit. *Da mihi obſecro paulum aquæ*, diſſolutionis tuæ & laſciviæ, qua ſitim meam poſſim reficere. *Quia valde ſitio*, quia perditioni tuæ ardenter inhio. Sitis iſta dia-
C. boli oppoſita eſt illi ſiti Filii Dei, qua in cruce moriens dixit: *Sitio*. Sicut enim Dei Filius in cruce poſitus ereptionem ſuorum in inferno vinctorum ſitivit, & ſalutem omnium, qui tunc in mundo fuerunt, vel futuri ſunt usque ad conſummationem ſæculi, ſuorum electorum: ita ſitit è contra diabolus deceptionem & mortem omnium ab initio usque in finem ſæculi mortalium; quia *abſorbendo fluvium, habet fiduciam, quòd influat Jordanis in os ejus.* Job. XL. 18.

Jahel *utrem lactis aperit, & potum ei tribuit*: cùm fidelis anima diabolo ſi-
D. tienti doctrinæ ſalutaris poculum ingerit, quò eum velut impotionatum extinguere poſſit. *Operit illum*, cùm per Confeſſionis proditionem non detegit eum.

Proinde *Siſara dicit ad eam*, cùm diabolus conſecretalem ſuam eſſe cupit fidelem animam. *Sta ante oſtium tabernaculi*, diligenter obſervans clauſtra oris tui. *Cùm venerit aliquis interrogans te & dicens, nunquid hic eſt aliquis, nullum hic eſſe reſpondebis. Aliquis venit*, cùm Doctor fidelis ad examinatio-

Digitized by Google

minationem ſinceræ confeſſionis accedit. *Interrogat, an aliquis ibi lateat*, cùm examinatione ſua inveſtigat, ſi quid diabolici phantaſmatis in conſcientia confitentis delitеſcat. Proinde malignus hoſtis, qui ſecundùm Salomonem *ſonum tutelæ odit*, animæ incipienti fraudulenter ſuggerit, ne eum per Confeſſionem prodere velit.

Jahel uxor Haber Cinæi *clavum tabernaculi tollit*, cùm fidelis anima paſſionem Chriſti imitari incipit. Sicut enim per clavum tabernaculum vel aperitur vel figitur: ſic per paſſionem Redemptoris vel paradiſus reſeratur, vel B. Eccleſia, quæ *tabernaculum* ejus eſt, ſolidatur. *Malleum pariter aſſumit*, dum continuæ meditationi & orationi inſiſtit. *Abſcondite ingreditur*, dum bonæ voluntatis propoſitum in ſecreto cordis celare nititur. *Cum ſilentio clavum ſuper tempus capitis ejus ponit*, cùm in ſilentio opera ſua perficit, & per ſtudium continuæ mortificationis initio diabolicæ ſuggeſtionis ſe opponit. *Clavum malleo percutit*, dum ſtudio continentiæ ſtudium continuæ orationis & meditationis apponit. Sic *clavum in cerebrum uſque ad terram defigit*, quia imi- C. tatione Paſſionis Chriſti molliciem diabolicæ tentationis funditus transfigit. *Qui ſoporem morti ſociat*, dum ſuggeſtionis ſuæ delectationem ſentit excipi per pœnitentiæ mortificationem: *deficit* per confeſſionem: *& moritur* per ſatisfactionem.

Sic *Barac ſequens Siſaram invenit*: ſic timor Dei hoſte perempto deſuper venit. *Jahel in occurſum ejus egreditur*, cùm fidelis anima conſilio divini timoris per omnia obtemperare nititur. *Dicit ei*, per omnia aſſiſtens illi donô Spiritûs Sancti. *Veni* miſſus de cœlis, *& oſtendam* D. *tibi virum quem quæris*, hoſtem ſuperbum, quem in virtute Spiritûs Sancti perſequeris. Hunc enim virum Rebecca non cognovit. Jephthe filia non admiſit. *Barac ad eam intrat*, quia timor Dei animæ fideli cohabitat. *Videt Siſaram jacentem mortuum*, quia gaudet ſuggeſtionis ejus oblectamentum imitatione paſſionis Chriſti eſſe transfixum.

In die illo, qui eſt dies perfectionis, *Jabin Regem Chanaam coram filiis Iſraël*

A. *Deus humiliat*, cùm prudentiam carnis, negotiantem in terrenis, Domino Spiritus ſubjugat.

Filii Iſraël quotidie creſcunt, cùm electi Dei de virtute in virtutem proficiunt. *Forti manu Jabin Regem Chanaan opprimunt*, cùm in virtute Spiritûs ſenſum carnis conterunt. *Donec eum deleant*, donec in oblivionem eis cuncta tranſitoria fiant. Sequitur

Cap. V.

Cecineruntque Debbora, & Barac filius Abinoëm in illo die, dicentes: ℣. I.

Qui ſponte obtuliſtis de Iſraël animas veſtras ad periculum, benedicite Domino. ℣. II.

Meditatio ſanctæ Scripturæ cum Dei timore cantat Canticum juſtitiæ: *In die illo* ſolennitatis & lætitiæ, de quo vox eſt iſta Pſalmiſtæ: *Conſtituite diem ſolennem in condenſis, uſque ad cornu altaris.* Pſ. CXVII 27.

Qui ſponte obtuliſtis de Iſraël animas veſtras ad periculum, benedicite Domino. Sponte animas ſuas ad periculum offerunt, qui propria voluntate propoſitum ſanctæ converſationis arripiunt. In quo quia quotidie propter Dominum mortificantur, quaſi boni milites in bello poſiti, quotidie de vita *periclitantur.* Hi ergo tales *benedicant Domino* in proſperis & adverſis juxta illud Pſalmiſtæ: *Benedicam Domino in omni tempore.* Vel juxta illud Tobiæ: *Omni tempore benedic Deum.* Pſ. XXXII 2. Tob. IV. 20

Audite Reges, auribus percipite Principes. ℣. III.

Jure *Reges* vocantur, quia corpora ſua ſecundùm timorem Dei regere conantur. Rectè quoque *Principum* nomine cenſentur, qui cœleſtis curiæ principatum per amorem Dei promerentur. De quibus Regibus & Principibus Pſalmiſta loquitur: *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram.* Hi ergo Reges in lege & Prophetis Dominum ſuum loquentem *audiant:* Hi Principes in Evangelio ſuo Dominum ſuum præcipientem *auribus* cordis ſolicitè *percipiant.* Unde benè ſequitur: Pſ. II. 10.

Digitized by Google

Ego ſum, Ego ſum, quæ Do- A. *mino canam, pſallam Domino Deo Iſrael.*

Ego ſum in veteri teſtamento, *Ego ſum* in novo teſtamento, *quæ Domino canam:* quæ ſcilicet Domino Patri de formatione hominis laudes dicam. *Pſallam Domino*, Dei Filio de reformatione hominis laudes perſolvam. *Deo Iſrael*, Spiritui Sancto de conformatione hominis gratiarum actiones in perpetuum referam. Quidquid enim honoris & ſervitutis ſanctæ Trinitati in terris exhibe- B. tur, quidquid remunerationis ab ea in cœlis ſperatur, ex inſtitutione & conſolatione ſanctæ Scripturæ generatur. Un-
Rom. XV. 4. de Apoſtolus loquitur: *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.*

℣. IV. *Domine cùm exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt, cœliq; ac nubes diſtillaverunt aquis.*

℣. V. *Montes fluxerunt à facie* C. *Domini, et Sinai à facie Domini Dei Iſrael.*

Seir *piloſus* vel *hiſpidus* interpretatur, per quod mundus iſte duplicitati & iniquitati deditus figuratur. *Dominus de Seir egreditur*, cùm fidelem quemlibet de amore hujus mundi per aſpirationem ſui ad ſe vocare dignatur. *Regiones Edom*, qui *rufus* vel *terrenus* dicitur, pertranſit: dum febres delectationum carnalium de ſenſibus hominum potione Spiritûs Sancti cœlitùs infuſa expungit. D. In quo nimirum tranſitu *terra movetur*,
Ezech. III 12. ſicut Ezechiel teſtatur: *Spiritus*, inquit, *aſſumpſit me, & audivi poſt me vocem commotionis magnæ.* Homini per Spiritum aſſumpto, commotio magna oritur, in qua terrenitas ejus concutitur, dum peccata ſua pœnitendo & flendo inſequitur. *Terra mota, cœli*, id eſt: interiores hominis ſenſus diverſarum virtutum decorati ſyderibus, *ac nubes*, ſcilicet cogitationes bonæ voluntatis, imbres ferentes, *aquis ſtillant:* videlicet geminæ compunctionis fluenta de arcanis cordis exſudant.

Montes à facie Domini defluunt, cùm petroſa priùs & per ſuperbiæ rigorem inſenſibilia corda reſpectu miſerationis divinæ ad humilitatis placidam manſuetudinem molleſcunt. *Sinai* quoque, quod *tentatio* dicitur, *à facie Domini Dei Iſrael fugit:* cùm omnis tentatio carnis victori Spiritui Sancto cedit.

In diebus Samgar filii A- ℣. VI.
nath, in diebus Jahel quieverunt ſemitæ, & qui ingrediebantur per eas, ambulaverunt per colles devios.

Ceſſaverunt fortes in Iſrael ℣. VII.
& quieverunt, donec ſurgeret Debbora, ſurgeret Mater in Iſrael.

Per *Samgar*, qui *advena* vel *colonus* interpretatur, converſus quilibet figuratur, qui dum peregrinationem ſuam in hoc mundo recognoſcit, maledictionis pondus ſuper Adam poſitum in ſe ipſo dolens ingemiſcit: *In ſudore vultûs tui* Gen. III. 19.
veſceris pane tuo: cùm operatus fueris terram, non dabit fructum ſuum. Qui benè *Anath filius* eſſe ſcribitur, quod *reſponſio* dicitur, quia vocanti Deo per miſericordiam, reſpondet per obedientiam. Per *Jahel*, quæ *incipiens* interpretatur, quilibet initium faciens converſionis figuratur. *Dies* ergo *Samgar* eſt initium converſionis. *Dies Jahel*, eſt medietas probationis. In his diebus *quieſcunt ſemitæ* illæ, de quibus in Iſaia dicitur: *in ſemita judiciorum tuorum Do-* Iſa. XXVI 18.
mine ſuſtinuimus te: vel de quibus in Evangelio legitur: *anguſta via eſt, quæ* Matth. VII. 14.
ducit ad vitam. Hæ nimirum ſemitæ quieſcunt, dum in ſe ambulantibus quietem à tumultu ſæculi & vitiorum tribuunt, ipſô Dominô dicente ſic in Evangelio: *Tollite jugum meum ſuper vos, &* Matth. XI. 29.
diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Et qui ingrediebantur per eas, ambulaverunt per colles devios. Ingredientes per ſemitas ambulant per devia, dum in initio converſionis, in medietate probationis, nondum illuceſcente die perfectionis, ſæpè pro juſtis injuſta, pro bonis approbant mala. Unde rectè ſubditur:

Ceſſa-

Ceſſaverunt fortes in Iſrael, & quieverunt, donec ſurgeret Debbora: ſurgeret Mater in Iſrael. Per *fortes Iſrael* directio cordis intelligitur, in qua omnis fortitudo hominis Deum videre cupientis conſtituitur. Quæ nimirum cordis directio *ceſſat & quieſcit:* hoc eſt homini quantumlibet in hac vita laboranti non accreſcit, donec ex meditatione continua *ſurgat* ad intellectum in Allegoria, *ſurgat* ad effectum in moralitate Mater & nutrix virtutum Sancta Scriptura. Quòd quia in ſola die agitur perfectionis, ad quam ex die converſionis pertingitur, diem probationis rectè ſequitur.

℣. VIII. *Nova bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubvertit.*

Nova bella elegit Dominus, dum omnem impetum carnis dominio ſubjicit Spiritûs. *Portæ* ſunt ſenſus carnis: quæ nimirum patent adverſariis, dum per ſuggeſtionem tentationis in eis aditum inveniunt delectationis. Sed has *portas Dominus ſubvertit*, dum per eruditionem ſanctæ Scripturæ omnem violentiam carnalitatis à ſenſibus hominis expellit. Ex quo quia totus homo novus efficitur, rectè ſubditur.

Clypeus & haſta apparuerunt in quadraginta millibus Iſrael.

Per *clypeum* defenſio ſanctæ Scripturæ accipitur, de qua in Proverbiis dicitur: *Omnis ſermo Domini ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe.* (*Prov. XXX. 5.*) Per *haſtam*, qua hoſtes repelluntur, vel qua eis vulnera infliguntur, exercitium deſignatur laboris in jejuniis & vigiliis, vel ſtudio aſſiduæ orationis. Per *quadraginta*, Evangelica perfectio figuratur, de qua omnis cardinalium virtutum integritas generatur. Evangelica perfectio eſt perfecta mundi abrenunciatio, dicente Domino: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & ſequere me.* De qua perfectione Evangelica, & de cardinalium virtutum ſumma, innumera prodeunt cogitationum, locutionum, & bonorum operum *millia*, quibus nimirum inſtructa anima beata terribilis efficitur ſuis hoſtibus ut caſtrorum acies

A. ordinata. Verum quia hæc armatura Sancto Spiritui valde ſit accepta, oſtendunt ejus verba in ſequenti litera.

Cor meum diligit Principes Iſrael. ℣. IX.

Dilectionem enim Spiritûs Sancti promerentur, qui per inſtructionem armaturæ ſpiritalis de labore actionis ad ſublimitatem contemplationis promoventur. Fiunt enim veri *Iſraelis Principes*, qui per munditiam cordis divinæ viſionis fuerint participes. De quo profectu magno, quia ingratus eſſe non debet (B.) homo creatori ſuo, loquitur alumnis ſuis Debboræ Matris inſtitutio.

Qui propria voluntate obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Domino.

Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos, & ſedetis in judicio, & ambulatis in via loquimini. ℣. X.

Qui propria voluntate perfectè mundo renunciantes, qui terribilem pugnam Spiritûs contra carnem arripientes, (C.) *diſcrimina* multa ſuſtinuiſtis, de quibus omnibus per eum, qui vos dilexit victores eſſe meruiſtis, nolite vobismetipſis laudem quærere de triumpho quæſito, *ſed benedicite Domino*, id eſt, per ordinatum bonæ converſationis veſtræ propoſitum gratias agite liberatori veſtro Deo. *Omnia*, inquit Apoſtolus, *quæcunque facitis in verbo aut in facto, omnia in gloriam Dei facite.* (*Coloſ. III. 17.*)

Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos. Nitentes aſinos aſcendunt, qui per emundationem pœnitentiæ & ſatisfactionis ſanctificationem ſibi corporis & animæ acquirunt. Ex qua nimirum ſanctifica(D.)tione ſeſſorem Dominum habere merentur, quia anima juſti ſedes eſt ſapientiæ. *Et ſedetis in judicio. Sedent in judicio*, qui per quietem illam, quâ die noctuque Creatori ſuo militant, de culpis non ſolùm operum, ſed & verborum & cogitationum inutilium acriter ſeſe quotidie dijudicant. *Et ambulatis in via. Ambulant in via* illa, de qua dicit Pſalmiſta: *Beati immaculati:* qui declinantes à malo, perſeveranter inſiſtunt bono. (*Pſal. CXVIII. 1.*) Quia ut Salomon dicit:

Qui timet Deum, nihil negligit. Loquimini. Qui per ſatisfactionem vitæ vos emundatis, qui vitam veſtram retractando dijudicatis, qui in via mandatorum Dei non ſegniter ambulatis, *loqui* ad Deum confidenter in Orationibus veſtris
Pſ. XXX. 16. non dubitetis: quia *oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.*

Aliô modô iſtud *loquimini* poteſt intelligi. Joſue cum populo hebraico ſex dierum circuitu in ſilentio oppugnat urbem Jericho. Tandem die ſeptimo pro Ducis imperio conclamat omnis multitudo, & ruentibus muris undique patet introitus civitatis. Joſue Chriſtum, Jericho mundum, Iſraelitæ miniſtros Chriſti deſignant; qui in ſilentio & humilitate mundum iſtum in ſe ipſis oppugnant. De quo ſilentio dicit Iſaias:
Iſa. XXX. 15. *In ſpe & ſilentio erit fortitudo veſtra.*
Thren. III. 26. Et Jeremias: *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.* Tandem die ſeptimo victores conclamant, quando de hac vita exeuntes, qui in humilitate & ſilentio Deo ſerviendo in hac vita ſe depoſuerunt, illic audientes à Judice Chri-
Matth. XXV. 34. ſto, *venite Benedicti Patris mei*: vocem in exultatione & in Redemptoris ſui confeſſione perpetuò levabunt. Sequitur:

℣. XI. *Ubi colliſi ſunt currus, & hoſtium eſt ſuffocatus exercitus, ibi narrentur juſtitiæ Domini & clementiæ in portis Iſrael.*

Currus colliduntur, cùm principalia vitia in homine conteruntur. *Hoſtium exercitus ſuffocatur*, cùm per abſtinentiam reliqua vitiorum familia trucidatur. *Ibi narrentur juſtitiæ Domini*, ubi regnum diaboli deſtruitur, de quo Apoſtolus loquitur: *Regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* *Et clementiæ in portis Iſrael.* In portis Iſrael clementia narratur, dum in ſenſibus hominis, ubi priùs peccatum dominabatur, miſericordia Creatoris & liberatoris DEI glorificatur.

Tunc deſcendit populus Domini ad portas, & obtinuit principatum.

Populus Domini ad portas deſcendit, A. quando per humilitatem Spiritus ſenſus carnis ſibi ſubigit, quos per ſuperbiæ tyrannidem priùs amiſit. *Et obtinuit principatum.* Principatum Spiritus ſortitur: quia dum ipſe in humilitate ſuperiori ſuo Deo ſubjicitur, inferiori ſuo carni ſuperior efficitur. Ad quem profectum cùm per auxilium Sancti Spiritûs homo provehitur, conſequenter ei intellectus ſanctæ Scripturæ per eundem Spiritum Sanctum aperitur. Unde rectè ſubditur.

Surge, ſurge Debbora, ſurge, ſurge, & loquere canticum. ℣. XII.

B. *Surge* ad literam, *ſurge* ad Allegoriam, *ſurge* ad moralitatem, *ſurge* ad Anagogen. *Et loquere Canticum:* illud profectò Canticum Jeroſolymæ, de quo dicebant illi captivi Babyloniæ: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* *Pſal. CXXXVI. 5.* Quidquid enim ſancta Scriptura per omnes veteris ac novi teſtamenti paginas loquitur, nihil profectò aliud in his requirendo operatur, niſi quòd ad laudem Creatoris ſui hominem inſtruendo cohortatur.

C. *Surge Barac, et apprehende captivos tuos fili Abinoem.*

Surgente ſanctæ Scripturæ intelligentiâ, conſequenter etiam *ſurgit* in homine divini timoris excellentia. *Et apprehende captivos tuos.* Barac captivos apprehendit, dum per timorem Dei ſenſus carnis, qui ſe captivaverant, Spiritus in captivitatem redigit. *Fili Abinoem:* Spiritus hominis, qui per timorem Dei ſic provehitur, in eo Deus Pater decorus & glorioſus efficitur.

D. *Salvatæ ſunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicavit.* ℣. XIII.

In eo, qui populus Domini efficitur, *reliquiæ ſalvantur;* quia cogitationes ejus, opera & verba in ſalutem æternam propagantur. *Dominus in fortibus dimicavit.* In fortibus Dominus dimicat, cùm in directione cordis, in qua ſumma conſiſtit ſanctificationis, univerſam Spiritus pugnam adversùs carnem conſummat.

Ex

Digitized by Google

℣.XIV. *Ex Ephraim delevit eos in Amalec, & poſt eum in populos tuos ô Benjamin.*

Catalogus quatuor cardinalium virtutum ſub typicis nominibus hic recenſetur: qualem ſcilicet, vel quantum profectum ipſe in ſpiritali pugna operetur. Per *Ephraim*, qui *frugifer* vel *creſcens* interpretatur, continentia figuratur, quæ alio nomine temperantia dicitur. Per *Amalec* qui *lambens* vel *lingens* dicitur, gaſtrimargia intelligitur. Sicut autem temperantia Mater eſt virtutum: ita gaſtrimargia mater eſt vitiorum. *Ex Ephraim* ergo *hoſtes in Amalec delentur*, cùm temperantia, quæ virtutum fruge redundat, gaſtrimargiam omnium vitiorum fomitem in homine expugnat.

Et poſt eum in populos tuos ô Benjamin. Cùm per continentiam gaſtrimargia expugnatur, *in Benjamin*, qui *filius dextræ* interpretatur, homo priùs totus carnalis, modò totus ſpiritualis commutatur. *Hæc*, inquit Pſalmiſta, *eſt mutatio dexteræ excelſi.* Sequitur Pſal. LXXVI. 11.

De Machir Principes deſcenderunt, & de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum.

Per *Machir*, qui *reſtituet*, vel *venundabit*, vel *de infirmitate* interpretatur, juſtitia non incongruè deſignatur, per quam omne debitum reſtituitur, & omne peccatum venumdatur, per quam homo de infirmitate ſua liberatur. *De Machir principes deſcendunt:* quia per juſtitiam principales ſenſus hominis carnales ejus ſenſus devincunt. *Et de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum.* Per *Zabulon*, qui *habitaculum fortitudinis* interpretatur, fortitudo rectè deſignatur. De qua nimirum expulſa omni puſillanimitatis ignavia, quaſi ſigniferi egrediuntur, qui adverſus diaboli agmina ante virtutum aciem acriter congrediuntur.

℣.XV. *Duces Iſachar fuerunt cum Debbora, & Barac veſtigia ſunt ſecuti, qui quaſi in præceps ac barathrum ſe diſcrimini dedit.*

A. Per *Iſachar*, qui *merces* dicitur, prudentia non incongruè accipitur, quæ huic in mercede datur, qui contra oblectamenta carnis viriliter reluctatur. Quæ autem in homine major poteſt eſſe prudentia, quàm mortis pericula providere futura? Sancta ad hoc undique exhortatur Scriptura. *Duces* ergo *Iſachar ſunt cum Debbora*, quando ſanctæ Scripturæ monita contra mortis nos præmonens diſcrimina comitatur prudentia.* *Et Barac veſtigia ſunt ſecuti.* Duces Iſachar Barac veſtigia ſequuntur: B. quia per timorem Dei ad faſtigium ſapientiæ conſcenditur. *Qui quaſi in præceps ſe ac barathrum diſcrimini dedit.* Timor Dei in præcipitium ac barathrum ſe mittit, cùm hominem per propoſitum ſanctæ converſationis, in pericula tentationis ſe immergere compellit. *Fili*, inquit Salomon, *accedens ad ſervitutem Dei ſta in timore, & prapara animam tuam ad tentationem.* Et Apoſtolus: *Omnes, qui piè vivere volunt in Chriſto Jeſu, perſecutionem patiuntur.* Unde benè ſubditur:

* Ita Cod.

Eccli. II. 1.

2. Timoth. III. 12.

C. *Diviſo contra ſe Ruben, magnanimorum reperta eſt contentio.*

Ruben, qui *videns filius* dicitur, *contra ſe dividitur*, cùm homo carnalis ſpiritalis effici nititur. In qua nimirum diviſione *magnanimorum contentio reperitur*, quia dum hinc Spiritus nititur, illinc caro renititur, gravis & intolerabilis pugna committitur. Qua nimirum pugna indignus ille cenſetur, qui ſpeciem tenens pietatis, virtutem ejus abnegare non reveretur. Unde ſancta D. Scriptura his verbis in eum invehitur.

Quare habitas inter duos terminos, ut audias ſibilos gregum. ℣.XVI.

Duo termini ſunt, unus virtutum, alius vitiorum. *Inter duos* ergo *terminos habitat*, qui nec mundo perfectè renunciat, nec Deo plenè militat. Unde Angelo Laodiciæ in Apocalypſi dicitur: *Scio, quia neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus eſſes aut calidus! Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Apoc. III. 15.

Digitized by Google

Ut audias ſibilos gregum. Sibili gregum ſunt ſtrepitus diverſorum vitiorum, quorum auditu ille delectatur, qui in fœmineo tepore in ſancto propoſito commoratur. De his gregibus in Canticis dicitur: *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum.* Sed hæc inter terminos habitatio, quanto ſit proxima periculo, oſtenditur, cùm in ſequentibus ſubditur.

Diviſo contra ſe Ruben, magnanimorum reperta contentio eſt.

Ruben contra ſe dividitur, cùm Spiritus à corpore per interpoſitionem mortis ſecluditur. In qua nimirum diviſione *magnanimorum contentio reperitur*, dum hinc boni Spiritus ſpiritum hominis ad vitam conantur eripere, illinc maligni Spiritus eum ad mortem contendunt ſecum crudeliter rapere. In qua nimirum diviſione talis ac tanta anguſtia gignitur homini, quanta nec dici unquam, nec cogitari poterit aut inveniri. De qua nimirum anguſtia, quia unusquisque electus per fidem, ſpem & dilectionem eripitur, rectè in conſequentibus dicitur.

℣. XVII. *Galaad trans Jordanem quieſcebat.*

Per *Galaad*, qui *acervus teſtimonii* dicitur, fides non inconvenienter accipitur, quæ nimirum ſanctæ Scripturæ teſtimoniis undique congeſtis, contra omnes hæreticorum pravitates communitur. *Galaad* enim *trans Jordanem quieſcit:* cùm fides recta, quæ de ſanctæ Scripturæ veritate procedit, terram repromiſſionis lacte & melle manantem nobis repromittit. *Eſt* enim *fides*, ait A-
Hebr. XI. 1. poſtolus, *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* In qua nimirum fide omnes Sancti *quieverunt*, quicunque ab initio ſæculi propter Deum in terris laboraverunt.

Et Dan vacabat navibus.

Per *Dan*, qui *Judicium* dicitur, ſpes non incongruè accipitur, quia per illam futuri judicii vel ſpem vel formidinem vel bonis ſtudetur, vel à malis in præſenti cavetur. *Dan* ergo *navibus vacat*, quia ſicut, qui in fluctibus navigat, in ſolo
A. Deo ſpei anchoram ligat: ſic qui propter Deum in præſenti laborat, in ſpe æternæ remunerationis arat. *Debet* enim, ait Apoſtolus, *in ſpe, qui arat, arare.* 1. Cor. IX. 10.
Benè autem dicitur, *Dan vacare navibus*, quia qui fideliter Deo ſervire contendit, ab omni tumultu ſæculi liber, ſoli Deo vacare eligit, ſicut Pſalmiſta dicit: *Vacate, & videte: quoniam ego ſum Deus.*

Aſer habitabat in littore maris, & in portubus morabatur.

Per *Aſer*, qui *beatus* vel *beatitudo* dicitur, charitas non incongruè intelligi-
B. tur: quia qui per charitatem hìc Deo famulatur, huic in remuneratione cœleſtis beatitudo illic datur. Per *littus maris* æternæ vitæ ſecuritas & ſtabilitas deſignatur. Unde & Dominus poſt acceptam immortalitatem per ſuam Reſurrectionem in littore maris à diſcipulis videtur. *Dan* quidem *navibus vacat: Aſer* autem *in littore maris habitat;* quia ſpes quidem in periculis fluctuat: charitas autem pulchritudinem pacis ſecurè inhabitat. *Aſer in portubus moratur*, quia charitas in illis manſionibus cœleſtis Regni jucundatur, de quibus ſuis diſcipulis in cœna ſua Dei
C. Filius loquitur: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Joh. XIV. 2.
Quæ nimirum manſiones rectè comparantur *portubus*, quia ſublato timore mortis aufugiet ibi omnis dolor & gemitus.

Zabulon verò et Nephthalim obtulerunt animas ſuas morti in Regione Merome. ℣. XVIII.

Per *Zabulon*, qui *habitaculum fortitudinis* interpretatur, activa vita deſignatur: Per *Nephthalim*, qui *latitudo* dicitur, contemplativa vita intelligitur. *Zabulon & Nephthalim animas ſuas offerunt mor-*
D. *ti*, quia fide, ſpe & charitate perfecti, per activam & contemplativam vitam in præſenti ſe mortificant omnes electi. *In regione Merome*, quæ *excelſa* dicitur, quia excelſam regionem ingreditur, qui per activam & contemplativam vitam ad perfectionem provehitur. Sequitur

Venerunt Reges et pugnaverunt, pugnaverunt Reges Chanaan in Thanach juxta aquas Mageddo, et tamen nihil tulère prædantes. ℣. XIX.

Digitized by Google

Reges ſunt maligni ſpiritus, qui veniunt per ſuggeſtionem, & *pugnant* per indefeſſam irritationem. *Pugnant Reges Chanaan*, quod interpretatur *negotiatores*, quia more negotiatorum indefeſſi circueunt leones, quem devorare poſſint, die nocteque explorantes. *Pugnant in Thanach*, quod *humilitas* interpretatur, quia per ſubtilitatem Angelicæ naturæ ipſi cùm ſint Spiritus, licèt damnati, ſuperiores his in certamine redduntur, in quibus per corpus, quod corrumpitur, anima valde in imis deprimitur. *Pugnant juxta aquas Mageddo*, quod interpretatum dicitur *poma* vel *cœnacula*, de quibus utriſque trahitur odoris fragrantia: quia nimirum maligni Spiritus per tentationis ſuggeſtionem inſpirant ſenſibus hominis malè dulcem carnalis delectationis odorem. Quæ nimirum ſuggeſtionis vel delectationis violentia per *aquas* exprimitur, quibus ſæpè ſenſualitas hominis opprimitur. De his aquis dicitur in Canticis: Cant.VIII 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Undè benè ſequitur: *Et tamen nihil tulêre prædantes.* Nihil auferunt maligni Spiritus, Spiritum hominis ſpoliare cupientes, quia eorum impetus arcet Creator Spiritus per angelicos Spiritus fidelibus ſubvenientes. Unde rectè ſubditur.

ỳ.XX. *De cœlo dimicatum eſt contra eos.*

De cœlo contra malignos Spiritus *dimicatur*: quia per auxilium Sancti Spiritus, hominis ſpiritus ab ipſis liberatur, 2.Cor.III. 17. ſicut Apoſtolus proteſtatur: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Sequitur:

Stellæ manentes in ordine et curſu ſuo, adverſus Siſaram pugnaverunt.

Stellæ ſunt electi, de quibus ab Angelo dicitur Danieli: Dan.XII. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* De quibus etiam Apoſtolus dicit: *Inter quos lucetis ſicut luminaria in hoc mundo. Manent ſtellæ in ordine & curſu ſuo;* dum electi ordinem & curſum à Deo præfixum ſolicitè ſervant in omni vitæ ſuæ curriculo. Quod ni- A. mirum faciendo *adverſus Siſaram*, quod *excluſio gaudii* interpretatur, *pugnant:* cùm ſcilicet diabolum, qui per inane mundi gaudium à corde hominis verum Spiritûs S. nititur excludere gaudium, per eam, quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, viriliter expugnant. Sequitur:

Torrens Ciſon traxit cadavera eorum, torrens Cadumim, torrens Ciſon. ỳ.XXI.

Cadavera exanimata ſpirituum malignorum ſunt informes & deformes B. formæ vitiorum. Quæ nimirum *cadavera torrens Ciſon trahit:* quia nimirum vel duritia cordis, vel inanis lætitia eorum imagines in ſenſibus hominis depingit & exprimit. Interpretatur enim *Ciſon*, *impegerunt me*, vel *duritia*, vel *lætitia*. *Torrens Cadumim*, eſt torrens Ciſon. Cadumim enim *effœminatus* dicitur, quia nimirum qui vel per duritiam cordis ab amore Dei alienus efficitur, vel per immoderatam lætitiam diſſolvitur, in omni actione effœminatus redditur. Unde Spiritus Sanctus fideles C. ſuos exhortatur, ne per effœminatam ignaviam virilitas cordis eorum proſtituatur.

Conculca anima mea robuſtos.

Anima Dei ſunt fideles & electi, in unitate fidei & dilectionis firmiter adhærentes ei. Qui enim adhæret Domino, unus Spiritus efficitur cum eo. *Robuſtos* ergo *anima* Dei *conculcat*, quia per virtutem Spiritus Sancti fidelis quisque malignorum Spirituum robur expugnat. Unde rectè ſequitur.

Ungulæ equorum ceciderunt, D. *fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortiſſimis hoſtium.* ỳ.XXII.

Equi ferventes concupiſcentiæ, *ungulæ* ſunt homini inſiſtentes violentæ tentationes carnalis concupiſcentiæ. *Ungulæ* ergo *cadunt*, dum *fortiſſimi hoſtes*, maligni ſcilicet Spiritus impetum Sancti Spiritus fugiunt. De quo impetu in Pſalmis dicitur: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Pſ.XLV.5. Et in Canticis: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Per* Cant.IV.15.

præceps

Digitized by Google

præceps ruunt, quia dominator Spiritus veritatis, potenter dejicit ſpiritum falſitatis.

℣.XXIII. ### *Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini, maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortiſſimorum ejus.*

Angelus Domini, eſt ille magni Conſilii Angelus, miſſus à Deo Patre in hunc mundum Dei Filius. Cujus nimirum *dicere*, fuit ejus facere: quia *ipſe dixit* B. *& facta ſunt.* Per hoc ergo Angelus *dixit*, quòd factus homo, hominibus in exemplum ſe præbuit. *Maledicite terræ Meroz. Meroz, aquæ Sacramentorum* interpretatur, per quod ordo baptizatorum deſignatur. *Terra* ergo *Meroz maledicitur*, dum baptizatus quisque maledictionis ſententiâ idcirco mulctatur, quia Redemptoris ſui veſtigia non imitatur. *Maledicite habitatoribus ejus.* Habitatores terræ ſunt Spiritus & anima, quæ unà cum carne peccatrice, quam inhabitant, in maledictione erunt perpetua, auditâ illa terribili à Judice Chriſto ſententia: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Et quare? *Quia ad auxilium Domini non venerunt*, id eſt, Dominum per prævenientem gratiam eos ſalvare volentem, per conceſſam ſibi arbitrii libertatem juvare noluerunt. *Quia in adjutorium fortiſſimorum ejus non venerunt*, ſcilicet, ſanctis Angelis in miniſterium ſalutis propter eos miſſis, manum dare noluerunt.

Matth. XXV. 41.

℣.XXIV. ### *Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo ſuo.*

Haber luctus vel *committens* interpretatur: *Cinæus poſſeſſor* dicitur. Per quæ vocabula fidelis quisque deſignatur, qui quia per luctum compunctionis fortiter cum malignis congreditur, poſſeſſor regni cœleſtis efficitur. Cujus nimirum *uxor benedicitur*, quæ *Jahel*, id eſt, *conjugium* dicitur: quia anima illa benedictione cœleſti impinguatur, quæ per luctum pœnitentiæ jugiter exſiccatur. *Inter mulieres benedicitur:* quia A. inter electas animas in libro vitæ adſcribitur. *Et benedicatur in tabernaculo ſuo.* Tabernaculum fidelis animæ benedicitur, cùm corpus, in quo in haç vita deambulat, in quo fatigata ſuſpirat, in reſurrectione immortalitatis & incorruptionis rore perfunditur.

Aquam petenti, lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum. ℣. XXV.

Aquam diabolus *petit*, quia diſſolutionem & laſciviam ab unoquoque homine requirit, per quam ſitim ſuæ malitiæ non extinguere, ſed accendere poſſit. Sitim enim ſuam non extinguit, ſed accendit, cùm ſibi conſentientes ſinè numero ad mortem pertrahit, quia *infernus nunquam dicit: ſufficit. Jahel* ergo *aquam petenti, lac tribuit:* cùm anima beata diabolo ſitienti doctrinæ ſalutaris poculum ingerit, quó eum velut impotionatum extinguit. *Et in phiala Principum obtulit buryrum. Principes* ſunt Auctores Canonicæ Scripturæ, ſancti Prophetæ, vel Apoſtoli; de quibus C. in Pſalmo dicitur: *Dominus narrabit in ſcripturis populorum & principum, horum qui fuerunt in ea.* De his Principibus cecinit quondam carmen iſtud populus Iſraeliticus: *Aſcendat puteus*, concinebant, *puteus, quem foderunt principes, & paraverunt Duces multitudinis, in datore legis, & in baculis ſuis.* Puteus eſt ſancta Scriptura, quem foderunt Principes ſancti Prophetæ vel Apoſtoli, Auctores Scripturæ Canonicæ. Iſti nimirum acumine excellentis ingenii ſanctam Scripturam fundaverunt, & de arcanis cœli aquam ſalutaris ſcientiæ D. mundo propinaverunt. Duces multitudinis puteum paraverunt, quia expoſitores ſancti, qui Doctores ſanctæ Eccleſiæ fuerunt, recondita allegoriæ Sacramenta de litera extraxerunt. In datore legis, in Spiritu S. & in baculis ſuis, ſinguli vel Principes, vel Duces, in ſingulis vel libris, vel operibus ſuis. *Offert* ergo *Jahel in phiala*, id eſt: in doctrina *Principum butyrum*, cœleſtis ſapientiæ vel poculum, vel myſterium. De hoc butyro Iſaias dicit: *In die illa nutriet homo vaccam boum, & duas oves, & præ ubertate lactis comedet butyrum.*

Pſal. LXXXVI. 6.

Iſa. VII. 21.

In

In die illa divinæ clementiæ nutriet ho- A. mo, Filius Dei factus homo, vaccam bovum, legem Moyſi, vel ſuum Evangelium, faciens hanc vaccam per Spiritum Sanctum nutricem ſuorum alumnorum, & duas oves, Prophetas vel Apoſtolos, lacte, vellere, vel carnibus, mactans eos in uſum ſuorum filiorum. Et præ ubertate lactis doctrinæ ſalutaris comedet: id eſt, comedi faciet in terris butyrum, in cœlis reconditum myſterium. De hoc & Moyſes in
Deut. XXXII.14 Cantico ſuo dicit: *Butyrum de armento, & lac de ovibus.* Sequitur:

℣. XXVI. *Siniſtram manum miſit ad clavum, & dextram ad fabro-* B. *rum malleum, percuſſitque Siſaram, quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans.*

Per *ſiniſtram manum* activa vita figuratur, quæ *ad clavum mittitur*, dum paſſionem Redemptoris imitatur. Sicut enim per clavum tabernaculum vel aperitur vel figitur: ſic per Paſſionem Redemptoris vel paradiſus reſeratur, vel Eccleſia, quæ tabernaculum ejus eſt, ſolidatur. Per *dexteram* contemplativa vita ex- C. primitur, quæ *ad fabrorum malleum mittitur*, dum per exercitium continuæ meditationis intelligentia acuitur. Sicut enim fabri igne & flatu operantur, ut ferri duritia liquefiat: ſic anima ſancta igne aſſiduæ meditationis, vel flatu orationis conatur, ut ei intelligentia ſanctæ Scripturæ cedat. Jahel ergo per ſiniſtram actionis, & clavum paſſionis, per dextram contemplationis & malleum meditationis, Siſaram percutit: quia tot diabolo vulnera infligit, quot in mente ſua bona deſideria congerit. *In capite vulneri locum quærit*, dum in initio ſuggeſtionis peccati tela re- D. pellit. *Tempus validè perforat*, dum delectationem peccati per pœnitentiam & ſatisfactionem in ſe mortificat.

℣. XXVII. *Inter pedes ejus ruit, defecit, & mortuus eſt.*

Sicut pedibus iter conficimus: ſic voluntate divertimus ad omne, quod vel loquimur, vel agimus. *Inter pedes* ergo *diabolus ruit*, dum in voluntate hominis cadit per peccati retractationem, *deficit* per confeſſionem, *& moritur* per ſatisfactionem.

A. *Ante pedes ejus volvebatur, & jacebat exanimis & miſerabilis.*

Ante pedes diabolus volvitur, quia ſicut ſus lota in volutabro ſordidat & inquinat: ita peccati retractatio mentem etiam pœnitentis quodammodo commaculat. *Et jacebat exanimis & miſerabilis.* Diabolus exanimis jacet, quia peccatum eſſentia caret. *Jacet miſerabilis*, quia miſerabilem eum reddit, qui ſibi in peccato conſentit.

Per feneſtram proſpiciens, ℣. XXVIII.
B. *ululabat mater ejus: et de cœnaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus ejus? Quare tardaverunt pedes quadrigarum illius?*

Mater diaboli vel peccati eſt ſuggeſtio peccati. Quæ *per feneſtram proſpicit*, dum per conſenſus carnis ſe exerit. *Aſcen-* Jerem. IX.21.
dit, ait Propheta, *mors per feneſtras noſtras, intravit domus noſtras. Mater ululat*, dum ſuggeſtio mentem titillat. Ululatus propriè adſcribitur lupis, & maximè agitur in tenebris: ſic totum opus C. diabolicæ ſuggeſtionis verſatur in conſcientiæ tenebris. *Et de cœnaculo loquebatur.* Loqui mater incipit, dum ſuggeſtio ſtupendo dicit in cordis cubiculo. *Cur moratur regredi currus ejus?* Currus vel quadriga diaboli, eſt conſenſus vel conſummatio peccati. Miratur diabolus cogitationum cordis neſcius, cur poſt immiſſionem ſuggeſtionis ſtatim inſequatur effectus conſenſus & cogitationis. Sequitur:

Una ſapientior cæteris uxo- ℣. XXIX.
ribus ejus, hæc ſocrui verba re- D. *ſpondit.*

Uxor iſta diaboli delectatio intelligitur, quæ majori veneficio mortiferæ dulcedinis in corde hominis craſſatur. Hæc ergo uxor mortifera, *ſocrui ſuæ*, ſuggeſtioni diabolicæ, reſpondet in hæc verba ambigua, cùm nox nocti indicat ſcientiam:

Forſan nunc dividit ſpolia, et ℣. XXX.
pulcherrima mulierum eligitur ei.

Neſcit enim diabolus, quid ſua ſuggeſtio parturiat, niſi delectatio aditum cor-

Digitized by Google

dis ei aperiat. In quo nimirum aditu *ſpo-* A. *lia dividit*, dum diverſa cogitationum; verborum, operum mala per delectationem ingerit. Ibi *pulcherrima mulierum ei eligitur*, dum anima munda, immunditiæ vinculis ei in conjugium prôh dolor! horrendum adſtringitur.

Veſtes diverſorum colorum Siſaræ traduntur in prædam, & ſuppellex varia ad ornanda colla congeritur.

Veſtes diverſorum colorum, ſunt virtutes diverſorum meritorum. Quæ diabolo *in prædam* cedunt, dum virtutibus B. vitia innumera ſuccedunt. *Suppellex varia ad ornanda colla congeritur*, dum de copioſa virtutum ſubſtantia victori diabolo lætitia & gloria naſcitur. Sequitur:

℣.XXXI. *Sic pereant omnes inimici tui Domine: qui autem diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent.*

Inimici Domini omnes peribunt, cùm in extremo judicio omnes iniqui & impii cum diabolo & Angelis ejus in ignem æternum ibunt. *Qui autem diligunt Deum,* C. *ſicut ſol in regno Patris ſui fulgebunt*, & cum Deo Patre, quem dilexerunt, cum Filio ejus, in quem crediderunt, cum Spiritu S. cui ſervierunt, ſinè fine triumphantes gaudebunt.

℣. XXXII. *Terra per quadraginta annos quieſcit*, cùm fidelis anima in utriusque teſtamenti obſervantia virtutum incrementis vireſcit. Quadragenarius enim numerus ex quatuor & decem multiplicatur, & per quaternarium quatuor Evangeliorum ſumma, per denarium Decalogus figuratur. Qui numerus totam veteris ac novi teſtamenti eminentiam D. complectitur. Sequitur

Cap. VI.

℣.I. *Fecerunt autem filii Iſrael malum in conſpectu Domini. Qui tradidit eos in manu Madian ſeptem annis.*

℣.II. *Et oppreſſi ſunt ab eis. Feceruntq́; ſibi antra & ſpeluncas in montibus, & munitiſſima ad repugnandum loca.*

℣.III. *Cumq́; ſeviſſet Iſrael, aſcendebat Madian & Amalec, ceteriq́; Orientalium nationum.*

℣.IV. *Et apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis, cuncta vaſtabant uſq́ ad introitum Gazæ: nihilq́ omnino ad vitam pertinens relinquebant in Iſrael, non oves, non boves, non aſinos.*

℣.V. *Ipſi enim & univerſi greges eorum veniebant cum tabernaculis ſuis, et inſtar locuſtarum univerſa complebant, innumera multitudo hominum et camelorum, quidquid tetigerant, devaſtantes.*

℣.VI. *Humiliatusq́; eſt Iſrael valde in conſpectu Madian.*

℣.VII. *Et clamavit ad Dominum, poſtulans auxilium contra Madianitas.*

℣.VIII. *Qui miſit ad eos virum Prophetam, & locutus eſt eis: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ego vos feci conſcendere de Ægypto, & eduxi vos de domo ſervitutis.*

℣.IX. *Et liberavi de manu Ægyptiorum, et omnium inimicorum, qui affligebant vos: ejecique eos ad introitum veſtrum, & tradidi vobis terram eorum.*

℣.X. *Et dixi ego Dominus Deus veſter, ne timeatis Deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluiſtis audire vocem meam.*

Hiſtoria Gedeonis, innumeris referta pollet myſteriorum theſauris. Quæ licèt omnia pro exiguitate ſenſus noſtri ad plenum comprehendere nequeamus: utcunq; tamen ea exponere in illius nomine tentamus, qui de hoſtibus iñumeris trophæum cunctis mirandum & celebrandũ ſæculis de bellatoribus reportavit pauciſſimis. *Filii Iſrael malum in conſpectu Domini faciunt*, cùm primi parentes illi ad videndum creatorem ſuum in paradiſo cõſtituti,

Digitized by Google

ſtituti, guſtu vetiti ligni faciem ejus offen- A. dunt. *Qui in manu Madian ſeptem annis eos tradit*, dum pro reatu originalis peccati, primordium illud ſæculi judicio condemnationis addicit. *Madian* enim *de judicio* interpretatur, quo nomine judicium illud ſæculi pereuntis figuratur. Quod *ſeptem annis* agi deſcribitur, quia in ſeptem diebus omne tempus hujus ſæculi volvitur. Cujus judicii ut plenior notitia poſſit haberi, hiſtoriam Libri Regũ libet intueri.

II. Reg. 24 *Percuſſit David cor ſuum, poſtquam numeratus eſt populus. Et dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto, ſed precor Domine, ut transferas iniquita-* B. *tem ſervi tui, quia ſtultè egi nimis. Surrexit itaq; David manè, & ſermo Domini factus eſt ad Gad Prophetam, & videntem David, dicens: Vade & loquere ad David: Hæc dicit Dominus. Trium tibi dabitur optio, elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi. Cumq; veniſſet Gad ad David, nunciavit ei dicens: Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus menſibus fugies adverſarios tuos, & illi te perſequentur, aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. Nunc ergo delibera & vide, quem reſpondeam ei, qui me miſit, ſermonem.* David C. poſt dinumerationem populi cor ſuum percutit: cùm primus ille parens de prævaricationis ſuæ reatu requiſitus, ſibi ipſi defenſionis ſcutum prætendit, & mulierem, in quo cor ejus confidere debuit, in culpam ſimul & cauſam deducit. Ad Regem David Gad Propheta mittitur, per quem ei trium judiciorum optio ponitur: dum primo illi parenti poſt guſtum ligni vetiti, à Judice diſtricto ſententia maledi-

Gen. III. 17. ctionis infligitur: *Maledicta terra in opere tuo, cùm operatus fueris eam, non dabit fructus ſuos, ſed ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Aut ſeptem, inquit, annis D. veniet tibi fames in terra tua, aut tribus menſibus fugies adverſarios tuos, & illi te perſequentur, aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. Iſta triplicis vindictæ denunciatio, eſt trium temporum ſignificatio. Per famem illam, quæ ſeptem annis ventura prænunciatur, ſterilitas illa deſignatur, quæ in exordio mundi per totum genus humanum dominabatur.* Fames enim divini verbi tunc in toto orbe graſſàbatur, cùm exordium mundi in tenebris ignorantiæ verſabatur. Aut tri-

* *Cod.* dominatur

Id. graſſatur

bus menſibus, fugies adverſarios. Fuga trium menſium eſt datæ legis myſterium, in qua adverſariis non reſiſtitur, ſed quaſi fugiendo ceditur, quia per legis auxilium mortis violentia non depellitur. Solummodò hæc per legem cognitio peccati dabatur, non autem remedium peccati conferebatur. Obſervatores ergo Decalogi, quaſi hoſtes ſuos fugiunt, & illi fugientibus inſiſtunt, dum pro eo, quod in cultu ceremoniarum legalium operantur, per hoc à morte vel ab inferno usque ad tempus Dominicæ paſſionis & Redemptionis non liberantur. Aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. Mors trium dierum Dominicæ ſepulturæ prætendit myſterium, quô tempus omne gratiæ comprehenditur: quia omnis gratia æternæ ſalutis mundo in Paſſione Chriſti & Reſurrectione impenditur. Sterilitas ergo illa ſeptem annorum quæ David denunciatur, in ſeptem annis hìc denotatur, quâ primordium ſæculi fame divini verbi excruciatur.

Unde hìc rectè ſubditur: quòd filii Iſrael valde ab eis *opprimuntur*; quia fideles omnes in primordio ſæculi conſtituti ſterilitate temporis ſui vehementer afficiuntur. Proinde *antra & ſpeluncas ſibi in montibus faciunt*, dum in diverſis ſanctorum Patriarcharum præfigurationibus ad Dominicæ Paſſionis myſterium confugiunt, quod antra & ſpeluncæ exprimunt. De quibus refugiis Spiritus Sanctus loquitur in Canticis: *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Cant. II. 10 Ad hæc etiam refugia tranſire cohortatur Iſaias Propheta: *Ingredere petram, abſcondere foſsâ humi.* Eſa. II. 10. Petram enim ingreditur, qui in humanitate Chriſti per fidem, ſpem, & dilectionem ſe tuetur. Foſſa humi abſconditur, qui per veræ pœnitentiæ ſatisfactionem ſanguinis Chriſti Redemptionem conſequitur, qui de foſſâ humi tunc profluxit, quando ejus latus lanceâ aperuit. *Munitiſſima ad repugnandum loca*, ſunt fidei, ſpei & dilectionis inſignia, quibus fideles in primordio ſæculi mortis repugnant conditioni.

Iſrael ſerit, cùm populus fidelis tempore datæ legis myſterium futuræ Redemptionis precibus & lachrymis inquirit. De quo ſemente dicit David: *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua.* Pſ. CXXV. 7.

Madian aſcendit, cùm judicium illud ſcriptæ legis non veram ſalvationem impendit: ſed peccati potius condemnationem oſtendit. Rom. VII. 7. Nam *peccatum*, inquit Apoſtolus, *neſciebam*, *niſi lex diceret*, *non concupiſces*. Et item: *Nihil enim ad perfectum adduxit lex. Amalec*, qui *populus lingens* interpretatur, *aſcendit*, cùm ipſa legis traditio tota terrenæ delectationi inſervit. *Cæteri Orientalium nationum*, ſunt figuræ illæ ceremoniarum legalium, quæ quaſi *ab Oriente* prodeunt, dum veri ſolis ortum ſuæ lucis candore præveniunt.

Apud eos figunt tentoria, dum fideles temporis illius à deſperationis æſtu contegunt, velut hedera ſub una nocte nata, & ſub eadem nocte areſacta. *Cuncta vaſtant*, *ſicut in herbis erant*, dum populo carnali, teneris herbis ſimili, carnalitatis ſuæ paſtum miniſtrant. *Usque ad introitum Gazæ*, quæ *fortitudo ejus* dicitur, per quam Evangelii veritas exprimitur. *Nihil omninò ad vitam pertinens in Iſrael relinquunt*: quia nihil veræ ſalvationis Sacerdos & Levita conferunt. *Boves* ſunt literæ, jugum circumciſionis & Sabbati trahentes. *Oves*, ſunt Allegoriæ, balatûs ſui voces in litera emittentes. *Aſini*, ſunt moralitatum complexiones in litera latentes, quaſi venturis quandoque aſcenſoribus dorſa ſua præbentes.

Ipſi ſcriptæ legis apices, *& univerſi greges eorum*, præfigurationes carnalium ceremoniarum, *cum tabernaculis ſuis veniebant*: quia non in perpetuum ſtare habebant, ſed ad tempus præfinitum ſerviebant. *Inſtar locuſtarum univerſa complebant*, quæ herbam terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit, olim in Ægypto conſumebant. De quibus locuſtis dicit Naum III 17. Naum Propheta: *Cuſtodes tui quaſi locuſtæ, & parvuli tui quaſi locuſtæ locuſtarum, quæ conſidunt in ſepibus in die frigoris. Sol ortus eſt, & avolaverunt, & non eſt cognitus locus earum, ubi fuerint.* Cuſtodes Synagogæ ſunt quaſi locuſtæ, carnales illæ ceremoniæ ad tempus conſtitutæ. Parvuli ejus ſunt quaſi locuſtæ locuſtarum, carnales illæ intelligentiæ carnalium vel literarum vel ceremoniarum. Quæ in ſepibus conſidunt, quia decreta illa legalia inſtar ſepium incurſum beſtiarum nocentium culparum ſuo obſtaculo reſtringunt. In die frigoris, in tempore illo noxii torporis, quando carus & rarus

A. erat in terris ardor divini amoris. Sol ortus eſt, & avolaverunt: quia ſole juſtitiæ mundo exortô Chriſtô Dominô de Virgine natô, locuſtæ locuſtarum, carnales ſcilicet illæ intelligentiæ carnalium vel literarum vel ceremoniarum âbſceſſerunt. Non eſt cognitus locus earum ubi fuerint: quia ſic in Eccleſia gentium earum memoria disperiit, quaſi olim non fuerint.

Unde hìc rectè ſubditur: *Innumera multitudo hominum, & camelorum quidquid tetigerant devaſtantes. Innumera multitudo hominum*, eſt multiplicitas, quaſi loquentium literarum. B. *Innumera multitudo camelorum*, eſt diverſitas, quaſi tacentium & gibbo ſuo eminentium myſteriorum. *Quidquid tangunt, devaſtant*, quia carnali ſuâ intelligentiâ carnalem populum contaminant.

Proinde *Iſrael in conſpectu Madian valde humiliatur*: quia fidelis ille populus ſub lege poſitus, qui venturæ Redemptionis myſterium oculis ſui cordis contemplatur, aſpectu carnalium ceremoniarum vehementer amaricatur.

Clamat ad Dominum, quia totô cordis deſideriô exorat Creatorem Deum. De quo clamore loquitur Deus Moyſi: C. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi.* Exod. III. 7. 9. Et rurſum: *Clamor filiorum Iſrael venit ad me: vidiq; afflictionem eorum, quâ ab Ægyptiis opprimuntur.* Et ipſi Moyſi ad mare rubrum æſtuanti: *Quid clamas ad me? Poſtulat Iſrael auxilium contra Madianitas*, Exod. XIV. 15. quia fidelis populus ſub lege poſitus, à Deo Patre requirit unigenitum Filium ſibi mitti ad Redemptionis auxilium, vel contra malignos hoſtes ſe inſequentes, vel contra ceremonias legales ſe deprimentes.

Vir Propheta ad eos mittitur, cùm D. ordo propheticus fideles ſub lege poſitos, ſic alloquitur: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael*, Creator cœleſtium exercituum. *Ego feci vos conſcendere de Ægypto* per illuminationem traditæ legis eripiens vos de ignorantiæ tenebris. *Eduxi vos de Domo ſervitutis*, per repromiſſionem æternæ libertatis, retrahens vos ab amore hujus peregrinationis, quæ eſt *domus ſervitutis. Liberavi vos de manu Ægyptiorum* per oſtenſum vobis futuræ Redemptionis myſterium ſolvens vos à timore hoſtium malignorum. *Et omnium, qui*

affligee-

Digitized by Google

affligebant vos, *inimicorum*, perſequen- A.
tium ſcilicet vitiorum. *Ejeci eos ad introitum veſtrum*, dando vobis pignus Spiritûs in ſpe æternæ redemptionis, quo vel malignis hoſtibus, vel vitiis omnibus emineatis. *Tradidi vobis terram eorum*, vel in ſpe Regnum cœlorum, vel in re Regnum virtutum.

Dixi ego Dominus Deus veſter, qui fidelis ſum in omnibus verbis meis. *Ne timeatis Deos Amorrhæorum*, dæmones incentores amaricantium vitiorum: quia ſi eorum perſuaſioni aſſenſum non præbueritis, terrores eorum pro nihilo habebitis. *Noluiſtis audire vocem meam*, pec- B.
cati nexibus vos obligantes, & per hæc mortis exactorem formidantes. Sequitur:

℣. XI. *Venit autem Angelus Domini, & ſedit ſub quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius ejus excuteret atq́ purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian,*

℣. XII. *Apparuit ei Angelus Domini, et ait: Dominus tecum virorum fortiſſime.*

℣. XIII. *Dixitq́ ei Gedeon: obſecro, mi Domine, ſi Dominus nobiscum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia? ubi ſunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres noſtri atq́ dixerunt: de Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manu Madian.*

℣. XIV. *Reſpexitq́ ad eum Dominus & ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Madian: ſcito, quòd miſerim te.*

℣. XV. *Qui reſpondens ait: Obſecro, mi Domine, in quo liberabo Iſrael? Ecce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei.*

℣. XVI. *Dixitq́ ei Dominus: ego ero tecum: & percuties Madian quaſi unum virum.*

Et ille, ſi inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi ſignum, quod tu ſis, qui loqueris ad me. ℣. XVII.

Ne recedas hinc, donec revertar ad te, portans ſacrificium & offerens tibi. Qui reſpondit: Ego præſtolabor adventum tuum. ℣. XVIII.

Angelus Domini venit: cum ille magni Conſilii Angelus, qui ab initio ſæculi ſuæ Redemptionis myſterium Mundo oſtendit, ſub illo cultu veteris teſtamenti latet. *Quercus* enim arbor eſt magni roboris, quæ pabulum miniſtrare ſolet porcis. Quem victum ille prodigus filius requirebat, qui à patre diſcedens, per inopiam famis deficiebat. Unde caput Abſalon, qui populi Judaici typum exhibet, quercui adhæret: quia tota ejus intentio delectationi terrenorum inhæret. Quercus *in Ephra* eſſe ſcribitur, quæ *ubertas* ſive *pulverulenta* dicitur, per quam Synagoga exprimitur, habens ubertatem divinæ cognitionis, & conſperſa pulvere terrenæ delectationis. *Quercus ad Joas pertinere* memoratur, qui *ſperans* vel *Domini robur* interpretatur, per quem Ordo
C. Patriarcharum memoratur. Ad quē profectò quercus pertinere rectè ſcribitur; quia teſtamentum circumciſionis Abrahæ traditur, qui pro omni choro Patriarcharum hic ponitur. Joas *pater familiæ Ezri* eſſe memoratur: quæ *auxilium meum* interpretatur, per quam Eccleſia gentium figuratur, quæ per fidem Abrahæ generatur, ſicut ei Deus pollicetur: *In* Gen. XXII
ſemine tuo benedicentur omnes gentes. 18.
Unde & Joannes in Evangelio dicit: *Po-* Luc. III.
tens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare 8.
filios Abrahæ.

D. *Gedeon circuiens in utero*, ſive *tentatio iniquitatis eorum* dicitur, per quem Chriſtus Dominus exprimitur, qui ſuæ Majeſtatis circuitu omnia complectitur, ſed ipſe in utero virginis includitur. Qui etiam rectè *tentatio iniquitatis eorum* dicitur, ſicut ipſe diſcipulis ſuis in cœna loquitur: *Niſi veniſſem & locutus fuiſſem* Joh. XV.
eis, peccatum non haberent. Nunc autem 22.
excuſationem non habent de peccato ſuo. Gedeon *filius Joas* ſcribitur: quia Chriſtus de ſemine Abrahæ, vel de poſteritate Patriarcharum naſcitur. *Frumenta in torculari excutit*, cùm electos ſuos de ſorte

Digitized by Google

reproborum in paſſione crucis ſecernit, quam *torcular* exprimit. Sicut enim in torculari uva premitur: ſic ipſe, qui per botrum in phalanga ſuſpenſum exprimitur, paſſione crucis conteritur. Unde Sponſa de eo in Canticis loquitur, cùm paſſionem ejus ſimul & Reſurrectionem admiratione gaudii ſui proſequitur: *Fa-* Cant. I. 13. *ſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus Cypri ctus meus mihi, in vineis Engaddi.* Hinc ipſe in Iſaia dicit, cùm cœleſtibus virtuti- Iſa. LXIII 2. bus admirantibus & dicentibus: *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Eod. 3. reſponſum reddit: *Torcular calcavi ſolus.*

Gedeon *frumenta in torculari purgat,* cùm Chriſtus in Paſſione ſua grana à paleis, lucem à tenebris, Judam ab Apoſtolis, latronem à latrone ſegregat. Unde Noëmi, illa antiqua Patriarcharum Eccleſia, Ruth nurui ſuæ loquitur, cùm in ſpiritu mentis ſuæ judicium iſtud ſeparationis futuræ in Paſſione Chriſti conſpicatur: Ruth III. 2. *Booz iſte hâc nocte aream hordei ventilat,* quia Chriſtus nocte ſuæ Paſſionis Judam ab Apoſtolis, Synagogam ab Eccleſia ſeparat. *Ut Madian fugiat,* ut judicium illud condemnationis, quod per legem mundo declaratur, non autem curatur, per Paſſionis ſuæ myſterium fidelibus ſuis auferat.

In qua nimirum excuſſione vel purgatione torcularis ſui *apparuit Gedeoni Angelus Domini,* cùm Filius ille Dei, Angelus magni conſilii, virginis Filio, in unione perſonæ ſibi unito, aſſiſtit in ſuæ Paſſionis myſterio. Quod nimirum mirabile myſterium ibi declaratur, ubi Joſue in urbe Jericho oculos levare, & virum contra ſe ſtantem & evaginatum gladium tenentem videre atque ad eum pergere memoratur. Joſue enim in agro manet, dum Filius Dei in illa veteris teſtamenti litera latet. Quòd enim per agrum Scriptura deſignetur, Iſaac Patriarcha teſtatur, cùm benedicens Jacob filio ſuo loquitur: Gen. XXVII. 27. *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus.* Qui ager urbis Jericho eſſe memoratur, qui *odor ejus* vel *luna* interpretatur: quia Scriptura veteris teſtamenti, vel ſupernæ Jeruſalem, quæ per odorem, vel præſentis Eccleſiæ, quæ per lunam exprimitur, miſteriis famulatur. Joſue oculos levat, cùm Filius Dei de

A. cœlo proſpiciens ſuper filios hominum totius humani generis miſerias miſericordiæ ſuæ oculis perluſtrat. Videt virum contra ſe ſtantem, & evaginatum gladium tenentem, cùm inter filios hominum videt ſibi oppoſitum illum Virginis Filium, in unionem perſonæ à ſe quandoque aſſumendum, evaginatum gladium tenentem. Evaginatus enim gladius eſt mundo revelatus humanitatis Filii Dei habitus. De quo gladio Pſalmiſta loquitur, cùm mundo Filium Dei in carne apparere precatur: *Accingere gladio tuô, ſuper femur tuum potentiſſime.* Pſal. XLIV. 4. Huc accedit, quòd

B. Balaam Aſina Angelum ſtantem in via evaginatô gladiò conſpicit, quem Balaam poſtmodum apertis oculis in eodem habitu aſpicit. Joſue ad virum pergit, cùm Dei Filius ſpeciali affectu dilectionis Virginis Filium intendit, quem in unionem perſonæ aſſumere ab æterno diſponit. Sic ergo in hoc loco Gedeoni apparet Angelus Domini, cùm illi Virginis Filio in Paſſionis ſuæ myſterio aſſiſtit Filius Dei. *Ait ad eum,* in redemptionem ſuorum fidelium paſſionis ejus diſpenſans myſterium: *Dominus tecum virorum fortiſſime:* quia ſancta Trinitas tibi cooperatur in mundi

C. redemptione, qui ſolus inter filios hominum innocentiæ tuæ gaudes incorruptione.

Gedeon ei dicit: cùm humanitas Chriſti pro Redemptione generis humani creatrici Deitati precum ſuarum lachrymas effundit. *Obſecro mi Domine,* quia tua juſſione mortalis homo factus ſum pro mundi Redemptione. *Si nobiſcum eſt Dominus,* ſi me caput omnium electorum cum membris meis procurat Creator Deus. *Cur nos hæc omnia apprehenderunt,* cur in me & membra mea ſagittæ mortis pertranſierunt? *Ubi ſunt e-*

D. *jus mirabilia,* qui ſolus in cœlo & in terra ſua operatur magnalia? *Quæ Patres noſtri narraverunt, cùm nos de Ægypto eductos à Domino dixerunt,* quando de limo terræ hominem formatum eſſe ſcripſerunt? *Nunc autem nos dereliquit,* cùm in paradiſo parentes noſtros tentatori ſerpenti dimiſit. *Et in manibus Madian tradidit,* cùm pro reatu primæ prævaricationis judicio mortis nos addixit.

Dominus ad eum reſpicit, cùm Deus omnipotens humanitatem Chriſti pro totius humani generis peccatis ſatisfacien-

Digitized by Google

cientem recipit. *Vade in hac fortitudine tua*, ſcilicet in tua innocentia, morte tuâ indebitâ totius humani generis ſolve debita. Sic *Iſrael de manu Madian liberabis*, quia fideles meos omnes de oppreſſione mortis exonerabis. *Scito quòd miſerim te*, qui primum hominem de limo terræ formavi, qui per te genus humanum ad vitam reformavi.

Gedeon reſpondet, cùm Filius Virginis, Filio Dei in redemptionem mundi obedientiæ conſenſum exhibet. *Ait*, cùm os aperit, & ſpiritum attrahit, quia in Spiritu Sancto mundi redemptionem peragit. *Obſecro mi Domine*, quia ego ſervus tuus, & Filius ancillæ tuæ Virginis Matris meæ. *In quo Iſrael liberabo*, in quo de auctore mortis triumphabo? *Ecce familia mea in Manaſſe eſt infima*, quia diſcipulorum meorum caterva in Patriarcharum & Prophetarum tuorum linea poſteritate temporis eſt extrema. *Manaſſe* enim *oblitus* vel *neceſſitas* interpretatur, per quem omnium ab initio ſæculi juſtorum ordo figuratur, qui terrena cuncta obliviſcitur, & neceſſitate voluntariæ obedientiæ pro Dei amore conſtringitur. *Ego in domo Patris mei ſum minimus*, qui pro aſſumptæ humanitatis conditione omnium hominum factus ſum humillimus.
Ps. XXI. 7 Unde in perſona mea dicit Pſalmiſta: *Ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* De me enim Roboam dicit, cùm hortatu juvenum populo contradicit:
3. Reg. XII. 10. *Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei.* Cujus literæ ſenſum ſi quis requirit, in Expoſitione noſtra ſuper librum Regum ſuo loco invenire poterit.

Dominus dicit, cùm Dei Filius, virginis Filio in redemptione mundi aſſiſtit. *Ego ero tecum* per divinitatis meæ providentiam paſſionis tuæ dictans ſententiam. *Ego ero tecum*, in paſſione te confortans, à morte majeſtate mea te reſuſcitans. Proinde *percuties Madian, quaſi unum virum;* quia morte tua interficies illum humani generis inimicum, per quem peccatum & mortis judicium intravit in hunc mundum. *Ille reſpondet;* cùm Virginis Filius, Filio Dei pro humano genere ſuæ humilitatis ſatisfactionem exhibet. *Si coram te inveni gratiam*, ſi per meæ humanitatis innocentiam tuam humano generi vis oſtendere miſericordiam. *Da mihi ſi-*

A. *gnum*, quò mundus te verum ſciat eſſe Deum. *Quòd tu* verus Dei Filius *ſis, qui ad me loquaris* verbum redemptionis. Hinc *ne recedas*, protectione tuæ Majeſtatis humanitatem meam ne deſtituas. *Donec ad te revertar*, donec electos meos omnes paſſione mea tibi reconciliem. *Portans ſacrificium* meæ paſſionis, *& offerens tibi* redemptionẽ humani generis.

Angelus reſpondet, cùm Filius Dei ſuæ humanitati in paſſionis myſterio favet. *Ego adventum tuum præſtolabor*, quia divinitatis meæ procuratione humanitatis tuæ redemptioni in crucis myſterio coo-
B. perabor. Sequitur:

Ingreſſus eſt itaq; Gedeon, & ℣. XIX.
coxit hœdum, & de farinæ modio azymos panes, carneſque ponens in caniſtro, & jus carnium mittens in ollam, tulit omnia & obtulit ei.

Cui dixit Angelus Domini: ℣. XX.
tolle carnes et azymos panes, & pone ſupra petram illam, & jus de-
C. *ſuper funde. Cumq; feciſſet ita,*

Extendit Angelus Domini ℣. XXI.
ſummitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos: aſcenditq; ignis de petra, & carnes azymosq; panes conſumpſit: Angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus.

Vidensq; Gedeon, quòd eſſet An- ℣. XXII.
gelus Domini, ait: heu mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem.

D. *Dixitque ei Dominus: pax te-* ℣. XXIII.
cum, ne timeas, non morieris.

Ædificavit ergo ibi Gedeon ℣. XXIV.
altare Domino, vocavítque illud: Domini pax, uſque in præſentem diem.

Gedeon ingreditur, cùm Chriſto humanum genus Deo Patri in ara crucis reconciliaturus, ipſe ſacerdos, ipſe hoſtia efficitur. De cujus ingreſſu dicit Apoſtolus: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bo-* Hebr. IX, 11. & 12.
norum, per amplius & perfectius taber-

naculum

naculum non manufactum, id eſt non hu- A *jus creationis, neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa.* Sic ergo ingreſſus *hædum coxit*, dum formam illam ſuæ humanitatis, per quam in ſimilitudine carnis peccati apparuit, paſſionis incendiô in ara crucis ſubjicit. Quòd enim per *hædum* humanitas Chriſti deſignetur, Samſon ille teſtatur, qui irruente in ſe Spiritu Dei dilaceravit leonem, *quaſi hædum* in fruſta diſcerpens, nihil omnino in manu habens.

Eadem 14 *Chriſtus enim per Spiritum Sanctum ſemetipſum immaculatum obtulit Deo, & emundavit conſcientiam noſtram ab operi-* B *bus mortuis ad ſerviendum Deo viventi.* Hinc & in lege præcipitur, ne hædus in lacte matris ſuæ coquatur, ſcilicet, ne Chriſtus Dominus ſub uberibus Virginis Matris ab Herode interficiatur. Gedeon *coquit de farinæ modio azymos panes*, dum Chriſtus de aſſumptæ humanitatis ſubſtantia in redemptionem humani generis deponit per mortem crucis ſanctiſſimam animam ſuam & corpus in oblationem ſuaviſſimi odoris. Sicut enim granum in mola conteritur, unde farina egreditur:

Joan. XII 24. ita *granum frumenti* in mola crucis conteritur, unde farinâ redemptionis con- C ſpergitur. Quæ profectò farina ab Heliſæo in ollam mittitur, per quam amaritudo coctionis temperatur: quia Chriſti Redemptio in totam maſſam humani generis ab initio uſque in finem ſæculi electi transmittitur. Quòd autem *panes azymi* deſcribuntur, per hoc ſanctiſſima Chriſti anima & caro ab omni contagione peccati fuiſſe immunes exprimuntur; ſicut & David ſacerdoti Abimelec percontanti re-

1. Reg. XXI 5. ſpondiſſe deſcribitur: *Equidem ſi de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudius tertius, quando egrediebamur, &* D *fuerunt vaſa puerorum ſancta.* Cujus literæ ſenſum ſi quis requirit, in Expoſitione noſtra ſuper librum Regum ſuo loco invenire poterit.

Gedeon *carnes in caniſtro ponit*, dum Chriſtus ſuæ Paſſionis ordinem in ſcriptura novi teſtamenti proponit. Caniſtrum enim de viminibus conficitur. Sic novum teſtamentum à ſanctis Apoſtolis conſcribitur, qui inſtar vilium virgarum ante mundationem Sancti Spiritûs tanquam idiotæ & pauperes deſpecti & viles habebantur. Unde Apoſtolus loquitur: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* 2. Corinth. IV. 7. Caniſtrum ore patulo intuentium oculis expanditur. Sic Scriptura novi teſtamenti redemptionis myſterium aperto ſermone Mundo eloquitur. Gedeon *jus carnium in ollam mittit*, quia Chriſtus dulce myſterium ſuæ paſſionis in prophetia recondit, quam olla exprimit. Sicut enim olla in imo diffunditur, in ſummo conſtringitur: ſic prophetia myſteriorum profunditate & immenſitate diffunditur, ſed ſermonum obſcuritate conſtringitur. Gedeon *omnia ſub quercum tulit, & angelo obtulit:* quia Chriſtus omnem ſuæ humanitatis Redemptionem veteri teſtamento includit, quam ipſe pro humano genere Creatrici Deitati in ara crucis deponit.

Dicit Gedeoni Angelus Domini: quia filio virginis oblationem ſuæ humanitatis præſcribit Filius Dei. *Tolle carnes & panes azymos*, tuæ paſſionis oblationem, & innocentiæ tuæ reconciliationem. *Pones ea ſuper petram illam*, de qua Moyſes per ictionem binam in eremo produxit aquam. *Jus deſuper funde*, Sacramento reconciliationis miſsô Spiritu S. de ſupernis, oblationem tuæ paſſionis infunde. *Gedeon ita fecit*, quia humanitas Chriſti præceptum divinitatis ſua paſſione complevit.

Angelus Domini ſummitatem virgæ extendit, cùm Filius Dei redemptionem animæ ſuæ in cruce deponit. *Quam manu tenet*, quia in ſua poteſtate eam habet. *Poteſtatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam.* Joan. X. 18. Hanc virgam Jeremias deſcribit, cùm requiſitus à Deo, quid viderit, *virgam vigilantem* ſe Jerem. I. 11. videre aſſerit. Angelus Domini *carnes & azymos panes tangit*, quia Filius Dei depoſitione ſanctiſſimi Spiritûs ſui, omnem ſuæ paſſionis & innocentiæ oblationem perficit.

Aliô modô Angelus Domini *ſummitatem virgæ extendit*; cùm Filius Dei redemptionem ſuæ crucis in ſalvationem humani generis oſtendit. *Quam in manu tenet*, quia per myſterium crucis, omnem judicii poteſtatem à Patre habet, ſicut ipſe in Evangelio dicit: *Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio.* Joan. V. 22. Et poſt Reſurrectionem ſuam: *Data eſt mihi*, inquit, *omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Matth. XXVIII. 18.

Digitized by Google

terra. Angelus Domini ſummitate virgæ *tangit carnes & azymos panes*, quia Filius Dei redemptione crucis omnem ſuæ paſſionis & innocentiæ conſummat oblationem. Hinc eſt quod Joanathas ſummitatem virgulæ, quam manu habet, extendit, & in favo mellis intingit: quia ordo propheticus, quem Jonathas exprimit, myſterium crucis, quam in ſua habet procuratione, dulcedine redemptionis perungit, quam favus mellis innuit.

Ignis de petra conſcendit, & carnes azymosq́ conſumit, quia Spiritus Sanctus, qui omne myſterium redemptionis ſua virtute diſponit, omnem Dominicæ Paſſionis & innocentiæ oblationem ad effectum humanæ ſalvationis ſua deſcenſione perducit. *Angelus Domini ex oculis Gedeonis evanuit*, cùm Chriſtus in cruce clamans voce magna exſpiravit.

Videt Gedeon, quòd Angelus Domini fuerit, quia Chriſtus in morte crucis oſtendit, quòd verè Filius Dei fuerit, ſicut centurio viſo terræ motu & ſignis, quæ fiebant, ait: *Verè filius Dei erat homo iſte.* (Marci XV. 39.) Proinde *Gedeon ait*, cùm Chriſtus in cruce humani generis querelam apud Deum deponit. *Heu mihi Domine Deus*, quaſi pro toto humano genere dicat ipſe Chriſtus: (Ibid. 34.) *Eloi, Eloi, lema ſabactani? hoc eſt, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?*

Quia vidi Angelum Domini facie ad faciem, quia vidi Filium Dei facie divinitatis, inedicibili vinculo unionis conjuncta ad faciem humanitatis.

Dominus ei dicit: cùm Deus Pater Chriſto in paſſione ſua redemptionem Mundi repromittit. *Pax* illa, quæ exuperat omnem intellectum, *ſit tecum*, qui es caput omnium electorum. *Ne timeas*; propter quòd ut homo mortalis in agonia deſudas. *Non morieris*, quia mortis corruptionem in tua carne non patieris, qui die tertia à morte reſuſcitaberis. *Non morieris*, qui per mortem crucis omnium electorum vita efficieris.

Gedeon ibi altare ædificat, quia Chriſtus in ſua Paſſione, quam *ibi* deſignat, altare ſanctæ crucis ſui ſanguinis infuſione dedicat, ſuper quo omnium ſuorum ab initio usque in finem ſæculi electorum, vota Deo Patri repræſentat. *Domini pax illud vocatur*, quia in altari ſanctæ crucis genus humanum Deo Patri reconciliatur.

Usque in præſentem diem, usque in illum æternitatis diem, quem ſemper præ oculis oportet habere præſentem. Sequitur

Cumque adhuc eſſet in Ephra, quæ eſt familiæ Ezri,

Nocte illa dixit Dominus ad ℣. XXV. *eum: Tolle taurum patris tui, & alterum taurum añorum ſeptem, deſtruesque Aram Baal, quæ eſt patris tui, & nemus, quod circa aram eſt, ſuccide:*

Et ædificabis altare Domino ℣. XXVI. *Deo tuo in ſummitate petræ hujus, ſuper quam ante ſacrificium poſuiſti, tollésque taurum ſecundum, & offeres holocauſtum ſuper ſtruem lignorum, quæ de nemore ſucciderts.*

Gedeon adhuc in Ephra commoratur, quæ *pulverulenta* interpretatur, cùm Filius Dei in carne converſatur, quæ de terra plaſmatur. Ephra *familiæ Ezri* eſſe ſcribitur, quæ *auxilium meum* dicitur: quia Chriſtus in aſſumpta humanitate vitæ præſidium Mundo efficitur.

Nocte illa Dominus ad eum loquitur, quæ in tota veteris teſtamenti pagina celebris invenitur. De hac enim nocte Moyſes dicit: *Nox iſta eſt obſervabilis Domini, quando eduxit Iſrael de terra Ægypti,* (Exod. XII. 42.) *hanc obſervare debent omnes filii Iſrael in generationibus ſuis.* Factum eſt in noctis medio, percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti. Hâc igitur nocte Dominus ad Gedeon dicit, cùm Deus Pater Paſſionis & Reſurrectionis Filii ſui myſterium per Spiritum Sanctum diſponit. *Tolle taurum patris tui*, ſcilicet populi Judaici, qui eſt cultus veteris teſtamenti. *Tolle taurum alterum ſeptem annorum*, per ſeptiformem Spiritum inſtituens novum teſtamentum. *Aram Baal*, quod *vetuſtas* dicitur, *quæ eſt patris tui, deſtrues:* quia vetuſtatem illam ceremoniarum carnalium novi tui teſtamenti inſtitutione ſubrues. *Nemus, quod circa aram eſt, ſuccides*, obſcuritatem ſcilicet illam literæ legalis per ſpiritum vivificantem excides.

Altare Domino Deo tuo in ſummitate petræ hujus ædificabis, quia in aſſumpta humanitate cognitionem Dei Patris mun-

oculis noſtris conſtruitur, à Prophetis ante legem, vel ſub lege poſitis *dicitur: Gedeon Filius Joas hæc omnia fecit*, quia Chriſtus de Abrahæ, vel Patriarcharum ſtirpe progenitus, myſterium Redemptionis perfecit.

Proinde viri oppidi *ad Joas dicunt:* cùm fideles ante legem, vel ſub lege poſiti, Chriſtum de Abrahæ vel Patriarcharum ſtirpe naſci totô cordis deſideriô expoſcunt. *Produc*, inquiunt, *filium tuum, ut moriatur*, illum Mundi Redemptorem, Filiæ tuæ Virginis Filium, educ de tua poſteritate, ut pro totius mundi vita mortis legatione fungatur. *Qui aram Baal deſtruxit*, pro *deſtruet: & nemus ſuccidit*, pro *ſuccidet:* quia ille Virginis Filius quandoque venturus conſtructionem illam carnalium ceremoniarum adventu ſuo ſubruet, & condenſam legis literam per ſpiritum vivificantem excidet.

Joas *reſpondet*, cùm ordo Patriarcharum futuræ Redemptionis myſterium fidelibus veteris teſtamenti expandit. *Numquid ultores Baal eſtis*, vos qui novi teſtamenti cultores apparetis in fide, ſpe & dilectione venturi quandoq; Redemptoris? *Ut pro eo pugnetis*, quem diu non poſſe durare pro certo ſcitis? *Qui ejus eſt adverſarius*, ſcilicet, ille qui vetuſtati carnalitatis prædicatione ſui Evangelii omninò eſt contrarius: *Moriatur, antequam lux craſtina veniat;* ſcilicet in cruce pendeat, antequam hujus ſæculi tempus pertranſeat. *Lux craſtina* veniet, cùm dies venturi ſæculi adveniet. *Si Deus eſt Baal*, qui colitur, ſi vera eſt ſecta vetuſtatis, quæ à carnalibus & voluptatis amatoribus diligitur. *De eo ſe vindicet, qui aram ejus ſuffodit*, pro *ſuffodiet:* quia idcirco turba principum ac ſacerdotum Chriſtum ad mortem crucis expetit, quia eum ſuæ carnalitati per omnia contrarium eſſe conſpicit.

Ex illo die Gedeon Jerobaal vocatur, qui *judicium Baal*, vel *jurgium ſuperioris* interpretatur; quia ex illa vel naturalis, vel ſcriptæ legis illuminatione Mundo declaratur, quòd Chriſtus pro eo in cruce quandoq; moriatur, ut per eum vetuſtas carnalitatis deſtruatur, & ille fortis armatus, iſto fortiore ſuperveniente, tanquam ſuperiore ſecum jurgante, foras ejiciatur. *Eò quòd Joas dixerit*, eò quòd Ordo Patriarcharum innumeris præfigurationibus hoc oſtenderit. *Ulciſcatur ſe de eo Baal, qui altare ejus ſuffodit*, populus carnalis Synagogæ per mortem crucis ſe de Chriſto vindicet, qui vetuſtam illam ceremoniarum legalium inſtitutionem ſui Evangelii novitate ſubruet. Sequitur:

Igitur omnis Madian, & Amalec, & orientales populi congregati ſunt ſimul: & tranſeuntes Jordanem, caſtrametati ſunt in valle Jezrael. ℣. XXXIII.

Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer, ut ſequeretur ſe. ℣. XXXIV.

Miſitq; nuntios in univerſum Manaſſen, qui & ipſe ſecutus eſt eum: & alios nuntios in Aſer & Zabulon & Nephtali, qui occurrerunt ei. ℣. XXXV.

Omnis Madian & Amalec, & orientales populi ſimul congregantur, cùm judicium illud ſcriptæ legis, quod per *Madian* intelligitur, vel ipſa legis traditio terrenæ oblectationi ſerviens, quæ per *Amalec* innuitur, vel figuræ ceremoniarum legalium, quæ quaſi veri Solis ortum ſuo candore præeuntes per *orientales nationes* exprimuntur, non veram ſalvationem, ſed peccati potiùs oſtenſionem in populo carnali operantur. *Jordanem tranſeunt*, cùm baptiſmi & Reſurrectionis præfigurationes in cultu circumciſionis & Sabbati peragunt. *Caſtra in valle Jezrael metantur*, quæ *ſemen Dei* interpretatur: dum in Synagoga demorantur, in qua repromiſſio ſeminis Abrahæ conſervatur.

Spiritus Domini Gedeon induit, quia Spiritus Sanctus Chriſto Domino in Virginis utero ad mundi Redemptionem carnis amictum tribuit. *Gedeon buccinâ clangit*, cùm Filius Dei in primordio ſæculi per legem naturalem ſuis fidelibus fidei & dilectionis ſuæ affectum ingerit. *Domum Abiezer convocat*, qui *frater meus adjutor* ſonat, dum fideles ſub lege naturali conſtitutos per fidem ad ſe invitat, quâ eum in plenitudine temporis fratrem ſuum, & mundi Redemptorem venturum ſperant. *Ut ſe ſequatur*, ut ſibi veræ fidei & dilectionis unitate jungatur.

Gedeon *nuncios in univerſum Iſrael mittit*, dum Filius Dei ſcriptæ legis apices,

vel Prophetiam ſuis fidelibus ſub lege poſitis diri-A. git. *Manaſſes* enim *oblitus* vel *neceſſitas* dicitur, quo nomine eorum perfectio exprimitur, qui ſub lege poſiti in vera expectatione Filii Dei terrena obliviſcuntur, & ceremoniis legalibus neceſſitate potius quàm voluntate aſtringuntur. Unde rectè ſubditur: *& ipſe eum ſequitur*, quia fidelis populus ſub lege poſitus vera fide & dilectione venturo quandoque Redemptori ſuo jungitur. Gedeon *alios nuncios in Aſer & Zabulon & Nephthalim mittit*, dum ipſe Redemptor in carne veniens prædicatione ſui Evangelii diverſis temporibus diverſos Eccleſiæ ſuæ ordines ad ſe attrahit. *Aſer* enim *Beatus* dicitur, per quem ordo Apoſtolorum exprimitur, cui ab ipſo Chriſto Domino dicitur: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico autem vobis, quòd multi Reges & Prophetæ voluerunt vi-*B.*dere, quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.* (Luc. X. 23. & 24.) Zabulon *habitaculum fortitudinis* interpretatur, per quem ordo Martyrum figuratur, qui vera Spiritûs & carnis fortitudine diabolo & mundo reluctatur. Nephthalim *dilatatus* dicitur, per quem ordo ſanctorum Confeſſorum exprimitur, qui decurſo tempore Martyrum in vera dilectione Chriſti Domini extenditur. *Aſer & Zabulon & Nephthalim Gedeon occurrunt*, dum ſancti Apoſtoli, Martyres, Confeſſores vera fide & dilectione Chriſtum Dominũ excipiunt. Sequitur:

℣. XXXVI. *Dixitq́ Gedeon ad Dominum, ſi ſalvum facis per manum meam Iſrael, ſicut locutus es:*

℣. XXXVII. *Ponam vellus hoc lanæ in area. Si ros in ſolo vellere fuerit, & non in omni terra ſiccitas, ſciam quòd per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſrael.*

Antiqua expoſitio hujus literæ cunctorum patet notitiæ, quæ per velleris infuſionem Synagogæ irrigationem, per totius terræ ſiccitatem, gentium notat ariditatem. Rurſumq; per velleris ſiccitatem Judeæ cœcitatem, per totius terræ infuſionem, gentilitatis deſcribit viſitationem. Nota quidem, & ab omnibus approbata eſt expoſitio iſta: ſed quia juxta prophetiam Danielis *pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia*, (Dan. XII. 4.) expoſitioni veteri, nova jungatur ſententia, quæ rectæ fidei, & ſano intellectui, puto, quia non ſit contraria.

Gedeon ad Dominum dicit, cùm Filius Dei ſuæ Redemptionis myſterium cum Patre in plenitudine temporis inſtituit. *Si per manum meam Iſrael ſalvum facis*, ſi per meæ Incarnationis humilitatem, electis tuis æternam ſalvationem dirigis. *Sicut es locutus*, ſicut ab antiquo Patriarchis & Prophetis es pollicitus.

Vellus hoc lanæ in area ponam, quia ſuſceptæ humanitatis & humilitatis habitum Catholicæ Eccleſiæ in exemplum timoris & amoris tui proponam. Quod enim per *vellus* humanitas Chriſti deſignetur, Pſalmiſta teſtatur: *Deſcendet*, inquit, *ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Quæ etiam rectè *lanæ* comparatur, quia per eam peccatorum noſtrorum nuditas contegitur, & ſicut lana operantium manibus carpitur: A. ſic Chriſti ſanctiſſima humanitas crucifigentium manibus diſcerpitur.

Quòd autem per *aream* Eccleſiæ Catholicæ unitas deſignetur, Noemi illa atteſtatur, quæ nurui ſuæ Ruth loquitur: *Booz iſte hac nocte aream hordei ventilat. Lavare ergo & ungere, & induere cultioribus veſtimentis, ac deſcende in area.* (Ruth III. 2. 3.) Per *aream* quoque prædicationis labor exprimitur, ſicut Levitis per Moyſen dicitur: *Si præclara & meliora quæq́, obtuleritis ex decimis veſtris, reputabitur vobis quaſi de area & torculari primitias dederitis.* (Num. XVIII. 30.) Levitæ præclara quæq; ex decimis offerunt, cùm electi divinâ vocatione de hujus mundi inquinamentis educti, caſtitatis, humilitatis, continentiæ & obedientiæ, continuæ orationis, & meditationis præclaram decimationem conſpectui Cre-B.atoris ſui quotidie ingerunt. Quibus nimirum ita hoc reputabitur, quia ita fidelis eorum perſeverantia in cœleſti Regno remunerabitur. Quaſi de area & torculari primitias dederint: quaſi de inſtantia prædicationis, quæ per aream, vel de conſtantia paſſionis, quæ per torcular exprimitur, primitivos fructus obtulerint. *Gedeon* ergo *vellus lanæ in aream ponit*, cùm Chriſtus prædicatorum omnium primus & ſummus ſua Incarnatione Mundum hunc ingreſſus, pro ſalvatione humani generis ipſe prædicationis laborem arripit. Unde Iſaias Propheta dicit in ejus perſona: *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit me, ad evangelizandum pauperibus miſit me.* (Iſa. LXI. 1.)

Ros in ſolo vellere fuit, cùm Sancti Spiritûs inundatio in ſolo mediatore in carne degente appa-C.ruit, per quam ipſe ſui Evangelii prædicatione totius Mundi ariditatem irrigavit. *In omni terra ſiccitas fuit* illa, de qua Jeremias verbum Domini ad ſe factum deſcribit: *Luxit Judea, & portæ ejus corruunt, & obſcurati ſunt in terra, & clamor Jeruſalem aſcendit. Majores miſerunt minores ad aquam, venerunt ad hauriendum, non invenerunt aquam, reportaverunt vaſa ſua vacua. Confuſi ſunt & afflicti, & operuerunt capita ſua propter vaſtitatem terræ, quia non venit pluvia in terram. Confuſi ſunt agricolæ, & operuerunt capita ſua. Nam & cerva peperit in agro, & reliquit, quia non erat herba. Et onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum quaſi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.* (Jerem. XIV.) Judea luget, cùm Synagoga fidelis promiſſæ ſibi Redemptionis dilatio-D.nem deflet. Portæ ejus corruunt, cùm Doctores Synagogæ tardante mundi Redemptione à fidei, ſpei & dilectionis priſtinæ ſublimitate decidunt. In terra obſcurantur, dum refrigeſcente Dei charitate terrenis oblectationibus implicantur. De qua obſcuritate hic idem Propheta in Threnis ſuis queritur: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? Diſperſi ſunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum.* (Thren. IV. 1.) Proinde clamor Jeruſalem aſcendit, dum deſiderium populi fidelis ad expectationem venturi Redemptoris ſe extendit. Majores ad aquam minores mittunt, dum ſancti Patriarchæ Filiis ſuis ſanctis Prophetis innuunt, ut per prophetiæ ſuæ ſcripturam ſitienter inquirant aquam illam, de qua Salvator in Evangelio dicit ad Samaritanam: *Qui biberit aquam, quam ego do, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* (Joan. IV. 14.)

Unde

Digitized by Google

Unde hiſtoria libri Regum narrat, quia Prophetes quidam ſenex in Bethel habitabat. (III. Reg. 13.) *Ad quem venerunt Filij ſui, & narraverunt ei omnia opera, quæ fecerat vir DEI in illa die in Bethel, & verba quæ locutus fuerat ad Regem, & narraverunt Patri ſuo. Et dixit eis Pater eorum: Per quam viam abijt? Oſtenderunt ei filij ſui viam, per quam abierat vir DEI, qui venerat de Juda. Et ait filijs ſuis: Sternite mihi aſinum.* Prophetes ſenex, qui in Bethel habitat, ordinē Sanctorum Patriarcharum deſignat. Qui in illo veteri teſtamento habitat, dum ſuis dictis vel factis legiſlatori ſcribendi materiam miniſtrat, vel circumciſionis & ſacrificiorum ritu Synagogam ædificat. Ad hunc filij ſui veniunt, cùm Prophetæ ſancti, ab ipſo in Synagoga generati, fidei & dilectionis unitate & ſimilitudine ipſi occurrunt. Narrant ei omnia opera, quæ vir DEI illa die in Bethel fecerat, & verba quæ ad Regem locutus fuerat: quia Prophetæ Sancti conditores veteris teſtamenti omnia facta & verba ſuis ſcriptis denotant, quæ Filius DEI in illa die ſuæ propitiationis naſcendo, prædicando, moriendo, reſurgendo & aſcendendo in Synagoga demonſtraturus fuerat. Hæc Patri ſuo narrant, quia Prophetæ Sancti ſubtiliùs & perſpicaciùs Sanctis Patriarchis Chriſti Sacramenta conſiderant. Unde David dicit: (Pſalm. CXVIII. 99.) *Super omnes docentes me intellexi. Super ſenes intellexi.* Et dixit eis Pater eorum: Per quam viam abijt? Oſtenderunt ei filij ſui viam, per quam abierat vir DEI, qui venerat de Juda. Pater à filijs requirit, per quam viam vir DEI abierit, dum ordo Patriarcharum filijs ſuis Sanctis Prophetis per Spiritum Sanctum innuit, ut ſolicitè conſiderare ſtudeant, quòd Filius DEI oblatione ſui ſanguinis novum teſtamentum inſtituendo, de hoc Mundo ad Patrem tranſeat. Filij Patri viam oſtendunt, cùm Sancti Prophetæ dicendo & ſcribendo novi teſtamenti inſtitutioni deſerviunt. Viam oſtendunt, per quam vir DEI abierat, qui de Juda venerat: dum Sancti Prophetæ ſcriptis ſuis denunciant, quomodo Chriſtus de tribu Juda naſciturus, quomodo ſuo ſanguine novi teſtamenti mediator ſit futurus. Et ait filijs ſuis: ſternite mihi aſinum. Dicit ordo Patriarcharum ordini Sanctorum Prophetarum. Dicit eis per Spiritum Sanctum: ſternite mihi aſinum, veſtris ſcilicet vaticinijs venturæ quandoque redemptionis, canite myſterium. Quòd enim per aſinum prædicationis myſterium deſignetur, Jacob Patriarcha in ſuis benedictionibus proteſtatur: *Iſachar aſinus fortis habitans inter terminos.* (Gen. XLIX. 14.) Qui cùm ſtraviſſent, aſcendit & abijt poſt virum DEI, & invenit eum ſedentem ſubtus terebinthum. Filij aſinum ſternunt: quia Prophetæ Sancti à Spiritu Sancto ſibi injunctum prædicationis officium, prophetando & ſcribendo peragunt. *Minores* ergo *ad hauriendam aquam veniunt*, cùm Sancti Prophetæ continuæ meditationi prophetiæ ſuæ intendunt, quâ Filij DEI Redemptionem Mundo propinare contendunt. Aquam non inveniunt, quia redemptionem Mundi, quam ſpiritu prophetico deprehendunt, corporeis oculis ipſi non conſpiciunt. Unde ipſe ſuis diſcipulis loquitur: *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ videtis, & non viderunt.* (Lucæ. X. 24.) Proinde vaſa ſua vacua reportant, cùm exactô ſuæ prophetiæ miniſteriô, gementes ex hac vita migrant, & quòd Redemptorem Mundi in carne non viderint, vehementer deplorant. Vaſa ſua vacua reportant, cùm ad infernum deſcendentes Majoribus ſuis Sanctis Patriarchis gementes denuntiant, quòd eum in carne videre non meruerint, cujus Redemptionem Mundo ipſi prophetaverint. Unde continuis confunduntur lachrymis, affliguntur ſuſpirijs, juxta illud teſtimonium Pſalmiſtæ dicentis: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt DEus tuus?* (Pſalm. XLII. 4.) Proinde capita ſua operiunt, dum Redemptionis Chriſti Myſteria typicis ſermonum ſuorum velaminibus contegunt. De quibus capitibus Principes Philiſtiim Regi Achis loquuntur, cùm adverſus eum pro David iraſcuntur: *Revertatur*, inquiunt, *vir, & ſedeat in loco ſuo, in quo conſtituiſti eum, & non deſcendat nobiſcum in prælium, nè fortè fiat nobis adverſarius, cùm præliari cœperimus. Quomodo enim aliter placare poterit Dominum ſuum, niſi in capitibus noſtris?* (I. Reg. XXIX. 4.) Principes Philiſtiim adversùs Achis iraſcuntur, cùm Patriarchæ & Prophetæ pro populi Judaici condemnatione quaſi contra populum gentium doloris immanitate ſuccenduntur. Irati dicunt, dum pro Synagogæ per-

Digitized by Google

perditione contriſtati, Eccleſiæ gentium
Chriſti myſteria prædicunt. *Vir*, inquiunt,
Jerem. XXIX. 22. Pſ. I. 1. ille, quem *fœmina circumdabit*, *qui in con-
ſilio impiorum non abiit*, *& in via peccato-
rum non ſtetit*, *& in cathedra peſtilentiæ non
ſedit*. Vir ille revertatur, ſcilicet in cru-
cis craticula pro Mundi ſalute reverſetur,
ut per eum, qui panis eſt Angelorum,
omnium electorum hominum eſuries re-
ficiatur. Sedeat in loco ſuo, in quo eum
conſtituiſti, ſcilicet per humilitatem aſ-
ſumptæ humanitatis quieſcat in crucis pa-
tibulo, quò tu eum tuæ dilectionis bra-
chiis attraxiſti. Tu enim ſponſa ejus,
cor ejus vulneràſti: quia ùt in cruce ipſe
vulneraretur, tuo amore tu effeciſti.
Non deſcendat nobiſcum in prælium, ſci-
licet in illud ſacrificiorum & ceremonia-
rum legalium ipſe non veniat commer-
cium, quia nos paſſionis ejus & Re-
demptionis in hac vita non exſpectabi-
mus myſterium. Nè fortè fiat nobis ad-
verſarius, cùm præliari cœperimus, quia
figurativa illa noſtra ſacrificia, quibus
nos morti reluctamur, ipſe verò ſui ſan-
guinis ſacrificiò evacuabit, quò mortem
& mortis auctorem penitus expugnabit.
Quomodo enim Dominum ſuum aliter
placare poterit? Quomodo DEum Pa-
trem, cujus ſe ſervum carnem aſſumen-
do, & de Virgine naſcendo fecit, hu-
mano generi reconciliabit, niſi in illis ſuæ
Incarnationis, Paſſionis, Reſurrectionis
& Aſcenſionis ſacramentis, quæ ſunt ca-
pita noſtræ redemptionis? Hæc ergo ca-
pita ſua Prophetæ operiunt propter ter-
ræ vaſtitatem, propter inviſam ſibi in
ceremoniis legalibus Synagogæ ſiccita-
tem. Quia *pluvia non venit* illa, de qua
Pſal. LXVII. 10. Pſalmiſta dicit: *Pluviam voluntariam ſegre-
gabis DEus hæreditati tuæ*. Proinde agri-
colæ confunduntur, dum ipſi Prophe-
tiæ cultores Sanctæ Eccleſiæ continuis
gemitibus & lachrymis infunduntur.
Operiunt capita ſua typicis ſermonibus
& præfigurationibus velantes redemptio-
nis myſteria. Cerva in agro parit,
& relinquit: quia ordo Doctorum
Synagogæ in exercitio prædicatio-
nis, quod ager exprimit, filios parit, &
imperfectos relinquit, quia *nihil ad per-
fectum lex adducit*. De qua cerva loqui-
Job. XXXIX. 1. 2. 3. tur ad Job ipſe Deus; *Numquid parturien-
tes cervas obſervâſti, dinumerâſti menſes con-*

A. *ceptûs earum, & ſciſti tempus pàrtûs earum?
Incurvantur ad fœtum & pariunt, & rugitus
emittunt*. Partum ergo ſuum in agro cer-
va relinquit, dum ordo Doctorum Sy-
nagogæ prædicationis ſuæ fructum im-
perfectum dimittit. *Quia non eſt herba* illa,
de qua dicit Achaz ad Abdiam in libri
Regum hiſtoria: *Vade in terram ad univer-* III. Reg.
ſos fontes aquarum, & in cunctas valles, ſi for- XVIII. 5.
*tè invenire poſſimus herbam, & ſalvare equos
& mulos, & non penitus jumenta intereant*.
Dicit Achaz ad Abdiam, dicit populus Ju-
daicus ad prophetiam: Vade in terram
B. per collatam tibi Spiritûs S. gratiam, In-
carnationem Filii DEI mihi denuncia
futuram. Ad univerſos fontes aquarum
veteris teſtamenti, & in cunctas valles
novi teſtamenti. Si fortè invenire poſ-
ſimus herbam, Incarnationem Re-
demptoris Mundi teneram. Et ſalvare
equos, altitudinem cœleſtium myſterio-
rum, & mulos, infœcunditatem lega-
lium literarum. Tunc enim equi & mu-
li in herba ſalvantur, cùm & literæ te-
ſtamenti veteris, & myſteria recondi-
ta in literis per Chriſti humanitatem con-
ſummata declarantur. Et ne penitus
C. jumenta intereant, ſcilicet nè figurativa
ſacrificia & circumciſionis, vel Sabbati
myſteria pereant, quæ quaſi bruta &
animalia muta Spiritum mundi jam jam-
que laſſeſcentem ſuſtentant. *Onagri ſtant
in rupibus*, dum fideles Synagogæ contem-
plativi in contemplationis ſuæ eminent
excelſis verticibus. *Ventum quaſi Draco-
nes trahunt*, dum illo igne ſucceniſi, de
quo in Evangelio dicunt duo illi: *Non-* Luc. XXIV. 32.
*ne cor noſtrum ardens erat in nobis, cùm
in via loqueretur nobis*, os cordis ſui ape-
riunt, & Spiritum compunctionis in fide,
ſpe, & dilectione venturi quandoque
Redemptoris de ſupernis attrahunt.
D. *Oculi eorum deficiunt*, cùm acies contem-
plationis eorum tardante mundi re-
demptione paulatim laſſeſcunt. *Quia
non eſt herba*, quæ in præſepio poſita re-
ficiat animalia fidelia. De his onagris
ſitientibus loquitur ad Job Dominus:
Quis dimiſit onagrum ſuum liberum, & vincula Job. XXXIX.
ejus quis ſolvit? Cui dedi in ſolitudine domum, 5. 6. 7.
& tabernacula ejus in terra ſalſuginis. Contem- & 8.
*nit multitudinem civitatis, clamorem exacto-
ris non audit. Circumſpicit montes pa-
ſcua ſua, & virentia quæque perquirit.*
Quia

Digitized by Google

Quia ergo hæc per exceſſum locuti ſumus, ut verbum ſiccitatis aliquomodo exprimeremus, nunc ad expoſitionis ordinem redeamus.

Dicit Gedeon Domino: Dicit DEI Filius Patri DEO. *Si ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas*, ſcilicet cùm mea humanitas cœleſtis prædicationis rore infuſa Mundo apparuerit, ſi ſiccitatem ſuam fidelium populus eatenus recognoſcere cœperit, ut eſuriem & ſitim juſtitiæ in ſe experiri poſſit, & ad te Creatorem ſuum oculos ſpei attollere velit: *Sciam* per illam mihi à te ingenitam ſapientiam, quæ omnem Angelicam & humanam excedit intelligentiam: *Quod per manum meam Iſraël liberabis*, quòd per incarnationis meæ myſterium electos meos de ignorantiæ tenebris ereptos, vera DEI & ſui cognitione illuminabis. *Sicut es locutus*, cùm de Redemptionis meæ myſterio Patriarchis & Prophetis tuis es teſtificatus. Sequitur:

℣. XXXVIII *Factumque eſt ita: & de nocte conſurgens expreſſo vellere concham rore complevit.*

Factum iſtud tam in veteri quàm in novo teſtamento frequenter replicatur, quod magna myſteriorum eminentia utrobique comitatur. *Gedeon de nocte conſurgit*, cùm Chriſtus nocte de Matre Virgine natus, verus DEUS & homo in hunc Mundum procedit. De qua nocte
Iſa. XXI. 11. Iſaias dicit: *Cuſtos qui de nocte, Cuſtos qui de nocte?* Cuſtos humani generis, qui de nocte natus de Matre Virgine, mundi tenebras tuo adventu illuſtrabis, cuſtos qui de nocte reſurgens à morte, de inferno & mortis imperio tua Reſurrectione triumphabis. *Gedeon vellus exprimit*, cùm Chriſtus poſitus in præſepio, paſtoribus vel Magis, Judæorum vel gentium primitiis aſſumptæ humanitatis & humilitatis habitum expandit. *Concham rore complet*, dum illam maris ſtellam, Virginem & Matrem ſuam ſanctiſſimam MARIAM totius miſericordiæ rore infuſam, ſuo ortu miſeris & deſperatis ſpei refrigerium exhibet. Concha enim maris circumciſa lachrymas purpurei coloris emittere perhibetur, quibus purpura Regis tingitur. Sic ipſa mundi Domina, maris ſtella B. V. Maria formâ humanitatis Filium DEI induit, qua cunctis peccatoribus

A. ſpem indulgentiæ tribuit. *Gedeon concham rore complet*, cùm Chriſtus de Virgine natus Eccleſiam Catholicam indulgentiæ remedio implet. Sequitur

Dixitque rurſus ad Dominum ℣. XXXIX.
Gedeon: Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentavero ſignum quærens in vellere. Oro ut ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens.

Fecitque Dominus nocte illa, ℣. XXXX.
ut poſtulaverat, & fuit ſiccitas in B. *ſolo vellere, & ros in omni terra.*

Gedeon rurſus ad Dominum dicit, cùm Chriſtus per Spiritum S. ſuæ Paſſionis myſterium inſtituit. *Ne iraſcatur furor tuus contra me*, qui per humilitatem Paſſionis meæ pro totius humani generis perditione intervenio apud te. *Si adhuc ſemel tentavero*, ſi adhuc in hujus ſæculi tempore veſpertino pro totius generis humani debito in ara crucis guſtum mortis accepero. Quod enim per *ſemel* Chriſti Paſſio deſignetur, pleriſque in locis utriuſque teſtamenti invenitur, ſicut ubi
C. Dalila Principibus Philiſtiim loquitur:
Aſcendite adhuc ſemel, quia nunc mihi aperuit Jud. XVI. 18.
omne cor ſuum. Sic in hiſtoria libri Regum legitur, ubi Rex Syriæ cum ſervis ſuis loquitur: *In loco illo & illo ponamus inſidias.* IV. Reg. VI. 8. 9. 10.
Miſit itaque vir DEI ad Regem Iſraël dicens: Cave ne tranſeas in loco illo, quia ibi Syri in inſidijs ſunt. Miſit itaque Rex Iſraël ad locum, quem dixerat ei vir DEI, & præoccupavit eum, & obſervavit ſe ibi non ſemel neque bis. Rex enim Syriæ eſt ſublimis Eccleſia gentium, quæ dicit fidelibus ſuis ſub veteri teſtamento conſtitutis: *In loco illo & illo ponamus inſidias*, ſcilicet Incarna-
D. tioni, Paſſioni Redemptoris noſtri ſollicitas, ſed latentes tendamus excubias. Rex Iſraël locum præoccupat, cùm populus Judaicus ſcientiam legis ſibi vendicat, in qua myſterium redemptionis latitat. Ibi non ſemel neque bis obſervat, dum myſterium paſſionis & crucis non conſiderat. *Semel* enim paſſionem deſignat, *bis*, propter duo ligna, crucis myſterium repræſentat. De hoc *ſemel*
Apoſtolus loquitur: *Chriſtus ſemel in con-* Hebr. IX. 26.
ſummatione ſæculorum ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit. Hoc enim per
ſemel innuitur, quòd *Chriſtus reſurgens à* Rom. VI. 9.
mor-

Digitized by Google

mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non A. *dominabitur.*

Signum quærens in vellere, quod datum Matth. XII. 40. fuit Jonæ Prophetæ. *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ita erit Filius hominis in corde terræ.*

Oro, ut ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens. Oro, qui à te ſemper exaudiri me ſcio. *Ut ſolum vellus ſiccum ſit*, ſiccitate illa, de qua Ezechiel Propheta dicit, cùm aquilam alarum magna- Ezech. XVII. 10. rum deſcribit: *Nonne cùm tetigerit eam ventus urens, ſiccabitur, & in areis germinis ſui areſcet?* Nonne humanitas Chriſti ma- B. defacta in cruce præfluvio ſanguinis ſui per gratiam Sancti Spiritûs, qui per ventum urentem exprimitur, à reſolutione mortis potentiâ ſuæ reſurrectionis confirmabitur? Et in areis germinis ſui areſcet, quia per gratiam S. Spiritûs, qui germen conceptionis dedit utero Virginis, humanitas Chriſti à tabe corruptionis arefacta, in Reſurrectionis ſuæ gloria revireſcet? Proinde *omnis terra rore madeat*, ſcilicet omnis multitudo gentium, quæ in tenebris ignorantiæ ſedebat, per Chriſti Reſurrectionem divinæ cognitionis mundatione polleat.

Nocte illa, quæ, ſicut prædictum eſt, celebris eſt in tota veteris teſtamenti hiſtoria, *Dominus facit, ùt Gedeon poſtulat*: quia nocte illa ſacro-ſancta DEUS Pater, Chriſtum Dominum à morte reſuſcitat. *Siccitas eſt in ſolo vellere*, quia ſola caro Chriſti Reſurrectionis ſuæ vegetata virtute immunis eſt ab omni corruptionis tabe. Proinde *ros eſt in omni terra*, quia Chriſti Reſurrectione fœcundata, Sancti Spiritûs gratiâ, tota per orbem terrarum redundat gentium Eccleſia. Sequitur:

Caput VII.

℣. I. *IGitur Gedeon, qui & Jeroboal, de nocte conſurgens & omnis populus cum eo, venit ad fontem, qui vocatur Harad. Erant autem caſtra Madian in valle ad ſeptentrionalem plagam collis excelſi.*

℣. II. *Dixitque Dominus ad Gedeon: multus tecum eſt populus, nec tradetur Madian in manus ejus, ne* A. *glorietur contra me Iſraël, & dicat: meis viribus liberatus ſum.*

Loquere ad populum, & cunctis audientibus prædica: qui formidoloſus & timidus eſt, revertatur. Receſſerúntque de monte Galaad, & reverſi ſunt de populo viginti duo millia virorum, & tantùm decem millia remanſerunt. ℣. III.

Dixítque Dominus ad Gedeon: adhuc populus multus eſt, duc eos B. *ad aquas, & ibi probabo illos: & de quo dixero tibi, ut tecum vadat, ipſe pergat: quem ire prohibuero, revertatur.* ℣. IV.

Cumque deſcendiſſet populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: qui lingua lambuerint aquas, ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum: qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt. ℣. V.

Fuit itaque numerus eorum, C. *qui manu ad os projiciente lambuerunt aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.* ℣. VI.

Et ait Dominus ad Gedeon: in trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum ſuum. ℣. VII.

Sumptis itaque pro numero D. *cibarijs & tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula ſua: & ipſe cum trecentis viris ſe certamini dedit. Caſtra autem Madian erant ſubter in valle.* ℣. VIII.

Jeroboal, qui & Gedeon, de nocte conſurgit: cùm Chriſtus nocte ſacro-ſancta de ſepulchro reſurgit. Qui rectè hìc *& Gedeon & Jeroboal* ſcribitur: quia per hoc quod uterum Virginis ingreditur, judicium vetuſtatis ſua paſſione efficit: & per hoc, quòd fortem illum armatum fortior ipſe devincit, Mundum totum ſuæ Maje-

ſtatis

Digitized by Google

ſtatis circuitu ſibi ſubigit. *Omnis populus* A.
cum eo conſurgit: quia omnis electorum
multitudo ante legem, ſub lege, ſub gra-
tia, in fide Reſurrectionis ejus ſe exten-
dit. *Venit ad fontem, qui Harad vocatur*,
qui *conſurrectio deſcenſionis*, aut *teſtimonium*
deſcendens interpretatur: quo nomine San-
cta Scriptura figuratur, quæ Chriſti de-
ſcenſione ad inferos, vel ejus Reſurrectio-
ne & Aſcenſione ad ſuperos expanditur,
dum ipſo in cruce moriente velum tem-
pli ſcinditur. Rectè autem per *fontem*
Scriptura deſignatur, qua ſordes peccato-
rum abluuntur, qua mentes fidelium re-
ficiuntur. *Caſtra Madian in valle locantur*, B.
quia veteris teſtamenti carnalis intelli-
gentia in Synagoga, carnalitati dedita,
conſervatur. *Septentrionalis plaga* eſt gen-
tium Eccleſia ab aquilone vocata, & a-
quiloni illi oppoſita, quem magnificè glo-
Iſa. XIV. riantem deſcribit Iſaias Propheta: *Po-*
14. *nam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis*
Altiſſimo. *Collis excelſus eſt* novi teſtamen-
ti cultus, ad quem ſe confert gentium
populus ab aquilone vocatus, & aquiloni
oppoſitus.

Dominus ad Gedeon dicit: cùm DEus
Spiritum S. de cœlis mittit, quo Chriſti C.
Matth. Eccleſiam inſtituit. *Multus*, inquit, *te-*
XX. 16. *cum eſt populus*, quia *multi vocati, pauci ſunt*
electi. Multus tecum eſt populus, qui Do-
minis vult ſervire duobus. *Madian in*
manus ejus non tradetur, quia ille, qui au-
ctor mortis vocatur, qui judicium mor-
tis operatur, non multitudine, ſed virtu-
te credentium ſuperatur. *Ne contra me*
Iſraël glorietur, ſi ſua virtute ſalvetur: ſed,
I. Cor. X. ut *qui gloriatur, in Domino glorietur*. *Ne*
17. *Iſraël dicat*, qui ſola fidei profeſſione di-
micat: *Meis viribus ſum liberatus*, qui ſo-
la baptiſmi ſanctificatione & fidei pro-
feſſione ſum ſalvatus.

Loquere ad populum per commiſſum
prædicatoribus Evangelij officium verita-
tis teſtimonium. *Cunctis audientibus præ-*
Matth. X. *dica*, quia *quod in aure*, inquies, *audiſtis*,
27. *prædicabitur ſuper tecta*. *Qui formidoloſus &*
timoratus eſt, revertatur, ſcilicet qui inani
timore & ſollicitudine laborat, ad ſpiri-
talis militiæ procinctum ſe non moveat.
Eccle. XI. *Qui* enim *obſervat ventum, non ſeminat, &*
4. *qui conſiderat nubes, nunquam metet*. Proin-
de homo inani timore laborat, qui per ſe,
non per Dominum incurſus malorum,
& pericula tentationum evadere ſe poſſe

cogitat. Quo contra Pſalmiſta dicit:
Jacta in Dominum cogitatum tuum, & ipſe te Pſal. LIV.
enutriet: non dabit in æternum fluctuationem 23.
juſto. Hinc etiam Iſaias Propheta dicit: Iſa. IX.
Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudi- 31.
nem, aſſument pennas ut aquilæ, volabunt &
non deficient. *Viginti & duo millia virorum*
figuram tenent carnalium & imperfecto-
rum, qui in ſola tantùm fidei profeſſio-
ne, & baptiſmi ſanctificatione æternæ
vitæ ſpem volunt habere. Qui *de monte*
Galaad recedit: quia de illa ſublimitate
Evangelicæ perfectionis victi amore
mundi vel carnis retrò cedunt. *Rever-*
tuntur, quia in ſuis voluptatibus rever-
ſantur. Tantùm *decem millia remanent*,
quæ typum illorum tenent, qui interio-
rum & exteriorum ſenſuum plenariam
adminiſtrationem quaſi decem talento-
rum procurationem divinitùs poſſident.

Dominus ad Gedeon dicit: cùm DEus
omnipotens poſt initium Converſionis,
in medio probationis fideles ſuos per
Chriſtum inſtituit. *Adhuc*, inquit, *eſt*
populus multus, qui arctâ & anguſtâ viâ
regni cœleſtis non vult eſſe contentus.
Duc eos, tu, qui Iſraël regis, *ad aquas* con-
tradictionis, quæ ſunt undæ tentationis,
& ibi probabo illos, qui remunerator ſum
fidelis perſeverantium in propoſito meæ
dilectionis. *De quo tibi dixero*, quem fi-
dei & dilectionis meritô, crucis & Paſſio-
nis tuæ calamô, & ſanguinis tui attra-
mentô in libro vitæ adſcripſero. *De quo*
tibi dixero, quem Spiritu tuo duplici in
amore mei & proximi ſignavero. *Ut te-*
cum vadat, ut tuæ humilitatis & paſſionis
ſocius fiat. *Ipſe pergat*, quem nec proſpe-
ritas, nec adverſitas à tuo comitatu retra-
hat. *Quem ire prohibuero*, quem amore
mundi vel carnis ab amore meo torpen-
D. tem videro: Sicut canis ad vomitum
ſuum *revertatur*, vel ùt ſus in volutabro
luti in ſuis voluptatibus reverſetur.

Populus ad aquas deſcendit, quia fide-
lis quiſque poſt initium converſionis
amaritudinem tentationis excipit. Pro-
inde *Dominus ad Gedeon dicit*: Cùm DEus
Pater fideles ſuos per Chriſtum tentatio-
num examine diſcernit. *Qui linguâ aquas*
lambuerint, ſcilicet, qui carnis curam in
deſiderijs non fecerint, ſed ſoli corporeæ
neceſſitati guſtu tantùm naturali ſatisfe-
cerint. *Sicut ſolent canes lambere*, ſicut ve-
ri Prædicatores omnes corporis ſui ne-

Digitized by Google

ceſſitates in tranſitu ſtudent diſponere. A. *Seorſum eos ſeparabis*, quia ſurſum eis cœleſtis regni gaudia & commoda præparabis. *Qui autem curvatis genibus biberint*, ſcilicet, qui tota mentis intentione, tota ſtudij ſui devotione voluptati carnis ſatisfecerint. *In altera parte erunt*, ubi
Luc. XVI. 35. quandoque audituri erunt: *Recepiſti bona in vita tua.*

Trecenti viri numerantur, qui per figuram T. Dominicæ Paſſionis imitationi annotantur. *Qui manu ad os projiciente aquas lambunt*, qui curam carnis in deſiderijs non faciunt, ſed quaſi ad patriam B. feſtinantes, & ſeipſos potiùs negligentes quàm procurantes, ſoli naturali neceſſitati vix ſatisfaciunt. Cùm enim non ex voluptate, ſed ex neceſſitate carni parcè ſatisfaciunt, quaſi manu ad os aquas projiciunt. Qui rectè *virorum* nomine cenſentur, quia fœmineæ diſſolutionis enervitate non franguntur. *Omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat*: quia ſive mundo apertè militantes, ſive ſpeciem pietatis habentes, virtutem autem ejus abnegantes, toties poplitem flectunt, quoties pro amore mundi vel carnis in- C. tentionem cordis deflectunt.

Proinde *Dominus ad Gedeon dicit*: Cùm DEus Pater Chriſto Domino certam ſuorum electorum notam præfigit. *In trecentis*, inquit, *viris, qui aquas lambuerunt, vos liberabo*: Quia electos omnes tibi capiti quaſi pia membra cohærentes, & voluntaria mortificatione cruci tuæ aſſiſtentes, continuæ Orationis & Meditationis palmâ donabo. *Madian in manu tua tradam*, quia judicium mortis ab electis meis beneficio tuæ crucis avertam. *Omnis autem reliqua multitudo in locum ſuum revertatur*:
Matth. XIX. 11. quia *non omnes capiunt verbum iſtud, ſed qui* D. *poteſt capere, capiat.*

Gedeon *pro numero cibaria & tubas ſumit*, quia Chriſtus ſuis militibus, vel virtutum profectum, vel prædicationis effectum in numero & menſura & pondere diſtribuit. *Omnem reliquam multitudinem ad tabernacula ſua abire præcipit*, quia Chriſtus ſuæ voluntati eos dimittit, quos mundi vel carnis amori deditos eſſe conſpicit. *Ipſe cum trecentis viris ſe dat certamini*; quia, ſicut Ezechiel loquitur, ipſe Princeps cum ingredientibus bellum tentationis ingreditur, cum egredientibus de bello victor regreditur. *Caſtra Madian ſubter in valle eſſe memorantur*: quia vitiorum examina in imo carnalium voluptatum verſantur. Sequitur:

Eâdem nocte dixit Dominus ad ℣. IX.
eum: Surge & deſcende in caſtra,
quia tradidi eos in manu tua.

Sin autem ſolus ire formidas, ℣. X.
deſcendat tecum Phara puer tuus.

Et cùm audieris, quid loquan- ℣. XI.
tur, tunc confortabuntur manus tuæ
& ſecurior ad hoſtium caſtra deſcen-
des. Deſcendit ergo ipſe & Phara
puer ejus in partem caſtrorum, ubi
erant armatorum vigiliæ.

Madian autem & Amalec, & ℣. XII.
omnes orientales populi fuſi jacebant
in valle ùt locuſtarum multitudo:
cameli quoque innumerabiles erant,
ſicut arena, quæ jacet in littore ma-
ris.

Cumq; veniſſet Gedeon, narra- ℣. XIII.
bat aliquis ſomnium proximo ſuo: &
in hunc modum referebat, quod vi-
derat: Vidi ſomnium, & videbatur
mihi quaſi ſubcinericius panis ex
hordeo volvi, & in caſtra Madian
deſcendere: cumq; perveniſſet ad
tabernaculum, percuſſit illud, at-
que ſubvertit, & terræ funditus
coæquavit.

Reſpondit is, cui loquebatur: ℣. XIV.
non eſt hoc aliud niſi gladius Gedeo-
nis filij Joas, viri Iſraëlitæ: tradi-
dit enim Dominus in manus ejus
Madian, & omnia caſtra ejus.

Cumq; audiſſet Gedeon ſomnium ℣. XV.
& interpretationem ejus, adoravit,
& reverſus eſt ad caſtra Iſraël, &
ait: ſurgite, tradidit enim Domi-
nus in manus noſtras caſtra Madian.

Diviſitq; trecentos viros in tres ℣. XVI.
partes, & dedit tubas in manibus
eorum, lagenáſque vacuas, ac lam-
pades in medio lagenarum.

Et dixit ad eos: quod me facere ℣. XVII.
videritis, hoc facite: ingrediar par-

tem

Digitized by Google

*tem caſtrorum, & quod fecero, ſecta-
mini.*

✝XVIII. *Quando perſonuerit tuba in ma-
nu mea, vos quoque per caſtrorum
circuitum clangite & conclamate,
Domino & Gedeoni.*

Puella de terra Iſraël captiva, ſic
& ſic loquitur: quia Sancta Scriptura
Redemptionis myſteria aliis aliiſque figu-
ris mirabiliter proſequitur. *Eadem nocte,*
quæ ſicut dictum eſt, celebris eſt in to-
ta veteris teſtamenti pagina, *Dominus ad
Gedeon dicit*, cùm DEUS Pater per Spi-
ritum S. Incarnationis Chriſti myſteria
inſtituit. *Surge* de excelſa & quieta cœ-
lorum gloria, *deſcende* factus homo *in
caſtra* Eccleſiæ, pugnaturis contra ſpi-
ritalia nequitiæ. *Quia tradidi eos in ma-
nu tua*, quia tuæ humilitati omnem
diabolicæ ſuperbiæ potentiam ſubju-
gavi.

Sin autem ſolus ire formidas, quia ver-
bi tui præcones, ùti veræ vitis palmites
adjutores habere deſideras: *Si ſolus ire
formidas*, qui in forma ſervi te pavidum
& infirmum demonſtras: *Deſcendat tecum
Phara puer tuus*, vel ordo Apoſtolicus, vel
Prædicatorum tuorum cuneus. *Phara*
enim *laguncula* vel *frugifer* interpretatur,
per quem vel Apoſtolorum, vel Prædi-
catorum ordo figuratur; qui dum doctri-
næ fluenta miniſtrat, uberes fidelium
fruges congregat.

Cùm audieris, quid loquantur, cùm fa-
ctus homo experiri cœperis, quid de te,
vel Judæorum vel gentium Prophetæ va-
ticinentur: *Tunc manus tuæ confortabuntur*,
cùm tuæ Redemptionis myſteria omnia
per me proſperabuntur. *Securior ad ho-
ſtium caſtra deſcendes*, cùm in aſſumptæ
humanitatis habitu, ſubitô & improvi-
ſo impetu eorum ſuperbiam proſternes.
*Gedeon cum Phara puero ſuo in partem caſtro-
rum deſcendit*, cùm Filius DEI factus ho-
mo ad hujus mundi habitationem in Sy-
nagogam venit, de qua ſibi pauperes
piſcatores elegit. *Ubi erant vigiliæ arma-
torum*: quia in Synagoga ſunt elo-
quia legis & Prophetarum, quibus ar-
mantur vigiliæ fidelium Doctorum.

*Madian & Amalec, & omnes Orienta-
les populi jacent in valle diffuſi*, cùm legis
ſcriptura, vel ipſa legis traditio, vel
figuræ ceremoniarum legalium ſerviunt

A. carnalis populi intelligentiæ carnali.
Ut multitudo locuſtarum, quæ eſt carnalis
intelligentia carnalium vel literarum vel
ceremoniarum. *Cameli innumerabiles*, ſunt
allegoriæ inexplicabiles. *Sicut arena, quæ
jacet in littore maris*, quæ eſt diverſitas im-
menſa ſententiarum in profundo cœle-
ſtium litterarum.

Narrat aliquis ſomnium proximo ſuo, cùm
Balaam ille divinus prophetizat gentium
populo. *Refert in hunc modum, quod vide-
rat*, cùm cadens in operatione apertos ha-
bet oculos in contemplatione. *Vidi*, inquit,
ſomnium, quia futuræ Redemptionis my-
ſterium erit mihi quaſi nocturnum ſom-
nium, qui propter cordis mei vitium
B. non habebo ex ea ſalutis remedium.
*Videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hor-
deo volvi, & in Madian caſtra deſcendere. Orie-
tur ſtella ex Jacob, & conſurget homo de Iſraël, & Num.
confringet omnes Duces alienigenarum, & erit XXIV.
omnis terra poſſeſſio ejus.* Subcinericius 17.
panis ex hordeo volvitur, cùm panis
ille Angelorum cinere noſtræ mortalita-
tis coopertus, ſub illo veteris teſtamen-
ti cultu naſcitur, quod per *hordeum* ex-
primitur. De quo ſubcinericio pane
dicit Pſalmiſta ex ipſius Chriſti perſona:
Cinerem tanquam panem manducabam, & Pſal. CI.
poculum meum cum fletu miſcebam. Sub- 10.
C. cinericius panis in caſtra Madian deſcen-
dit, cùm Chriſtus per aſſumptam mor-
talitatem ad hujus mundi habitationem
pertingit, in quo ſua caſtra diabolus lo-
caverat, quem ſua Incarnatione & paſ-
ſione fugat. *Madian* enim *de judicio* di-
citur, quò diabolus exprimitur, qui per
judicium paſſionis Chriſti à mundo re-
pellitur, ſicut ipſe diſcipulis ſuis in cœ-
na loquitur: *Nunc judicium eſt mundi, nunc* Joan.
princeps mundi ejicietur foras. Panis ſubcine- XII. 31.
ricius ad tabernaculum venit, cùm Filius
Dei factus homo, mundi hujus habita-
culum ſubit. *Percutit illud* ſua prædica-
D. tione, *ſubvertit illud* ſua Paſſione & Re-
ſurectione. *Terra funditus coæquat*, dum
omnem altitudinem mundanæ ſapientiæ
& potentiæ miſſô de cœlis Spiritu Sancto
per ſuam Aſcenſionem humiliat. *Terra
funditus coæquat*, dum homini, qui ter-
ram inhabitat, quia pulvis ſit & cinis,
per Spiritum Sanctum revelat.

Reſpondet is, cui loquitur, dum gen-
tium populus, quem Balaam ſuâ pro-
phetiâ adoritur, in illis Magis ſuis pri-
mitiis

Digitized by Google

mitiis veræ fidei confeſſionem eloquitur. A. *Non eſt hoc aliud*, quod ſtella nova loquitur nobis, *niſi ſignum magni Regnis, niſi gladius Gedeonis*, mundo ſcilicet manifeſtata Incarnatio noſtri Redemptoris. Quem gladium ipſius Balaam aſina veneratur, dum Angelum in anguſtijs duarum maceriarum evaginatô ſtantem gladiô conſpicatur. De quo etiam gladio Pſalmiſta loquitur : *Accingere gladiô tuo ſuper fe-*
Pſal. XLIV. 4. *mur tuum potentiſſime.* Gedeon *filius Joas* ſcribitur, qui *ſperans* vel *Domini robur* dicitur, per quem ordo Patriarcharum vel Prophetarum exprimitur, qui ſpei robore ad futuræ Redemptionis myſterium B. accingitur, de cujus poſteritate DEus homo naſcitur. Joas *vir Iſraëlita* eſſe memoratur : quia Ordo Patriarcharum & Prophetarum ſinceris oculis veræ fidei & dilectionis DEum contemplatur. *Tradidit*, inquit, *Dominus in manu ejus Madian, & omnia caſtra ejus*, quia DEus Pater in captivitatem crucifixi redegit principem mundi, & omnia inferorum regna, vel infidelium agmina per mundi latitudinem diffuſa.

Gedeon ſomnium & interpretationem ejus audit, cùm Chriſtus de Virgine natus, & in præſepio poſitus, primitias gentium C. ſtella duce ad ſe venire conſpicit. *Adorat*, cùm in ſuſcepta humanitate debitam DEO Patri reverentiam humiliter præſtat. *Ad caſtra Iſraël revertitur*, cùm peractô Paſſionis ſuæ trophæô victor ab inferis regreditur. Proinde ſuis fidelibus *ait*, quibus ſuæ Reſurrectionis lætitia, ſpei conſtantiam tribuit : *Surgite* ad procinctum prædicationis, qui manducatis panem doloris. *Surgite* ad miniſterium crucis, quos ego erui de manu mortis per myſterium crucis. *Caſtra Madian Dominus in manus noſtras tradidit*, quia DEus Pater Auctorem mortis electorum meorum pedibus morte mea ſubjugavit.

Gedeon trecentos viros in tres partes dividit: quia Chriſtus electos ſuos fide Sanctæ Trinitatis, & myſterio Sanctæ Crucis inſignitos in tres ordines diſtribuit, dum vel Apoſtolis, vel Martyribus, & Confeſſoribus Eccleſiæ ſuæ procurationem uſque in finem ſæculi tribuit. *In tres partes eos dividit*, dum ab initio converſionis per medium probationis ad faſtigium perfectionis eos provehit. *In tres partes eos dividit*, dum continentiæ, orationis & meditationis varietate eos componit. *In tres partes eos dividit*, cùm ſuos ante legem, ſub lege, ſub gratia talibus S. Spiritûs chariſmatibus ſubvehit. *Dat tubas in manibus eorum*, dum per emiſſum de cœlis Spiritum S. verbi ſui eis committit miniſterium, juxta illud Pſalmigraphi teſtimonium : *Exultationes Dei in* Pſal. CXLIX. 6.
gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Dat eis *lagenas vacuas*, habitationes corporum ſuorum, pro ſui nominis confeſſione ſpiritibus exanimatas. *Dat eis lampades in medio lagenarum*, corruſcationes & terrores miraculorum de ſanctitate corporum exanimatorum.

Dicit ad eos Spiritu S. de cœlis miſſo inſtruens eos : *Quod me facere videritis, hoc facite. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſ-* Matth. XI. 29.
cite, quia mitis ſum & humilis corde. Ingrediar *partem caſtrorum*, participem me faciens morte punitorum. *Ingrediar partem caſtrorum*, crucis patibulum ſubiens in medio latronum. *Et quod fecero, ſectamini*, quicunque mihi vera fide & dilectione ſociamini. Quicunque enim crucem ſuam non tulerit, & me ſecutus fuerit, dignus me eſſe non poterit.

Quando tuba perſonuerit in manu mea, ſcilicet, cùm Paſſionis & Reſurrectionis meæ prædicatio per orbem terrarum fuerit audita. *Vos quoque per caſtrorum circuitum clangite*, vel prædicatione, vel voluntaria mortificatione, vel vitæ confeſſione, quaſi boni mei milites, quaſi fideles caſtrorum vigiles civitatem meam Sanctam Eccleſiam *circueundo* concinite. *Conclamate Domino & Gedeoni*, gloriam DEO Patri Creatori, & Filio ejus Chriſto Redemptori. Sic ad locum veſtrum, unde eſtis egreſſi, quaſi flumina revertimini, ut iterum copiam poſſitis habere fluendi. D. Sequitur :

Ingreſſus eſt ergo Gedeon, & trecenti viri, qui erant cum eo, in partem caſtrorum incipientibus vigilijs noctis media, & cuſtodibus ſuſcitatis, cœperunt buccinis clangere, & complodere inter ſe lagenas. ỳ. XIX.

Cumque per gyrum caſtrorum in tribus perſonarent locis, & hydrias confregiſſent, tenuerunt ſiniſtris manibus lampades, & dextris ſonantes tubas ỳ. XX.

tubas, clamaverúntque : gladius A.
Domini & Gedeonis :
℣. XXI. *Stantes ſinguli in loco ſuo per*
circuitum caſtrorum hoſtilium. O-
mnia itaque caſtra turbata ſunt, &
vociferantes ululantesq́ fugerunt.
℣. XXII. *Et nihilominus inſiſtebant trecen-*
ti viri buccinis perſonantes. Immiſit-
que Dominus gladium in omnibus
caſtris, & mutua ſe cæde truncabant:
℣. *Fugientes uſque ad Bethſetta*
XXIII. *& crepidinem Abelmehula in Teb-* B.
bath. Conclamantes autem viri
Iſraël de Nephtali & Aſer & omni
Manaſſe perſequebantur Madian.
℣. *Miſitque Gedeon nuntios in o-*
XXIV. *mnem montem Ephraim dicens : De-*
ſcendite in occurſum Madian, & oc-
cupate aquas uſque Bethbera atque
Jordanem. Clamavítque omnis E-
phraim, & præoccupavit aquas at-
que Jordanem uſque Bethbera.
℣. XXV. *Apprehenſoſque duos viros Ma-* C.
dian, Oreb & Zeb, interfecit, Oreb
in Petra Oreb, & Zeb in Torculari
Zeb. Et perſecuti ſunt Madian,
capita Oreb & Zeb portantes ad
Gedeon trans fluenta Jordanis.

Gedeon in partem caſtrorum ingreditur, cùm Chriſtus in cruce ſua triumphans morte ſua mortis auctorem in inferno aggreditur. *Trecenti viri cum eo* ingrediuntur, quia omnes electi fide Sanctæ Trinitatis & myſterio crucis inſigniti, ante legem, ſub lege, ſub gratia poſiti D. Paſſionis ejus trophæum debitæ dilectionis veneratione proſequuntur. *Incipientibus vigiliis noctis* mediæ, cùm ipſe deſtructo inferorum Regno Majeſtatis ſuæ potentiâ reſurgit de ſepulchro. *Cuſtodes ſuſcitantur*, cùm milites ſepulchrum cuſtodientes, factô terræ motu magnô, timore magno exanimantur. *Trecenti viri buccinis incipiunt clangere*, cùm electi omnes in Chriſti Reſurrectione vel prædicatione, vel voluntaria mortificatione, vel vitæ confeſſione ſonum laudis per orbem terrarum incipiunt emittere. *Lagenas inter ſe complodunt*, dum vel apertô vel occultô martyriô corpora ſua pro Chriſti amore conterunt.

Per gyrum caſtrorum in tribus perſonant locis, dum per circuitum Eccleſiarum, quæ unam Catholicam faciunt, per orbem terrarum in Prælatis piè viventibus, recteque docentibus, vel in continentibus activæ vel contemplativæ vitæ operam dantibus fide, ſpe, & dilectione, continentia, oratione & meditatione laudes DEO concelebrant. *Hydrias confringunt* : cùm ſenſus carnis mortificatione voluntaria conterunt. *Tenent ſiniſtris manibus lampades*, activæ vitæ operationes perlucidas. *Et dextris ſonantes tubas*, contemplativæ vitæ ſuavitatem, prædicationis ſuæ voces emittentes canoras.

Vel aliô modô hydriis confractis, ſiniſtris manibus tenent lampades, & dextris ſonant tubas : quia Sancti Martyres in Chriſti confeſſione corpora ſua deponentes, ex defunctis corporibus miraculorum emittunt ſcintillas, quibus prædicationis ſuæ confirmant ſententias. *Clamant gladius Domini & Gedeonis*, collaudantes ſapientiam DEI Creatoris, & miſericordiam Chriſti Redemptoris. Stant in loco ſuo ſinguli, vel Martyres vel Confeſſores ſuo ſervientes tempori.

Stant in loco ſuo ſinguli, vel Prædicatores, vel continentes, ab omni perturbatione ſæculi facti ſingulares, propoſiti ſui perſeverantiam fortiter tenentes. *Per circuitum caſtrorum hoſtilium* ſollicitè obſervantes incurſum nequitiarum ſpiritalium. *Omnia caſtra turbantur* ; quia in Chriſti Reſurrectione regnum diaboli, peccati & mortis expugnatur. *Omnia caſtra turbantur* : cùm in Chriſti Reſurrectione omnes illæ ceremoniarum legalium munitiones diſſipantur. *Vociferantur* : quia veræ ſalvationis remedium ſe non poſſe conferre proteſtantur. *Ululant* ; quia feralem eſſe obſervantiam carnalium ſuarum victimarum, & ceremoniarum legalium exclamant. *Fugiunt* : quia Evangelii fulgure coruſcante, quaſi tenebræ luci, quaſi umbræ veritati cedunt.

Nihilominus trecenti viri inſiſtunt : quia vel Apoſtoli, vel Martyres, vel Confeſſores Evangelicæ prædicationi inſtanter & perſeveranter aſſiſtunt. *Buccinis perſonant* ; quia ſono ſuæ prædicationis orbem terrarum à ſomno peccati & mortis exſuſcitant. *Dominus gladium in omnibus caſtris immittit*, dum per Spiritum vivificantem literæ occidentis munitionem irrumpit. *Mutua ſe cæde truncant*, quia legales illæ cæ-

remoniæ viciſſim decidendo ſe jugulant. A.

Uſque ad Bethſettam fugiunt, quod *luctus littorum vel riparum* interpretatur, quo nomine legalium ceremoniarum obſervantia figuratur, quibus quaſi ripis vel littoribus ipſa legis litera circumdata munitur. *Littora* vel *ripæ lugent*, cùm ipſi cultores carnalium ceremoniarum in terrenis oblectamentis ſpei ſuæ gaudium perire dolent. *Fugiunt uſque ad crepidinem Abelmehula*, quod *luctus parturientis* dicitur: quo nomine difficultas prophetiæ exprimitur, in qua luctus Eccleſiæ parturientis deſcri- B. bitur. *In Tebbath fugiunt*, quæ *bona* interpretatur, per quam prædicatio Evangelij plena gratiæ & veritatis deſignatur. *Viri Iſraël conclamant*: cùm omnes electi Dei ante legē, ſub lege, ſub gratia Evangelicæ veritati dextras fidei & dilectionis dant. Per *Nephthalim*, qui *dilatatus* interpretatur, ordo Sanctorum Patriarcharum figuratur, cujus poſteritas per diverſas gentium Eccleſias Chriſti fide & dilectione propagatur. Per *Aſer*, qui *beatus* interpretatur, ordo Sanctorum Prophetarum figuratur, qui vera C. beatitudine in fide Chriſti & dilectione ſublimatur. Per *Manaſſen*, qui *oblitus* vel *neceſſitas* dicitur, chorus Sanctorum Apoſtolorum cum Eccleſia primitiva, vel omni Eccleſia gentium exprimitur, qui pro Chriſti amore terrena cuncta obliviſcitur, & voluntaria obedientiæ neceſſitate adſtringitur. Omnes iſti *Madian perſequuntur*, quia ſive Patriarchæ, ſive Prophetæ, ſive Apoſtoli judicium ſcriptæ legis, quo peccatum non curatur ſed demonſtratur, vera Chriſti fide & dilectione inſequuntur. Dat Dominus victoriam po- D. pulo Iſraël, quia in die illa Dominicæ Reſurrectionis, quæ eſt veræ dies propitiationis, veris Iſraëlitis provenit palma ſpei & ſalutis. *Gedeon nuncios in omnem Ephraim mittit*, cùm Chriſtus Evangelij præcones cunctis Synagogæ reliquiis in finem mundi ſalvandis transmittit, quibus legationis iſta verba committit *In occurſum Madian deſcendite*, legis veſtræ carnalem obſervantiam, condemnationi, morti ab antiquo addictam, vel ſerò attendite. *Occupate aquas*, ſcrutamini ſcripturas: *uſque Bethbera*, quæ *domus putei* dicitur, per quam circumciſio exprimitur, cui vetus teſtamentum adſcribitur: *atque Jordanem*, quo baptiſmus figuratur, cui novum teſtamentum adſtipulatur. *Omnis Ephraim clamat*, cum omnis multitudo reliquiarum converſæ Synagogæ in vera converſione, & fidei devotione ad Chriſtum exclamat. *Aquas uſque Bethbera præoccupat*, dum ablato cordis velamine omnes ſcripturas veteris teſtamenti fideliter diſcutiendo penetrat.

Duos viros Madian apprehendit, eoſque interficit, cùm duo mortis germina gladio Spiritus excidit. Oreb *corvus* vel *ſiccitas* interpretatur, per quem nigredo ignorantiæ, vel duricia cordis deſignatur. Zeb *lupus* dicitur, per quem malicia vel crudelitas exprimitur. *Ephraim ergo clamans Oreb & Zeb jugulat*, cùm Synagoga in fide converſa cæcitatem vel duriciam cordis ſui, & maliciam vel duriciam, quæ Chriſtum Dominum odiendo & blaſphemando inſequitur, propulſat. *Oreb in petra Oreb interficit*, dum duriciam cæcitatis ſuæ Incarnationis ejus reſpectu emollit, qui cùm in forma Dei eſſet, *petra Oreb* fieri non deſpexit, cùm in ſimilitudine carnis peccati apparuit, & Synagogæ filius miſericorditer fieri voluit. *Ephraim Zeb in torculari Zeb trucidat*: dum converſa Synagoga malitiæ & crudelitatis ſuæ propoſitum circa Virginis Filium conſideratione paſſionis ejus immutat, quem inſtar lupi in patibulo crucis à ſe & pro ſe ſuſpenſum irremediabilibus lachrymis deplorat. Quòd enim per *torcular* crux Chriſti deſignetur, in præcedentibus, ubi Gedeon frumenta in torculari purgat, docetur. Ne autem pijs fidelium auribus verbum iſtud contrarium videatur, quòd Chriſtus Dominus in cruce ſuſpenſus lupo ſuſpenſo aſſimilatur, ipſius piiſſimi Redemptoris Evangelica ſententia ſuper hoc audiatur: *Sicut Moyſes*, inquit, *exaltavit ſerpen-* Joan. III. 14.
tem in deſerto: ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Qui ergo pro ſuæ miſericordiæ magnitudine ſerpenti ſuſpenſo comparari non deſpicit pro humani generis Redemptione, lupo quoque ſuſpenſo aſſimilari non refugit; quia ipſe etiam per Pſalmiſtam dicit: *Ego ſum vermis & non ho-* Pſal. XXI, 7.
mo. Hinc ipſe David, cùm Saulem ſe perſequentem increpat, in perſona ipſius Redemptoris exclamat: *Quem perſequeris Rex* I. Reg. XXIV, 15.
Iſraël, quem perſequeris? canem mortuum, & pulicem unum. Quaſi Chriſtus Dominus populum Judaicū ſe perſequentē alloquatur, qui in typo Regis Saulis adumbratur: Popule Judaice, quem perſequeris crucifigendo, quem perſequeris in ſepulchro cuſtodiendo? *canem mortuum, & pulicem unum.* Canis mortuus fuit Dominus JEſus Chriſtus

Digitized by Google

ſtus crucifixus, & in ſepulchro poſitus, qui prædicatorum omnium primus fuit & maximus. Quòd enim per canem Prædicatores deſignentur, Pſalmiſta atteſtatur:
Pſal. LXVII. 24. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.* Pulex de humore terræ naſcitur, & ideo per pulicem Chriſtus exprimitur, qui de humore virgineæ carnis per operationem Sancti Spiritus concipitur & gignitur. Filius enim Dei, qui pro ſalute generis humani ad ſuſceptionem carnis dignatus eſt humiliari, rebus quoque infimis pro amore hominis non dignatus eſt aſſimilari. A

Viri Ephraim Madian perſequuntur, cùm fideles converſæ Synagogæ literam occidentem per ſpiritum vivificantem inſequuntur. *Oreb & Zeb capita* ſunt Dominicæ Reſurrectionis & Paſſionis myſteria. Quæ viri Ephraim *ad Gedeon portant*, dum fideles converſæ Synagogæ Redemptionis Chriſti myſteria gentibus denunciant. *Trans fluenta Jordanis*, quæ typum gerunt converſæ & baptiſmi ſanctificatione emundatæ gentilitatis.

Caput. VIII.

℣. I *Dixerùntque ad eum viri Ephraim: quid eſt hoc, quod*
facere voluiſti, ut nos non vocares,
cùm ad pugnam pergeres contra
Madian? jurgantes fortiter & propè vim inferentes.
℣. II. *Quibus ille reſpondit: Quid*
enim tale facere potui, quale vos
feciſtis? Nonne melior eſt racemus
Ephraim vindemiis Abiezer?
℣. III. *In manus veſtras Dominus tradidit Principes Madian, Oreb &*
Zeb: quid tale facere potui, quale
vos feciſtis? Quod cùm locutus eſſet, requievit ſpiritus eorum, quo tumebant contra eum.

Proinde *viri Ephraim dicunt ad Gedeonem*, cùm converſæ Synagogæ fideles perditionis ſuæ annos in amaritudine animæ ſuæ recogitantes alloquuntur Dominum ſuum JESUM Chriſtum Redemptorem. *Quid eſt hoc, quod facere voluiſti?* qui in carne poſitus, verum Dei Filium & noſtrum conſanguineum B. V. Mariæ & noſtræ cognatæ te eſſe Filium, obduratis & obſcuratis cordis noſtri oculis non oſtendiſti? Quare ô Fili Dei Creator & Redemptor Mundi, quare ſic facere voluiſti, quòd peccato tam irremediabili nos tibi obnoxios fieri permiſiſti, pro quo ab omni gratiæ tuæ reſpectu nos captivos, nos perditiſſimos, & omnium hominum miſerrimos tam diu excluſiſti? *Quid eſt hoc, quod facere voluiſti, ut non nos vocares, cum ad pugnam contra Madian pergeres*: ut non nos per tuæ fidei cognitionem Eccleſiæ tuæ caſtris adſcriberes, cùm contra auctorem mortis pro Redemptione humani generis ad pugnam mortis per humilitatem Crucis te præparares? Dicunt iſta converſæ Synagogæ fideles *fortiter* per amaritudinem pœnitentiæ *jurgantes*, & per magnitudinem amoris *propè vim inferentes.* De qua vi dilectionis dicit ipſe Chriſtus ſponſæ ſuæ in Canticis: *Vulnerâſti cor meum ſoror mea, ſponſa, vulnerâſti cor meum in uno oculorum* B. *tuorum, & in uno crine colli tui.* Hac nimirum vi dilectionis intimæ viſcera Joſeph commoventur, cùm fratrem ſuum uterinum ad ſe veniſſe, oculi ejus contuentur: quia Chriſtus Dominus Judaico populo Synagogæ, Matris ſuæ, filio quandoque ad ſe converſo, immenſæ gratiæ ſuæ reſpectu miſeretur, ſicut ei legiſlator in Deuteronomio pollicetur: Deut. XXX. 3.
C *Revertetur Dominus, ut gaudeat ſuper te in omnibus bonis, ſicut gaviſus eſt cum patribus tuis, ſi tamen audieris vocem Domini Dei tui, & revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua. Reducet te Dominus Deus tuus de captivitate tua, miſerebitur tui. Introducet te in terram, quam poſſederunt Patres tui, & obtinebis eam, & benedicens tibi, majoris numeri eſſe te faciet, quàm fuerunt patres tui.* Cujus nimirum reconciliationis abundantiam litera iſta expri-D. mit, quæ Gedeonis reſponſum deſcribit.

Gedeon viris Ephraim *reſpondet*, cùm Chriſtus converſæ Synagogæ fidelibus abundantiam ſuæ pietatis oſtendit. *Quis*, inquit, *tale facere potuit, quis unquam* terrarum populus *tale* tantùmque ſalutis lucrum protulit, *quale vos feciſtis*, qui in Patriarchis, in Prophetis, in Apoſtolis electorum hominum primi eſſe meruiſtis? *Nonne melior eſt racemus Ephraim vindemiis Abiezer?* Per *Abiezer*, qui *frater meus adjutor* dicitur, gentium populus exprimitur, qui per divinæ gratiæ vocationem frater Domini efficitur, cùm à Chriſto Mariæ

Joan. Mariæ Magdalenæ dicitur: *Vade, & dic* A.
XX. 17. *fratribus meis. Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum.* Per *vindemias Abiezer* omnes ſanctificationes gentium deſignantur, quibus diverſæ per orbem Eccleſiæ, quæ unam Catholicam faciunt, locupletantur. Quibus nimirum omnibus vindemiis Abiezer, *racemus Ephraim melior* eſſe ſcribitur, per quem ille fructus ſalutis exprimitur, qui de Synagoga naſcitur. Sicut enim in racemo diverſorũ granorum fit collectio: ſic in fructu illo ſalutis de Synagoga edito incomparabilis ſanctitatis invenitur B. fructificatio, cùm in eo ipſe Dei Filius homo factus cernitur: cùm in eo ſanctiſſima Mater ejus Virgo Maria Mundi Domina, Angelorum & hominum Regina deprehenditur; denique cùm in eo omnium Patriarcharum & Apoſtolorum ſanctiſſima generatio adoratur, & colitur: cùm præterea tota veteris ac novi teſtamenti Scriptura à Sanctis Prophetis & Apoſtolis condita, in Eccleſia gentium habetur, & legitur. De hoc racemo ipſe Deus per Iſaiam loquitur:
Iſai. *Quomodo ſi inveniatur granum in botro, &*
LXV. *dicatur: ne diſſipes illud, quoniam benedictio* C.
8. *eſt: ſic faciam propter ſervos meos, ut non diſperdam totum.* Dicat ergo meritò, dicat Gedeon jurganti ſecum populo: *Non*
Joan. *melior eſt racemus Ephraim, Abiezer vinde-*
IV. 22. *miis*, quia *ſalus eſt ex Judæis.*

In manus veſtras tradidit Dominus Principes Madian, Oreb & Zeb. Oreb & Zeb Madian Principes ſunt veteris teſtamenti apices, Incarnationi & Paſſioni Domini Chriſti teſtimonium perhibentes. Quos *in manus Ephraim Dominus tradidit*, cùm eorum intelligentiam ſpiritalem converſæ Synagogæ fidelibus DEUS ex- D. pandit. Unde quale de eorum converſione lucrum ſalutis proveniat, ſequens litera demonſtrat: Cùm Gedeon ſermonem ſuum replicat: *Quis* inquit, *tale potuit facere, quale vos feciſtis?* Quis tale facere potuit? Quis Prædicatorum talem fructum de converſione omnium gentium referre potuit? *Quale vos feciſtis*, qui omnes gentes ad cognitionem Dei Creatoris perducitis. *Cùm hæc Gedeon loquitur*, cùm Chriſtus in fine mundi converſam Synagogam tantis miſericordiæ ſuæ beneficiis proſequitur, *Spiritus eorum, qui contra eum tument, requieſcit*: quia Spiritus ille furoris, qui nunc eos exagitat, ut in Chriſtum Dominum verba blaſphemiæ jaciant, unctione Sancti Spiritûs detumeſcit. Sequitur.

Cùmque veniſſet Gedeon ad Jordanem, tranſivit eum cum trecentis viris, qui ſecum erant: & præ laſſitudine, fugientes perſequi non poterant. ℣. IV.

Dixitque ad viros Soccoth: date obſecro, panes populo, qui mecum eſt, quia valde defecerunt, ut poſſimus perſequi Zebee & Salmana Reges Madian. ℣. V.

Reſponderunt Principes Soccoth: forſitan palmæ manuum Zebee & Salmana in manu tua ſunt, & idcirco poſtulas, ut demus exercitui tuo panes. ℣. VI.

Quibus ille ait: cùm ergo tradiderit Dominus Zebee & Salmana in manus meas, conteram carnes veſtras cum ſpinis tribuliſq́ deſerti. ℣. VII.

Et inde conſcendens, venit in Phanuel: locutusque eſt ad viros loci illius ſimilia. Cui & illi reſponderunt, ſicut reſponderant viri Soccoth. ℣. VIII.

Dixit itaque & eis: cùm reverſus fuero victor in pace, deſtruam turrim hanc. ℣. IX.

Gedeon ad Jordanem venit, cùm Chriſtus ad deſcenſum noſtræ mortalitatis ſe humiliavit: quia Jordanis *deſcenſus eorum* interpretatur. *Cum trecentis viris qui ſecum erant, eum tranſit*: quia cum omnibus ſuis fide crucis inſignitis, *de torrente in via* Pſal.
bibit. Trecenti viri *præ laſſitudine fugien-* CIX. 7.
tes perſequi non poſſunt, quia electi Dei carnis pondere in hac vita prægravati ſpiritalia nequitiæ, quæ ſunt ſine carnis velamine, niſi per DEI gratiam debellare nequeunt. *Trecenti viri præ laſſitudine fugientes perſequi non poſſunt*: quia electi DEI fide crucis armati ante legem, & ſub lege poſiti, tardante mundi Redemptione, ſpei laſſitudine tabeſcunt.

Proinde

Digitized by Google

A. Proinde Gedeon *ad viros Soccoth dicit*, cùm DEI Filius veteris teſtamenti cultores depoſcit. *Soccoth* enim *tabernaculum* vel *umbraculum* dicitur, quo nomine vetus teſtamentum exprimitur, quod uti tabernaculum vel umbraculum venturo in carne DEI Filio obtenditur. *Date, obſecro, panes qui mecum eſt populo*, ex legis & Prophetarum eruditione, ſpei conſtantiam meis fidelibus ingerendo. De qui-

Thren. IV. 4. bus panibus Jeremias dicit: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Quia valde defecerunt*, qui me Redemptorem ſuum in carne videre voluerunt, & B. non valuerunt. *Ut poſſimus perſequi Zebee & Salmana, Reges Madian.* Zebee *victima* interpretatur, per quem figurativa Synagogæ ſacrificia deſignantur. Salmana *umbra commotionis* dicitur: per quæ circumciſionis & Sabbati, aliarumque ceremoniarum carnalium ritus exprimitur. Zebee & Salmana *Reges Madian* eſſe memorantur: quia figurativa ſacrificia, & Circumciſionis & Sabbati ſolemnia in judicio legis carnalis principantur. Quos ut perſequi poſſit, Gedeon à viris Soccoth populo ſuo panes requirit: quia C. DEI Filius, ut ſuo adventu carnalis legis intelligentiam deſtruat, ſuos fideles per legem & prophetas ſpe ſuſtentari deſiderat.

Principes Soccoth reſpondent, cùm Scribæ & Phariſæi, vel Principes Sacerdotum habentes Synagogæ magiſterium, venientem in carne ipſum DEI Filium derident. *Forſitan palmæ manuum Zebee & Salmana in manu tua ſunt. Palmæ* ſunt quaſi picturæ allegoriæ, *manus* ſunt complexiones moralitatis allegorijs inſertæ. Quæ *palma manuum Zebee & Salmana* eſſe D. dicuntur; quibus ſacrificia & ceremoniæ legales exprimuntur, quæ innumeris allegoriis & moralitatibus ſibi connexis conteguntur. Quaſi ergo dicant Principes Synagogæ, deridentes Filium DEI in carne: Forſitan allegoriæ illæ & moralitatum complexiones, quæ in ſacrificiis & ceremoniis legalibus adumbrantur, tuo adventu explicantur, qui cùm quinquaginta annos nondum habere videaris, Abraham Patrem noſtrum te vidiſſe gloriaris. *Idcirco poſtulas*, qui totus paupertate & miſeriâ deſudas: *Ut demus exercitui tuo panes*, ut eruditionis noſtræ copia reficiamus miſerrimas diſcipulorum tuorum acies, qui nec manus ſuas ſolent lavare, cùm panem debent manducare.

Quibus ille ait: quia Chriſtus deridentibus ſe Synagogæ Principibus futura prædicit: *Auferetur à vobis Regnum Dei,* Matth.
& dabitur genti facienti fructum ejus. Quaſi XXI. 43.
dicat: *Cùm tradiderit Dominus Zebee & Salmana in manus meas*, cùm victimas illas & legales ceremonias ſuſceptæ a me humanitatis terminaverit mortalitas, *carnes veſtras cum ſpinis tribuliſque deſerti conteram*; quia per Doctores de gentilitate venientes, & verborum ſuorum ſtimulis, quaſi ſpinarum & tribulorum aculeis mentes auditorum ſuorum vulnerantes, carnalitatem veſtram, & carnalem in lege intelligentiam veſtram comminuam.

Gedeon *inde conſcendit*, cùm Chriſtus de Synagoga iratus exiit. *In Phanuel venit*, quæ *facies Dei* dicitur, cùm prophetiam de ſe loquentem ſuæ humanitatis redemptione complectitur. *Ad viros ejus loci ſimilia loquitur*: cùm prophetiæ Doctores in populo Judaico alloquitur. *Illi reſpondent*: quia & legis & prophetiæ Doctores æquali eum ſubſannatione in ſuſceptæ humanitatis humilitate refutant. *Dicit itaque & eis*, deſolationis ſuæ cladem intentans Scribis & Phariſæis.
Ecce, inquit, *relinquetur vobis domus veſtra* Matth.
deſerta. Quaſi dicat: *Cùm reverſus fuero* XXIII.
victor in pace, cùm victoriam mortis meæ 38.
reportavero in illa Reſurrectionis meæ, quam diſcipulis meis dabo, pace. *Turrim hanc deſtruam*, quia iſtam legis veſtræ confidentiam, & templi gloriam Paſſionis & Reſurrectionis meæ potentia evertam. Sequitur:

Zebee autem & Salmana requieſ- ℣. X.
cebant cum omni ſuo exercitu. Quindecim enim millia viri remanſerunt ex omnibus turmis orientalium populorum, cæſis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium.

Aſcendénſque Gedeon per viam ℣. XI.
eorum, qui in tabernaculis morabantur, ad orientalem partem Nobe & Jegbaa, percuſſit caſtra hoſtium, qui ſecuri erant, & nihil adverſi ſuſpicabantur.

Digitized by Google

℣. XII. *Fugerúntque Zebee & Salmana, quos perſequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum.*

℣. XIII. *Reverténsque de bello ante ſolis ortum,*

℣. XIV. *Apprehendit puerum de viris Soccoth : interrogavitque eum nomina Principum & ſeniorum Soccoth, & deſcripſit ſeptuaginta ſeptem viros.*

℣. XV. *Venítque ad Soccoth, & dixit eis : en Zebee & Salmana, ſuper quibus exprobrâſtis mihi, dicentes : forſitan manus Zebee & Salmana in manibus tuis ſunt, & idcirco poſtulas, ut demus viris, qui laſſi ſunt & defecerunt, panes.*

℣. XVI. *Tulit ergo Seniores civitatis & ſpinas deſerti ac tribulos, & contrivit cum eis atque comminuit viros Soccoth.*

℣. XVII. *Turrim quoque Phanuel ſubvertit, occiſis habitatoribus civitatis.*

Zebee & Salmana cum omni exercitu ſuo requieſcunt : quia victimæ illæ & legales ceremoniæ, cum literis veteris teſtamenti in magna ſecuritate Synagogæ ante Chriſti adventum floreſcunt. *Quindecim millia virorum* imperfectionem deſignant legalium ceremoniarum, quæ ſecundùm Apoſtolum perfectum non poſſunt facere, ſervientem ſolummodo in cibis & potibus, & variis baptiſmatibus. *Quæ ex omnibus turmis remanent orientalium populorum*, quæ ſunt omnes conſtructiones legalium ceremoniarum, veri ſolis ortum ſuo candore præeuntium. *Centum viginti millia cæduntur*, quibus centum viginti anni legiſlatoris exprimuntur. *Centenarius* enim numerus ſummam legalium literarum explicat, *vicenarius* numerus allegoriarum & moralitatum literis cohærentium figuram denotat. Qui numerus omnium *bellatorum & educentium gladium* eſſe deſcribitur : quia & literæ legales, & allegoriæ & moralitates literis cohærentes, bellum contra ſpiritalia nequitiæ inſtruunt, & gladium Spiritûs, quod eſt verbum DEI, educunt. *Centum viginti millia* à Gedeone cæduntur, quia &

A. literæ legales & allegoriæ & moralitates his cohærentes Chriſti Paſſione & Reſurrectione per Spiritum vivificantem exciduntur. Unde rectè hìc ſubditur :

Aſcendenſque Gedeon per viam eorum, qui in tabernaculis morabantur, ad orientalem partem Nobe & Jegbaa, percuſſit caſtra hoſtium, qui ſecuri erant, & adverſi nihil ſuſpicabantur, fugeruntque Zebee & Salmana. *Gedeon aſcendit*, cùm Chriſtus de Virgine natus in hunc mundum prodit. De qua aſcenſione Pſalmiſta dicit : *Veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cælo proſpexit.* Psal. LXXXIV. 12.
Per viam eorum aſcendit, qui in tabernaculis mo-
B. *rabantur*, dum legi eorum deſervit, qui ceremoniis legalibus non permanentibus, ſed ad tempus ſervientibus famulantur. Unde Apoſtolus loquitur : *Ubi* Galat. IV. 5.
venit plenitudo temporis, miſit DEUS Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret. *Ad orientalem partem Nobe & Jegbaa aſcendit*, dum ſuo adventu prophetiam & legem ſpiritali intelligentia expandit. *Nobe* enim *latratus* dicitur, per quam Prophetia exprimitur, quâ ùti latratu canis calliditas furis, maligni ſcilicet hoſtis deprehenditur.
C. *Jegbaa defluens*, vel *deſipiſcens populus* interpretatur, qua legis litera figuratur : in cujus carnali intelligentia defluit & deſipiſcit Synagoga. Gedeon *caſtra hoſtium percutit*, cùm Chriſtus ſuo adventu diabolicæ virtutis agmina proſternit. *Qui ſecuri ſunt, & nihil adverſi ſuſpicantur*, cùm ipſum in ſimilitudine carnis peccati apparentem, ſolummodo hominem mortalem, non autem DEI Filium immortalem eſſe arbitrantur. Gedeon *caſtra hoſtium percutit*; cùm Chriſtus ſuo adventu traditiones Scribarum & Phariſæorum ſubvertit. *Qui ſecuri ſunt, & nihil adverſi ſuſpicantur*,
D. qui ſe ſolummodò in ceremoniis legalibus, & carnis voluptatibus placere DEO arbitrantur.

Zebee & Salmana fugiunt, quia victimæ & ceremoniæ legales Chriſti Paſſioni & Reſurrectioni cedunt. *Quos Gedeon perſequens* ſua Paſſione, *comprehendit* ſua Reſurrectione, dum ipſe vero & ſalutari ſacrificio ſanguinis ſui finem imponit figurativis ſacrificiis, & trophæô ſuæ Reſurrectionis cunctis legalibus ceremoniis. *Omni exercitu eorum turbatô*, omni ſcilicet Synagogæ populo in deſtructione carnalium ceremoniarum amaricatô.

Ge-

Digitized by Google

Gedeon de bello ante ſolis ortum rever- A *titur*, cùm Chriſtus expugnatô mortis imperiô diluculo ab inferis regreditur.

Puerum de viris Soccoth apprehendit, cùm prophetiam in Synagoga reconditam ad ſe adſtringit, eamque ſuis myſteriis ad finem usque perducit. Unde Apoſtolus
Rom. X, 4. dicit: *Finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti.* Puer *de viris Soccoth* eſſe ſcribitur, quia ordo Propheticus de Synagoga naſcitur *Soccoth viri*, ſunt Synagogæ filii, de quibus eſt illa vox Evangelii:
Luc. XIV, 24. *Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* De quibus profectò viris in Geneſi ſcribitur, B quo eorum ſuperbiæ ventoſitas exprimitur:
Gen. VI, 4. *Cùm introiſſent filii Dei ad filias hominum, illaque genuiſſent, iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi.* Gedeon puerum *nomina Principum & Seniorum Soccoth interrogat*, quia Chriſtus in prophetia principes & ſeniores Synagogæ denotat, quod eorum conſilio eum Synagoga morti tradat. Unde Pſalmiſta dicit in ejus perſona:
Pſal. XXI, 13. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me. Circumdederunt me canes multi: Concilium malignantium obſedit me.* Et item.
Pſal. LXVIII. 13. *Adverſum me loquebantur, qui ſedebant in porta: & in me pſallebant, qui bibebant vinum.* Hinc Iſaias dicit, cùm eorundem Principum ac Seniorum maliciam ita loquentem deſcribit:
Iſa. XXII. 13. *Comedamus* C *& bibamus, cras enim moriemur.* Dixerunt hoc infelices illi malitiæ & inſipientiæ ſuæ vino inebriati. Comedamus carnes agni, bibamus ſanguinem juſti. Cras enim moriemur, quia craſtinâ luce Chriſto ſuſpenſo in cruce æternæ vitæ hæreditate proſcribemur. *Gedeon ſeptuaginta viros deſcribit*, cùm Chriſtus Principes Sacerdotum & Seniores atramento ſui ſanguinis æternæ condemnationi adſcribit, qui per hoc Decalogi obſervatores & ſeptiformis Sancti Spiritûs ſe participes factos arbitrantur, quòd ejus D ſanguinem innoxium per traditorem ſacrilegum triginta argenteis ſe comparâſſe gloriantur.

Proinde *ad Soccoth venit, & eis dicit*, cùm reſurgens à mortuis mercatoribus impiis ſui ſanguinis vindictam ingerit. *En Zebee, & Salmana, ſuper quibus exprobrâſtis mihi dicentes, forſitan manus Zebee & Salmana in manibus tuis ſunt, & idcirco poſtulas, ut demus viris qui laſſi ſunt, & defecerunt panes.* Cujus literæ expoſitio patet à ſuperiori loco.

Gedeon *ſeniores civitatis tollit*, cùm Chriſtus omnes Synagogæ Principes cum ſubjecto populo juſtæ condemnationis judiciô ſuſtollit. *Spinas deſerti ac tribulos tollit, ac eos cum eis conterit*, cùm per gentium Principes Titum & Veſpaſianum Jeroſolymæ, & totius Judææ habitatores conterit. *Viros Soccoth comminuit*, cùm animoſitatem Synagogæ captivitate, & in omnes gentes facta diſperſione proſternit.

Turrim quoque Phanuel ſubvertit, quia carnalem illam Synagogæ intelligentiam in lege & prophetia ſubvertit. *Occiſis habitatoribus civitatis*, qui videntes Filium ſummi Patris familias dixerunt: *Hic eſt* Matth. *hæres, venite, occidamus eum, & noſtra erit* XXI. 38. *hæreditas.* Sequitur:

Dixitque ad Zebee, & Salma- ℣. XIX. *na: Quales fuerunt viri, quos occidiſtis in Thabor? Qui responderunt: ſimiles tui, & unus ex eis quaſi filius Regis.*

Quibus ille reſpondit: fratres ℣. XX. *mei fuerunt, filii matris meæ. Vivit Dominus, quia ſi ſervaſſetis eos, non vos occiderem.*

Dixitque Jether primogenito ℣. XXI. *ſuo: ſurge & interfice eos. Qui non eduxit gladium: timebat enim, quia adhuc puer erat.*

Dixeruntque Zebee & Salmana: tu ſurge & irrue in nos: quia juxta ætatem robur eſt hominis. Surrexit Gedeon, & interfecit Zebee & Salmana: & tulit ornamenta ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorari ſolent.

Gedeon ad Zebee & Salmana loquitur, Chriſtus carnalium victimarum, & legalium ceremoniarum obſervatores alloquitur: quia id quod continet, pro eo quod continetur, plerumque in Sancta Scriptura ponitur. *Quales fuerunt viri?* cujus erant meriti, cunctarum virtutum viri, Prophetæ & Apoſtoli? *Quos in Thabor occidiſtis*, quos à ſuperveniente in vos divinæ viſitationis gratia ſuſcepiſtis? *Thabor* enim *veniens lumen* dicitur; quo nomine divinæ gratiæ viſitatio exprimitur, quæ Synagogæ per Prophetas &

Apoſtolos

Digitized by Google

Apoſtolos utriusque teſtamenti conditores divinitùs transmittitur, quæque ejus malignitatis ingratitudine repellitur. *Zebee & Salmana reſpondent*, cùm Judæi in vindicta ſanguinis Chriſti, ſanguinem quoque Prophetarum & Apoſtolorum intolerabili ſuæ condemnationis judicio rependunt. *Similes tui*, quia Prophetæ & Apoſtoli converſatione & prædicatione ſalutari per omnia ſimilitudinem præſeferunt Chriſti Domini ſui. *Unus ex iis quaſi filius Regis*, quia tu ipſe Filius æterni Patris, unus es ex Sanctis Prophetis & Apoſtolis, veniens ad Redemptionem humani generis in legatione ſummi Regis.

Quibus ille ait, cùm Chriſtus in vindicta ſui ſanguinis, ſanguinem quoque Prophetarum & Apoſtolorum ſuorum à Judæis exquirit. *Fratres mei fuerunt*, qui per Dei Filium, factum Virginis Filium ſummi Patris adoptivi filii fieri meruerunt. *Filii Matris meæ* Synagogæ, de qua ego formam humanitatis indui, de qua etiam Prophetæ & Apoſtoli carnaliter ſunt progeniti. *Vivit Dominus*, quia ipſe vivens eſt Deus, qui meæ Paſſionis & Reſurrectionis myſterium in mundo eſt clarificatus. *Si eos ſervâſſetis*, ſi eis debitum dilectionis & reverentiæ impendiſſetis. *Non vos occiderem*, quia eorum interceſſione, mei quoque ſanguinis vindictam vobis remitterem.

Gedeon *Jether primogenito ſuo dicit*: cùm Filius DEI veteris teſtamenti lationem ad Judaici populi condemnationem ingerit. *Jether* enim *modicum reſiduum* dicitur, quo vetus teſtamentum exprimitur, per quod modica ſalvatio carnalium ceremoniarum obſervatoribus tribuitur, Jether, *primogenitus Gedeonis* ſcribitur; quia per collatum ſibi veteris teſtamenti cultum populus Hebraicus creatoris DEI primogenitus dicitur, ſicut de eo ipſe

Exod. IV. 22. DEus per Moyſen Pharaoni loquitur: *Filius meus primogenitus Iſraël.* Gedeon ergo primogenito ſuo Jether imperat, ut *ſurgat*, ac *Zebee & Salmana interficiat*, cùm Deus omnipotens veteris teſtamenti cultum exſuſcitat, ut eô animalitatem populi Judaici configat. *Jether gladium non educit*, quia vetus teſtamentum nihil ad perfectum adducit. *Timet*, quia ſervili timori legis literâ ſubjacet. *Quia adhuc puer erat*, quia vetus teſtamentum populo

A. puerilem intellectum habenti miniſtrat. *Jether timet, quia adhuc puer erat*, quia vetus teſtamentum quaſi infantiam ſuam pertimeſcebat, cùm per Chriſti Paſſionem & ReſurrectionemSpiritum vivificantem nondum habebat.

Zebee & Salmana Gedeoni dicunt, cùm victimæ legales, & ceremoniæ carnales Chriſtum inquirunt. *Tu*, inquiunt, *ſurge*, Tu natus de Virgine Matre, paſſus in cruce, de ſepulchro reſurge. Sic *in nos irrue*, ſic tuæ Paſſionis & Reſurrectionis virtute nos proſterne. *Quia juxta ætatem robur eſt hominis*, quia cùm in virum per-

B. fectum, in menſuram ætatis plenitudinis tuæ homo pervenerit, de animali ſpiritalis fieri incipit. *Non enim prius, quod ſpiritale, ſed quod eſt animale.* I. Cor. XV. 46. *Gedeon ſurgit*, cùm Chriſtus devictâ mortis corruptione de ſepulchro reſurgit. *Zebee & Salmana interficit*, cùm victimas carnales, & ceremonias legales ſuæ Reſurrectionis virtute configit. Gedeon *ornamenta ac bullas tollit*, cùm Chriſtus ſuæ Reſurrectionis gloriâ allegoriarum & moralitatum ſignacula extollit. *Quibus colla regalium camelorum decorantur.* quibus eminentiæ le-

C. galium literarum exornantur.

Dixerúntque omnis viri Iſraël ℣. XXII.
ad Gedeonem: dominare noſtri tu,
& Filius tuus, & filius filii, quia
liberâſti nos de manu Madian.
Quibus ille ait: non dominabor ℣. XXIII.
veſtri, nec dominabitur in vos filius
meus, ſed dominabitur vobis Do-
minus.
Dixitque ad eos: unam petitio- ℣. XXIV.
nem poſtulo à vobis: date mihi inau-
D. *res ex præda veſtra. Inaures enim*
aureas Iſmaëlitæ habere conſueve-
rant.
Qui reſponderunt: libentiſſimè ℣. XXV.
dabimus: Expandentésque ſuper
terram pallium, projecerunt in eo
inaures de præda.
Et fuit pondus poſtulatarum in- ℣. XXVI.
aurium mille ſeptingenti auri ſicli,
abſque ornamentis & monilibus, &
veſte purpurea, quibus reges Ma-
dian uti ſoliti erant, & præter tor-
ques aureas camelorum.

Facit-

Digitized by Google

℣. XXVII. *Fecitque ex eo Gedeon Ephod, & poſuit illud in civitate ſua Ephra. Fornicatúsque eſt omnis Iſraël in eo, & factum eſt Gedeoni & omni domui ejus in ruinam.*

Omnes viri Iſraël ad Gedeon dicunt, cùm omnes fideles ante legem, ſub lege, ſub gratia æquali fide & dilectione Redemptoris Chriſti myſteria excolunt. *Dominare*, inquiunt, *noſtri* per gratiam Spiritus tui ſubjiciens nos tuæ dominationi, *& filii tui*, ordinis prophetici, *& filii filii tui*, ordinis Apoſtolici, qui utrique ſunt conditores veteris ac novi teſtamenti. *Quia nos de manu Madian liberâſti*, quia morte tua indebita à judicio mortis debitæ nos omnes eripuiſti. *Quia nos de manu Madian liberâſti*, quia nos de ſervitute literæ occidentis in libertatẽ Spiritus vivificantis adduxiſti.

Quibus ille ait, cùm Chriſtus fidei & dilectioni ſuorum fidelium per prævenientem & ſubſequentem gratiam occurrit. *Non dominabor veſtri*, quia cùm ſim filius DEI, homo factus, ſicut qui miniſtrat, ero in medio veſtri. *Non dominabor veſtri*, qui protectione divinitatis & humanitatis
Matth. XXVIII. 20. meæ adjutor & protector ero veſtri. *Ecce enim ego vobiſcum ſum omnibus diebus usque ad conſummationem ſæculi. Nec dominabitur in vos filius meus*, vel ordo Propheticus, vel ordo Apoſtolicus, quô omnium Eccleſiæ meæ Prælatorum exprimitur numerus, in quo qui voluerit fieri primus, debet eſſe omnium noviſſimus. Unde dicit B. Petrus cunctis Eccleſiæ Rectoribus: *Non dominantes in Clero, ſed forma facti gregis. Sed dominabitur Dominus*, qui ſolus eſt verus Dominus, qui ſolus eſt bonus, qui ſolus Magiſter eſt unus. *Sed dominabitur Dominus* in libertate Spiritûs, cui ſervire eſt regnare.

Gedeon ad eos loquitur, cùm Chriſtus cunctos fideles ſuos ab initio usque in finem ſæculi alloquitur. *Unam petitionem poſtulo à vobis*, quia pro omnibus beneficiis meis nihil aliud requiro à vobis. *Date mihi inaures ex præda veſtra*, pro omni vobis à me collata virtutum gratia date mihi geminæ dilectionis inſignia. *Inaures enim aureas Iſmaëlitæ ſolent habere*, qui divinorum præceptorum obedientiæ aurem cordis ſtudent inclinare. *Iſmaël* enim, à quo *Iſmaëlita* derivatur, *auditio Dei* interpretatur: quia qui DEO in ſuis præceptis obaudit, hunc DEus in ſuis votis clementer

A. exaudit. Sicut enim *qui avertit aurem, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*; ſic qui Prov. XXVIII. 9.
inclinat aurem cordis ſui in verba oris DEI, ejus deprecatio coram ipſo erit acceptabilis. *Iſmaëlitæ inaures aureas habent*, quia auditores DEI dilectioni DEI & proximi ſtudent. Quòd enim per aurum charitas deſignetur, Joannes in Apocalypſi teſtatur, qui Angelo Laodiciæ Eccleſiæ ſcribens loquitur: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, & veſtimentis albis induearis*, quia charitas eſt veſtis nuptialis.

Omnes viri Iſraël Gedeoni reſpondent, cùm
B. omnes electi Filio Dei Creatori ſuo & Redemptori debitum dilectionis rependere ſtudent. *Libentiſſimè dabimus*, quia tibi Domino noſtro, qui verus es DEI Filius, ac proinde charitatis Filius (quia DEus eſt charitas) debitum charitatis obſequium devotiſſimè præſtabimus. *Viri Iſraël pallium ſuper terram expandunt*, cùm omnes electi pallium illud humanitatis, quô Filius DEI in terris ſpeciem ſuæ contegit divinitatis, oculis cordis ſui continua meditatione proponunt. De quo pallio Ruth Booz dicit, cùm Eccleſia ipſum Re- Ruth. III. 9.
C. demptorem humiliter expoſcit: *Expande pallium tuum ſuper famulam tuam*, propitiatione tuæ humanitatis contege turpitudinem meam: *Quia propinquus es*: quia miſereri debes, & ſi non ex debito offenſæ tuæ Majeſtatis, vel pro debito ſuſceptæ à me & pro me humanitatis. *Viri Iſraël pallium ſuper terram expandunt*: cùm omnes electi humanitate Chriſti humilitatem ſuam componunt, cùm Filium DEI pro ſe in carne humiliatum recolentes, vera humilitate ante DEI Patris oculos ſe ſubmittunt, & pulverem ac cinerem ſe jugiter recolunt. Sic *inaures in eo de præda*
D. *projiciunt*, dum de collata ſibi à DEO virtutum gratia, perfectam dilectionem DEI & proximi Redemptori ſuo ſuper ejus Incarnationis veneratione offerunt.

Pondus poſtulatarum inaurium mille ſeptingentis ſiclis auri appenditur, quia vera Dei & proximi dilectio omni perfectione virtutum, quæ millenario numero exprimitur, de ſeptiformi Sancti Spiritus gratia prodeuntium ponderatur. *Siclus* viginti obolis conſtat, qui ſummam denarii explicant. Denarius autem in vinea laborantibus repromittitur, per quæ ſimilitudo illa Creatoris exprimitur, de qua Sancta

Trinitas in formatione hominis loqui- A. tur : *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* (Gen. I. 26.) Hìc enim piè juſteque viventibus imago Creatoris DEI datur, quibus in futuro ſimilitudo illa donabitur, de qua Apoſtolus loquitur : *Similes ei erimus, quando eum videbimus, ſicuti eſt.* (I. Joan. III. 2.) Qui profectò ſiclus *ex auro* eſſe ſcribitur, quia æternæ vitæ remuneratio in æternæ ſapientiæ viſione perficitur, quæ per auri claritatem exprimitur, ſicut ſcriptura loquitur : *Accipite ſapientiam ſicut aurum.* Inaures ergo aureæ mille ſeptingentis ſiclis appenduntur, cùm opera perfecta geminæ dilectionis omnifaria virtutum per- B. fectione ex S. Spiritus operatione & æternæ charitatis remuneratione extolluntur. *Abſque ornamentis & monilibus, & veſte purpurea, quibus Madian Reges uti ſolent, & præter torques aureas camelorum. Ornamenta* ſunt allegoriarum decores, *monilia* ſunt moralitatum complexiones, *veſtis purpurea* ſunt Anagogon * diſtinctiones. *Quibus Madian Reges uti ſolent* ; quò multiplici decore veteris teſtamenti apices pollent. Qui rectè *Regum* vocabulis honorantur, quia per eos illi reguntur, honorantur, qui verè terræ ſuæ Reges efficiuntur. *Torques aurei camelo-* C. *rum* ſunt aurô ſapientiæ refulgentes diverſæ ſententiæ Doctorum : quos Rebecca ad puteum potat, quos perfecta patientia veræ ſapientiæ participatione donat.

* *Ita Cod. pro* Anagoges.

Gedeon ex eo Ephod facit : cùm Chriſtus ex multiplici auro veteris teſtamenti veſtem ſacerdotalem intexit, quia veræ ſapientiæ doctrina Eccleſiæ ſuæ Doctores componit. *Quod in civitatem ſuam Ephra ponit*, cùm veteris teſtamenti doctrinam in Synagoga reponit. *Omnis Iſraël in eo fornicatur*, cùm populus Judaicus carnali ſua intelligentia ſcripturam veteris teſta- D. menti conſtuprare conatur. Quod *Gedeoni & omni domui ejus ſit in ruinam*, cùm propter carnalem in lege Synagogæ intelligentiam, Chriſtus crucis & Paſſionis ſuſtinet ignominiam. Propter quam *tota domus* ejus ſcandalum patitur, ſicut ipſe eidem ſuæ domui in cœna loquitur : *Omnes vos ſcandalum patiemini in me nocte iſta, quia ſcriptum eſt : Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis.* (Matth. XXVI. 31.) Sequitur :

Humiliatus eſt autem Madian ℣. XXVIII.
coram filiis Iſraël, nec potuerunt ultra levare cervices : ſed quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit.

Abiit itaque Jerobaal filius Joas, ℣. XXIX.
& habitavit in domo ſua :

Habuitque ſeptuaginta filios, qui ℣. XXX.
egreſſi ſunt de femore ejus, eo quod plures haberet uxores.

Concubina autem illius, quam ℣. XXXI.
habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech.

Mortuusque eſt Gedeon filius Joas ℣. XXXII.
in ſenectute bona, & ſepultus eſt in ſepulchro Joas patris ſui in Ephra de familia Ezri.

Madian coram filiis Iſraël humiliatur, cùm judicium illud condemnationis, quod per ſcriptam legem denunciatur, per Spiritum libertatis in myſterio Redemptionis expugnatur. *Non poteſt ultra levare cervicem*, de qua Stephanus obduratam redarguit concionem : *Duri*, inquit, *cervice, & incircumciſi cordibus, vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis.* (Act. VII. 15.) *Terra per quadraginta annos quieſcit*, cùm vel Eccleſia, vel quælibet fidelis anima per obſervantiam utriusque teſtamenti, quam ſumma comprehendit quadragenarii numeri, incurſum diaboli, peccati & mortis compeſcit. Quadragenarius enim numerus ex quatuor & decem multiplicatur, & per quaternarium quatuor Evangelia, per denarium Decalogus figuratur. Quô numerô utriusque teſtamenti eminentia denotatur. *Quibus Gedeon præeſſe* memoratur, quia ibi Chriſtus principatur, ubi veteris & novi teſtamenti reverentia conſervatur.

Jerobaal abit, cùm Chriſtus, qui ſua morte judicium vetuſtatis peragit, vel fortem armatum ipſe fortior expellit, ſua Reſurrectione & Aſcenſione cœlos reviſit. *Qui filius Joas* eſſe memoratur, quia de Patriarcharum poſteritate generatur. *Qui in domo ſua habitat*, quia vel Jeruſalem illam ſupernam vel præſentem Eccleſiam Majeſtatis ſuæ gubernatione procurat.

Qui

Digitized by Google

Qui *ſeptuaginta filios habet*, quia Decalogi obſervantiæ ſtudentes, & Sancti Spiritûs gratiæ ſervientes electos omnes in ſorte filiorum ſuorum recenſet. *Qui de femore ejus egrediuntur*, quia ſanguinis ejus effuſione electi in adoptionem filiorum Dei aſſumuntur. Quia enim in femore poſteritas propagatur, rectè per *femur Gedeonis* Redemptionis myſterium figuratur. *Eò quòd plures uxores habeat*, quia Chriſtus multas Eccleſias, quæ unam Catholicam faciunt, ſui Spiritus infuſione fœcundat.

Concubina illius, quam in Sichem habet, eſt Synagoga, quæ illi ab antiquo non filiali, ſed ſervili timore adhæret. *Sichem* enim *humeri* vel *labor* interpretatur, per quam illa vetus lex figuratur, qua humeri portantiū gravi & intolerabili laboris pondere prægravantur. Unde Petrus in Actibus Apoſtolorum diſcipulis loquitur, qui converſis gentibus circumciſionem prædicandam eſſe arbitrantur: *Quare tentatis*
Act. XV. 10. *imponere jugum cervicibus diſcipulorum, quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus?* Concubina Gedeonis *Abimelech generat*, qui *Pater meus Rex* ſonat, qui carnalem in lege intellectum deſignat, quo ipſa DEum Patrem ſuum eſſe Regem falſò æſtimat.

Gedeon in ſenectute bona moritur, cùm Chriſtus morte ſuâ electorum ſuorum omnium redemptionem in cruce operatur. *In ſepulchro Joas patris ſui ſepelitur*, quia Chriſtus in novi teſtamenti memoria reconditur, quod ordo Patriarcharum tota fidei dilectionis devotione complectitur. *In Ephra*, quæ *ubertas* vel *pulverulenta* dicitur, per quam Sancta Eccleſia exprimitur, quæ ubertate virtutum locupletatur, dum ipſa pulverem & cinerem ſe ſemper eſſe recogitans, ante Dei oculos veraciter humiliatur. Quæ *de familia Ezri* eſſe ſcribitur, quod *auxilium meum* dicitur; quia ſancta Eccleſia per veram humiliationem, & virtutum fructificationem familia Creatoris ſui efficitur, ac proinde & hìc & in futuro ejus auxilium conſequitur.

Poſtquam autem mortuus eſt
℣. XXXIII. *Gedeon, averſi ſunt filii Iſraël, &*
fornicati ſunt Baalim; percuſſerunt-
A. *que cum Baal fœdus, ut eſſet eis in*
Deum:

Nec recordati ſunt Domini DEI ℣.
ſui, qui eruit ejus de manibus inimi- XXXIV.
corum ſuorum omnium per circuitum:

Nec fecerunt miſericordiam cum ℣.
domo Jerobaal Gedeon, juxta omnia XXXV.
bona quæ fecerat Iſraëli.

Poſtquam Gedeon moritur: poſtquam Chriſtus in cruce morte ſua myſterium B. Redemptionis exſequitur. *Filii Iſraël avertuntur*: quia Synagogæ filii clamantes: *ſanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros*, à divinæ propitiationis reſpectu excluduntur. (Matth. XXVII. 25.) *Cum Baalim fornicantur*, qui *aſcendentes* vel *ſuperiores* dicuntur: quia malignis ſpiritibus perfidiæ ſuæ contaminatione proſtituuntur, qui eorum aſcenſores & ſuperiores cunctorum vitiorum ſervitute efficiuntur. *Cum Baal fœdus percutiunt*, cùm vetuſtati carnalium voluptatum, obliti cœleſtium & æternorum bonorum, ſe penitus ſubjiciunt. *Ut ſit* C. *eis in Deum*, juxta illud Apoſtoli teſtimonium: *Quorum DEUS venter eſt, & gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt.* (Philip. III. 19.)

Domini DEI ſui non recordantur, qui ejus Unigenitum morte crucis perſequuntur. *Qui eos de manibus omnium inimicorum ſuorum per circuitum eruit*, qui eos de captivitate Babyloniæ repatriare fecit, & Machabæorum temporibus à potentiſſimis hoſtibus mirabiliter eripuit.

Cum domo Jerobaal Gedeon miſericordiam non faciunt: quia ejus Eccleſiam toto D. mentis furore odiendo & inſequendo premunt, qui propter eos in uterum Virginis venit, qui pro eis in cruce Patri miſericorditer ſupplicavit. *Juxta omnia bona quæ Iſraëli fecerat*, quia ipſe patres eorum de terra Ægypti eduxerat, ipſe eos in terram repromiſſionis introduxerat.

Caput IX.

ABiit autem Abimelech filius Je- ℣. I.
robaal in Sichem ad fratres
matris, & locutus eſt ad eos, &
ad omnem cognationem domus patris
matris ſuæ dicens:

℣. II. *Loquimini ad omnes viros Sichem: quid vobis eſt melius, ut dominentur veſtri ſeptuaginti viri, omnes filii Jerobaal, an ut dominetur unus vir? Simulque conſiderate, quòd os veſtrum & caro veſtra ſum.*

℣. III. *Locutiq; ſunt fratres matris ejus de eo ad omnes viros Sichem univerſos ſermones iſtos, & inclinaverunt cor eorum poſt Abimelech dicentes: frater noſter eſt.*

Abimelech abit, cùm carnalitas populi Judaici per carnalem legis intelligentiam à Spiritu vivificante recedit. Abimelech *filius Jerobaal* ſcribitur: quia carnalis ille populus à Deo Patre averſus in ſuis progenitoribus ſanctis Patriarchis & Prophetis Chriſti, Redemptioni adſcribitur. Abimelech *in Sichem abit*, cùm populus Judaicus in carnali legis intelligentia deſipit. *Ad fratres matris ſuæ*, qui ſunt Principes & Doctores Synagogæ. *Ad eos loquitur*, cùm eis in concupiſcentia mundi & carnis blanditur. *Ad omnem cognationem patris & matris ſuæ dicit*; dum illam vitiorum & terrenarum voluptatum propinquitatem ad ſe allicit, C. quam Abraham quondam vocante ſe
Gen. XII. 1. Deo reliquit, cùm ab ipſo audit: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* De quo patre & matre
Job. XVII. 14. Job dicit: *Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus.* Dicit ergo Abimelech cognationi patris & matris ſuæ:

Loquimini ad omnes viros Sichem: Quid vobis eſt meliùs, ut dominentur veſtri ſeptuaginta viri, omnes filii Jerobaal, an ut dominetur vobis unus vir? Ad omnes viros Sichem loquimini vos, qui clavem habentes D. ſcientiæ, legatione ſacra fungimini. *Quid vobis eſt meliùs*, quibus mundi & carnis voluptate nihil eſt dulciùs: *Ut dominentur vobis ſeptuaginti viri* ſcientiâ verâ decalogi & ſeptiformis Spiritûs S. gratiâ pleni? Septuaginti viri, *omnes ſunt Jerobaal filii*: quia vera ſcientia Decalogi, & ſeptiformis gratia Spiritûs S. gignitur ex Redemptione Paſſionis Chriſti. *An ut vobis unus vir dominetur*, de quo Jeremias que-
Jer. XX. 15. ritur: *Maledictus*, inquiens, *vir, qui annunciavit patri meo dicens: natus eſt tibi puer maſculus?* Nempe iſte *vir*, delectatio pec-A.cati intelligitur, per quam primo illi parenti in paradiſo effectus peccati & mortis denuntiatur. *Simul conſiderate*, ne incerta pro certis velitis eligere, ne certa præſentia pro incertis futuris velitis negligere. *Quia os veſtrùm, & caro veſtra ſum*: *os* in ſuſtentatione ſpiritualium vitiorum, *caro* in vegetatione carnalium vitiorum.

Fratres matris ejus de eo loquuntur, quia Doctores Synagogæ omnes carnalitati adſtipulantur. *Ad omnes viros Sichem*, carnaliter exequentes legem, & mundi carniſque amantes voluptatem. *Univerſos* B. *ſermones iſtos* carnalium voluptatum venenô imbutos, quia *corrumpunt mores bonos colloquia mala.* I. Corinth. XII. 33. *Cor eorum poſt Abimelech inclinant*: quia omnes Synagogæ filii carnalitati libenter obtemperant. *Fratrem ſuum* eum nominant, quia carnalem legis intellectum ſuæ carnalitati in omnibus adtemperant.

℣. IV. *Dederúntque illi ſeptuaginta pondo argenti de fano Baalberit. Qui conduxit ſibi ex eo viros inopes & vagos, ſecutiq; ſunt eum.*

℣. V. *Et venit in domum patris ſui in Ephra, & occidit fratres ſuos filios Jerobaal ſeptuaginta viros, ſuper lapidem unum: remanſitq; Joatham filius Jerobaal minimus & abſconditus eſt.*

℣. VI. *Congregati ſunt autem omnes viri Sichem, & univerſa familia urbis Mello: abieruntque, & conſtituerunt regem Abimelech juxta quercum, quæ ſtabat in Sichem.*

Dant illi ſeptuaginta pondo argenti; de quo Iſaias loquitur, cùm ipſius Synagogæ perfidiam execratur: *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam.* Iſa. I. 22. Iſta namque argenti ſumma eſt interiorum & exteriorum ſenſuum corruptio, & vitiorum principalium deformatio, quæ ſeptuagenario numero denotatur, ubi pars pro toto computatur. Datur hoc argentum *de fano Baalberit*, quod *habens pactum* dicitur: quô ſuperbiæ vanitas exprimitur, per quam homo mortis pactum cum ſerpente iniit, cùm in guſtu vetiti ligni ſcientiam boni & mali requiſivit. Abimelech *ex eo viros inopes & vagos conducit*: dum carnalis intellectus Syna-

Synagogæ inopiam vitiorum & vagatio- A.
nem ſenſuum argenti reprobi comparatione ſibi conquirit. *Qui eum ſequuntur*, quia carnalem intellectum Synagogæ vitia omnia, quæ ſunt inopiæ & vagacitatis agmina, perſequuntur.

Abimelech in domum patris ſui Ephra venit, quia carnalis ille Synagogæ populus domus DEI eſſe deſivit, *Fratres ſuos filios Jerobaal ſeptuaginta viros ſuper lapidem unum occidit*, dum ſcientiam Decalogi & ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti ſuper illam cordis ſui duriciam comminuit: quia refrigeſcente in ſe DEI charitate per abun-
dantiam iniquitatis induruit. B. *Joatham filius Jerobaal minimus remanet*: cùm ordo Apoſtolicus Synagogæ perditionem evadit. *Joatham* enim *conſummatus* ſive *perfectus* dicitur, per quem ordo Apoſtolicus conſumatus in timore, perfectus in amore Dei exprimitur. Qui *filius Jerobaal minimus* eſſe ſcribitur: quia ordo Apoſtolicus Christi prædicatione & ſanguine progenitus, ſanctis Patriarchis & Prophetis, qui & ipſi filii fuerunt redemptionis, poſteritate temporis eſt infimus. *Joatham abſconditur*: quia ordo Apoſtolicus ab interitu Synagogæ ſub vera Chriſti dilectione ſer- C.
vatur.

Omnes viri Sichem congregantur, cùm omnes carnalium ceremoniarum ſectatores contra Chriſti & Evangelii prædicationem pari conſpiratione armantur. *Univerſa familia urbis Mello congregantur*, quæ *plenitudo* dicitur: quia & majores & minores Synagogæ in hac conſpiratione coadunantur, pro eo quòd in plenitudine terrenæ voluptatis & mundanæ delectationis gloriantur. Idcirco enim Chriſti prædicationem evangelicam refutant, quia corda eorum ſuperbiâ & avaritiâ mundi æſtu-
ant. Proinde *abeunt*, dum ſenſus ſuos de D.
cœleſtibus ad terrena convertunt. *Regem Abimelech* conſtituunt, dum ſuæ voluptati carnalem legis intellectum præficiunt. *Juxta quercum quæ in Sichem ſtabat*, quæ eorum carnalitatem deſignat, quia quercus pabulum porcis ſubminiſtrat. De qua quercu pleniùs in præcedentibus diximus, ubi Angelum Domini Gedeoni ſub quercu apparuiſſe deſcripſimus. Sequitur:

℣. VII. *Quòd cùm nuntiatum eſſet Joatham, ivit, & ſtetit in vertice montis Garizim: elevataque voce clamavit, & dixit: audite me viri Sichem, ita audiat vos DEus.*

Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ℣. VIII.
ſe regem: dixerúntque olivæ: impera nobis. Quæ reſpondit: numquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dii utuntur & homines, & venire, ut inter ligna promovear?

Dixerúntque ligna ad arborem ℣. IX.
ficum: veni, & ſuper nos regnum accipe.

Quæ reſpondit eis: numquid ℣. X.
poſſum deſerere dulcedinem meam, fructúſque ſuaviſſimos, & ire, ut inter cætera ligna promovear?

Locutáque ſunt ligna ad vitem: ℣. XI.
veni, & impera nobis.

Quæ reſpondit eis: numquid ℣. XII.
poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat DEum & homines, & inter ligna cætera promoveri?

Joatham nunciatur, cùm ordini Apoſtolico à Sancto Spiritu Synagogæ perditio intimatur. *Joatham vadit*, cùm ordo Apoſtolicus in activæ vitæ perfectione proficit. *Stat in vertice montis Garizim*, dum in contemplationis ſublimitate eminet. *Garizim* enim *accola* ſive *advena* interpretatur: quia ordo Apoſtolicus dum in exceſſu mentis elevatur, peregrinum & exulem hujus mundi ſe eſſe contemplatur. Unde Pſalmiſta lamentatur: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.* (Pſal. CXIX. 5.) Et item: *Advena ego ſum, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* (Pſal. XXXVIII. 13.) Joatham *vocem elevat*, cùm ordo Apoſtolicus prædicationis ſuæ tuba inſonat. *Clamat*, cùm magno cordis ſui dolore Synagogæ perditionem deplorat. Unde dicit Apoſtolus: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem.* (Rom. IX. 3.) Joatham *dicit*, cùm ordo Apoſtolicus Synagogæ ſalutis conſilium ingerit. *Audite me viri Sichem*, qui per legis eruditionem vos putatis habere juſtitiæ perfectionem. *Ita vos DEus audiat*, qui vos audire dignabitur, ſi me à vobis exaudiri contueatur.

Ligna ierunt, cùm ſæculi primordia veræ ſcientiæ profectum quæſierunt. *Ut ſuper ſe Regem ungerent*, cujus imitatione

 & eru-

& eruditione proficerent. Proinde *olivæ* A.
dixerunt, cùm Patriarcharum inſtitutio-
nem expetierunt. Ordo enim Sancto-
rum Patriarcharum *olivæ* rectè compara-
tur, quæ *pinguedine* ſapientiæ & divinæ di-
lectionis ſuavitate impinguatur. *Impera*
nobis, verbis & factis edicens nobis my-
ſterium futuræ redemptionis. *Oliva re-*
ſpondet, cùm Patriarcharum ſanctitas mun-
danæ gloriæ aſſenſum non præbet. *Nun-*
quid poſſum deſerere pinguedinem meam, poſt-
ponendo contemplationis refectionem
internam, ſapientiæ ſuavitate refertam?
Qua & Dii utuntur & homines; non ſolùm fi- B.
lii Seth electi, ſed & filii Cain abjecti. *Dii*
enim filii Seth electi vocantur: *hominum*
autem nomine filii Cain nominantur; ſi-
cut utraque vocabula in Geneſi determi-
Gen. VI. 2. nantur: *Videntes filii DEI filias hominum,*
quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex
omnibus quas elegerant. *Pinguedine* ergo *Dii*
& homines utuntur, cùm naturalis ſapientiæ
eruditione tam filii Cain abjecti, quàm &
filii Seth electi in primordio ſæculi imbu-
untur. *Nunquid*, ait, *poſſum venire*, nun-
quid electioni veſtræ poſſum conſentire?
Ut inter ligna promovear, ut hujus ſæculi
gloriâ perfruar, cùm cuncta præſentia C.
vana eſſe & tranſitoria, naturalis ſapien-
tiæ eruditione intuear.

Ligna ad arborem ficum dicunt: cùm
fideles ſub lege poſiti inſtitutionem ordi-
nis Prophetici expetunt. *Veni*, inquiunt,
de tuæ contemplationis ſublimilitate: *&*
ſuper nos regnum accipe in rerum tempora-
lium procuratione.

Ficus reſpondet, cùm Propheticæ ſua-
vitatis maturitas temporalis occupationis
pondus non admittit. *Nunquid poſſum de-*
ſerere dulcedinem meam in ſuavitate internæ
compunctionis, fructusque ſuaviſſimos in
deguſtatione continuæ meditationis? *Ut*
inter cætera ligna promovear, ut ipſa inſtar D.
lignorum inſenſibilium per duriciam cor-
dis, occaſione terrenæ occupationis inſen-
ſibilis efficiar? De hac dulcedine ficûs di-
Mich. VII. 1. cit per Prophetam Spiritus Sanctus: *Præ-*
coquas ficus deſideravit anima mea.

Ligna ad invicem loquuntur, dum Sy-
nagogæ filij carnales *vitem* illam veram in
carne apparentem alloquuntur. *Veni* de
illo propoſito profundæ tuæ humilitatis,
& impera nobis, quos ſaciâſti panibus tuis.
Vitis reſpondet, cùm Chriſtus oblatam ſibi
à populo regni gloriam contemnit. *Nun-*
quid poſſum deſerere vinum meum, in ſuſcepta
A. humanitate humilitatis meæ poculum
cœleſtis ſapientiæ eruditione jucundum?
Quod DEum & homines lætificat, quia humi-
litatis meæ propoſitum, cùm Deo Patri
mundum reconciliat, cunctis electis æter-
næ vitæ lætitiam miniſtrat. Nunquid
inter ligna cætera promoveri, nunquid
cum filiis hominum hujus vitæ jucundi-
tate poſſum delectari, qui propterea in
hunc mundum veni, ut per ſalutarem
meam triſtitiam, mortiferam Evæ matris
omnium detergam laſciviam. Proinde,
inquit, *non bibam amplius de genimine vitis hu-* Marc. XIV. 25.
B. *jus, donec bibam illud vobiſcum novum in regno*
Patris mei.

Dixeruntque omnia ligna ad ỷ. XIV.
Rhamnum: veni & impera ſuper nos.

Quæ reſpondit eis. Si verè me ỷ. XV.
Regem vobis conſtituitis, venite, &
ſub umbra mea requieſcite: Si au-
tem non vultis, egrediatur ignis de
Rhamno, & devoret cedros Libani.

Nunc igitur, ſi rectè & absque ỷ. XVI.
peccato conſtituiſtis ſuper vos regem
Abimelech, & bene egiſtis cum Jero-
C. *baal, & cum domo ejus, & reddidi-*
ſtis vicem beneficijs ejus, qui pugna-
vit pro vobis,

Et animam ſuam dedit periculis, ỷ. XVII.
ut erueret vos de manu Madian:

Qui nunc ſurrexiſtis contra do- ỷ. XVIII.
mum patris mei, & interfeciſtis filios
ejus ſeptuaginta viros ſuper unum
lapidem, & conſtituiſtis regem Abi-
melech filium ancillæ ejus ſuper ha-
bitatores Sichem, eo quod frater ve-
ſter ſit.

D. *Si ergo rectè & absque vitio egi-* ỷ. XIX.
ſtis cum Jerobaal & domo ejus, ho-
die lætamini in Abimelech, & ille læ-
tetur in vobis.

Sin autem perversè, egrediatur ỷ. XX.
ignis ex eo, & conſumat habitatores
Sichem, & oppidum Mello: egredia-
túrque ignis de viris Sichem, & de
oppido Mello, & devoret Abimelech.

Quæ cùm dixiſſet, fugit & abiit in ỷ. XXI.
Bera: habitavitq; ibi ob metum Abi-
melech fratris ſui.

Omnia

Digitized by Google

Omnia ligna ad Rhamnum dicunt, cùm perfidæ Synagogæ infelicia germina Anti-Chriſtum expetunt. Qui rectè *rhamno* comparatur: quia ipſe caput omnium reproborum aculeis vitiorum ſine numerò exaſperatur. *Veni*, inquiunt, deſiderate, *& impera ſuper nos* ſeductor maxime.

Rhamnus *reſpondet*: cùm Antichriſtus omni terrenæ gloriæ delectationi ſe exhibet. *Si verè*, inquit, *me Regem vobis conſtituitis*, qui Chriſtum Regem pauperem habere voluiſtis, *venite* per mundi carniſque voluptatem, *& ſub* mea hypocriſi fovete vitiorum veſtrorum fœditatem. *Si autem non vultis*, quicunque meo imperio ſubjici deſpicitis: *Ignis de Rhamno egrediatur*, flamma perſecutionis de me progrediatur. *Et cedros Libani devoret*: quia electos Eccleſiæ eminentes incorruptibili æternitatis amore, flammæ meæ perſecutionis exurendo conſument.

Nunc igitur ſi rectè & absque peccato ſuper vos Regem Abimelech conſtituiſtis, ſi recta intentione & absque peccati contaminatione carnalitati, vel carnali legis intelligentiæ vos ſubjeciſtis. *Si benè cum Jerobaal & cum domo ejus egiſtis*, ſi Chriſto & ejus Eccleſiæ rectè retribuiſtis. *Si vicem ejus beneficiis reddidiſtis*, ſi ejus dilectioni dilectionis vicem rependiſtis. *Qui pro vobis pugnavit*, qui ſe in carne pro vobis humiliavit.

Qui animam ſuam periculis dedit, cum eam in morte crucis in redemptionem totius humani generis depoſuit. *Ut vos de manu Madian erueret*, ut morte ſua indebita regnum mortis à vobis averteret.

Qui nunc contra domum patris mei ſurrexiſtis, qui ipſò crucifixò ejus Eccleſiam perſequi cœpiſtis. *Qui filios ejus, ſeptuaginta viros ſuper unum lapidem interfeciſtis*, qui ejus diſcipulos ſeptiformis S. Spiritûs gratia, & Decalogi ſcientiâ plenos, vel occidendo, vel de Synagoga ejiciendo, ob duritiam cordis veſtri à vobis excluſiſtis. *Qui Regem Abimelech filium ancillæ ejus ſuper habitatores Sichem conſtituiſtis*: qui carnalem intellectum, Agar filium, ſuper legis apices myſterium crucis in ſe continentes eduxiſtis. *Eò quod frater veſter ſit*, eò quòd veſtræ carnalitati carnalis intellectus vinculo propinquitatis cohæreat.

Si ergo rectè & absque vitio cum Jerobaal
A. *& domo ejus egiſtis*: qui implacabile odium in Chriſtum Eccleſiam ejus dimittere non vultis. *Hodie in Abimelech lætamini*, toto tempore hujus ſæculi de carnali legis intellectu gloriamini. *Et ille in vobis lætetur*; per vos alumnos ſuos ipſe ubique terrarum propagetur.

Si autem perverſè, quia ei væ, qui tenebras pro luce, mala pro bonis vult approbare. *Ignis* perditionis *ex eo gre- diatur*, qui omnia genimina veſtra depopuletur. *Qui habitatores Sichem conſumat*, qui habitatores Jeruſalem diſperdat. *Et oppidum Mello* conſumat, qui plenitudinem templi evacuando abſumat. E con-
B. verſo *ignis* eruditionis & ſcientiæ perfectæ, *de viris Sichem*, de filiis Synagogæ, *& de oppido Mello*, de plenitudine legis & Prophetarum, *progrediatur*; *qui Abimelech devoret*, qui carnalem legis intellectum gladio Spiritus trucidet.

Cum hæc Joatham dixiſſet, ſcilicet, cùm ordo Apoſtolicus iſtam damnationis ſententiam Synagogæ ingeſſiſſet, *fugit*, quia ejus perfidiam deſerit. *Et in Bera abit*: quia ad gentium Eccleſiam tranſit. *Bera* enim *puteus* interpretatur, per quem gentium Eccleſia, veram Dei & Sanctæ Scriptu-
C. ræ habens ſcientiam deſignatur. *Vobis*, Act. XIII. 46.
inquiunt Apoſtoli, *oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quia contemnitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ: ecce convertimur ad gentes*. Joatham *ibi habitat*: quia prædictionis Apoſtolicæ doctrina Eccleſiam Catholicam inhabitat. *Metu Abimelech fratris ſui*, quia perfidiam exhorret populi Judaici.

Moraliter Ligna eunt, ut ſuper ſe Regem ungant, cùm Eccleſiæ filii quærunt, ut Prælatum ſibi conſtituant. Olivam, ficum, vitem impetunt, cùm quemlibet Eccleſiæ filium ſapientiæ pin-
D. guedine, virtutum maturitate, doctrinæ ſuavitate pollentem, ad prælationem expetunt. Oliva, ficus, vitis, unaquæque regnum renuit: cùm fidelis ſubditus pollens virtutibus, humilitatis gratiâ prælationem reſpuit. Ligna rhamnum expetunt, cùm perverſi ſubditi perverſum Prælatum conſtituunt. Rhamnus annuit, umbram ſuam eis expandit, quia perverſus Prælatus vitæ ſuæ ſimulationem perverſis ſubditis ad vitiorum defenſionem prætendit. Super hoc Joatham clamat, quia Sancta Scriptura per Joatham

Joatham expreſſa denunciat, quale judicium condemnationis ſequatur perverſitatem iniquæ electionis. Ignis enim de perverſo Prælato egreditur, quo perverſi ſubditi conſumuntur: quia perverſi Prælati exemplô vel negligentiâ perverſi ſubditi in perditionis tartarum prolabuntur. De perverſis ſubditis ignis egreditur, quô perverſus Prælatus conſumitur: quia tam pro eorum negligentiis, quàm pro ſuis culpis æternæ damnationi addicitur. Sequitur:

℣. XXII. *Regnavit itaque Abimelech ſuper Iſraël tribus annis.*

℣. XXIII. *Miſitque Dominus ſpiritum peſſimum inter Abimelech & habitatores Sichem, qui cœperunt eum deteſtari,*

℣. XXIV. *Et ſcelus interfectionis ſeptuaginta filiorum Jerobaal, & effuſionem ſanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem ſuum, & in cæteros Sichimorum Principes, qui eum adjuverant.*

℣. XXV. *Poſuerúntque inſidias adverſus eum in ſummitate montium: & dum illius præſtolabantur adventum, exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus. Nuntiatumque eſt Abimelech.*

Abimelech ſuper Iſraël *tribus annis regnat*, cùm carnalis intelligentia legis circumciſioni, Sabbatho & carnalibus ceremoniis imperat. *Abimelech tribus annis ſuper Iſraël regnat*, quia carnalis intelligentia Synagogæ tamdiu dominatur, quamdiu clauſô cœlô evangelicæ prædicationis pluviâ ipſa irrigari non meretur.

Spiritus peſſimus inter Abimelech & habitatores Sichem divinitùs mittitur, cùm per diſcordiam Synagoga à carnali intelligentia dividitur. Spiritus enim peſſimus diſcordiæ Spiritus accipitur, de quo ipſe
Prov. VI. 16. DEus in libro Sapientiæ loquitur: *Septimum eſt, quod deteſtatur anima mea, qui ſeminat inter fratres diſcordiam. Habitatores Sichem Abimelech incipiunt deteſtari*, cùm cultores legis carnalem intelligentiam per viſitationem DEI incipiunt abominari.

Scelus interfectionis ſeptuaginta filiorum Jerobaal, & effuſionem ſanguinis eorum in Abi- A. *melech fratrem ſuum conferunt*, quia ablato velamine cordis Synagogæ filii carnali ſuæ intelligentiæ hoc adſcribunt, quòd veram Decalogi ſcientiam, & ſeptiformem S. Spiritus gratiam à ſe repulerint, quòdque ſanguinem teſtium Chriſti in ſuis parentibus effuderint. Hoc *& in cæteros Sichimorum principes conferunt, qui eum adjuverant*, quia malignos ſpiritus vitiorum incentores ſuos principes fuiſſe recognoſcunt, qui carnalem in eis intellectum hactenus foverant.

Proinde *inſidias adverſus eum in montium ſummitate ponunt*, B. dum carnali ſuo intellectui ſpiritalem intelligentiam ſanctorum Patriarcharum & Prophetarum & Apoſtolorum opponunt. *Illius adventum præſtolantur*, quia dum diligenter obſervant, ne à carnali intellectu callidè circumveniantur: *exercent latrocinia*, veræ ſcientiæ agentes comercia. *Agunt prædas de prætereuntibus*, innumera ſpolia veræ ſcientiæ conquirentes â Sanctis Prophetis & Apoſtolis utriuſque teſtamenti conditoribus. Iſti ſunt namque *prætereuntes* illi, quos teſtimonium illud denotat Pſalmigraphi: *Et non dixerunt, qui præteribant,* Pſal CXXVIII. 8.
C. *benedictio Domini ſuper vos; benediximus vobis in nomine Domini.* Hos prætereuntes Jeremias Propheta in perſona ipſius Redemptoris hortatur ad luctum & lamentationem ſuæ Paſſionis: *O vos omnes qui* Thren. I. 12.
tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. De his prætereuntibus in libro Regum ſcribitur, quòd *omnis pecunia,* IV. Reg. XII. 4.
quæ à prætereuntibus in templum Domini offertur, Sacerdotum diligentiæ committatur, Prætereuntes namque pecuniam in templum Domini congerunt, cùm ſancti Prophetæ & Apoſtoli conditores D. utriuſque teſtamenti cœleſtis ſapientiæ doctrinam de Sanctuario cœli in Eccleſiam DEI deferunt. Quæ ſacerdorum diligentiæ ſervanda committitur, quia à Sanctæ Eccleſiæ Doctoribus utriuſque teſtamenti inſtitutione vera ſalutaris doctrinæ prædicatio perficitur. Qui ſcilicet Sancti Prophetæ & Apoſtoli idcirco *prætereuntes* vocantur, quia hujus ſæculi viam ſine aliquo terrenæ delectationis contagio tranſcurrere per DEI gratiam conantur. *Abimelech* de inſidiis *nunciatur*, quia à malignis ſpiritibus furor carnalis intelligentiæ in Synagogæ filiis recalcitrantibus incitatur. Sequitur:

Venit

Digitized by Google

℣. XXVI. *Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus, & tranſivit in Sichimam. Ad cujus adventum erecti habitatores Sichem,*

℣. XXVII. *Egreſſi ſunt in agros, vaſtantes vineas, uvasque calcantes: & factis cantantium choris, ingreſſi ſunt fanum Dei ſui, & inter epulas & pocula maledicebant Abimelech.*

℣. XXVIII. *Clamante Gaal filio Obed: Quis eſt Abimelech, & quæ eſt Sichem, ut ſerviamus ei? Numquid non eſt filius Jerobaal, & conſtituit Principem Zebul ſervum ſuum ſuper viros Emor patris Sichem? Cur ergo ſerviemus ei?*

℣. XXIX. *Utinam daret aliquis populum iſtum ſub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech. Dictumque eſt Abimelech: congrega exercitus multitudinem, & veni.*

Gaal venit, cùm Evangelii prædicatio advenit. *Gaal* enim *abjiciens*, vel *revelatio* dicitur: quia per Evangelii prædicationem veritas mundo revelatur, quâ imperfectio legis abjicitur. Gaal *filius Obed* ſcribitur, qui *ſervus* dicitur: quia Evangelii prædicatio à Chriſto gignitur, qui in aſſumptæ humanitatis habitu, pro Redemptione humani generis ſervus DEI Patris efficitur. Gaal *cum fratribus ſuis venire* ſcribitur: quia prædicatio Evangelii cum Sanctis Apoſtolis egreditur, de quibus Mariæ Magdalenæ Chriſtus loquitur: *Vade & dic fratribus meis.* [Joan. XX. 17.] Gaal *in Sichimam tranſit*: quia Evangelii prædicatio in Synagoga exurgit, quam *Sichima* exprimit. *Habitatores Sichem ad adventum Gaal eriguntur.* Sichem enim *humeri* vel *labor* interpretatur, quo nomine myſteriũ Crucis figuratur, quam ipſe Chriſtus in ſuis humeris portat, in qua laborem Paſſionis pro mundi redemptione tolerat. De quo nimirum myſterio crucis in libro Joſue pleniùs diximus, cùm in Sichem conventum magnificum fieri deſcripſimus. Habitatores Sichem *in agros egrediuntur*, cùm miniſtri crucis in diverſas Eccleſias, quæ unam Catholicam faciunt, diffunduntur. *Vineas vaſtant*, cùm de ſcri-A.pturæ maceriis florentes ſententias exportant. *Uvas calcant*, cùm de maturis legis & Prophetarum literis dulcem allegoriæ & moralitatis liquorem continuæ meditationis impulſu exprimere conantur. Quam calcationem Jeremias in Spiritu proſpicit, dum à populo gentium *celeuſma, quaſi calcantium in torculari*, quandoque decantari deſcribit. [Jerem. XXV. 30.] Unde rectè hìc ſubditur, quòd *factis cantantium choris, fanum Dei ſui ingrediuntur*, quia converſi de gentibus, ipſi templum Dei efficiuntur, ſicut Apoſtolus fidelibus loquitur: *Tem-B.plum Dei ſanctum eſt: quod eſtis vos* [I. Corinth. III. 17.] Et item: *Vos eſtis templum Dei vivi.* [II. Corinth. IV. 16.] Chori cantantium fiunt, dum in Eccleſia gentium diverſi ordines benè viventium die noctuque laudes Creatori ſuo per orbem terrarum concinunt. *Inter epulas & pocula Abimelech maledicitur*; dum inter dulcia legis & Prophetarum fercula, inter jucunda pſalmodiæ pocula, vel carnalis intelligentia ſcripturæ, vel ipſa carnalitas à miniſtris crucis abjicitur. * [* Cod. addicitur.]

Gaal filius Obed clamat, cùm Chriſti Evangelium per orbem terrarum intonat. C. *Quis eſt Abimelech*, quis eſt ſenſus carnalitatis, *& quæ eſt Sichem*, quæ eſt Redemptio crucis, *ut ei ſerviamus*, ut nos, qui in novitate vitæ ambulamus, carnalitati deſerviamus, per quam nos ab exordio deceptos fuiſſe non ignoramus? *Nunquid non eſt Jerobaal filius*, nunquid carnalitatis ſenſus non eſt ab illo prævaricatore Adam progenitus? Qui dum ſuperiori ſuo, Deo, inobediens efficitur, ipſe jurgium ſuperioris ſui, ſcilicet Spiritus, in carne propria experitur. *Et conſtituit principem Zebul ſervum ſuum ſuper viros Emor patris Sichem.* Ze-D.bul *habitaculum* dicitur, per quem vel lex vetus, vel delectatio, & conſenſus peccati exprimitur, cui velut habitaculo ſuo carnalitas innititur. *Abimelech Zebul ſervum ſuum principem conſtituit*, dum carnalis intelligentia veterem legem, quam ſuo dominio ſubjecit, carnali populo præficit. *Abimelech Zebul ſervum ſuum principem conſtituit*, dum carnalitas delectatione & conſenſu peccati, quæ ſuo dominio ſubjicit, carnalium colla deprimit. *Super viros Emor*, qui *aſinus* dicitur: quo nomine ſtultitia exprimitur, quibus vel carnalis intelligentia, vel delectatio & conſenſus peccati dominatur. *Emor pater Sichem* ſcri-

Digitized by Google

ſcribitur, per quem crux exprimitur, quia A.
per ſtultitiam prædicationis crucis Chriſti fides in mundo propagatur, ſicut Apo-
I. Corinth. I. 21. ſtolus proteſtatur: *Quia per ſapientiam ſuam mundus non cognovit DEum, placuit DEO per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.*
Ibid. 23. Et item: *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Per *Emor* enim, qui *aſinus* interpretatur, ordo Prædicatorum exprimitur. Sicut Jacob benedicens filio ſuo loquitur: *Iſachar aſinus fortis, habitans in-*
Gen. XLIX. 14. *ter terminos.* Gaal ergo ſuper viros Emor patris Sichem Zebul dominari dedignatur; cùm Sancti Evangelii veritas illis vel ſtultitiam carnalis intelligentiæ, vel dele- B. ctationem & conſenſum peccati dominari indignatur, per quos crucis Chriſti prædicatio in Eccleſia gentium propagatur. *Cur*, inquit, *ei ſervimus?* cur vel carnali intelligentiæ, vel delectationi, & conſenſui peccati ſubjacemus nos, qui pignus Spiritûs accepimus, ac proinde Spiritu in carne DEO ſervire debemus? *Ubi enim*
II. Corinth. III. 17. *Spiritus Domini, ibi libertas.*

Proinde *Gaal clamat*, dum per Spiritum adoptionis libertatem Chriſti fidelibus exoptat: *Utinam*, inquit, *daret aliquis populum iſtum ſub manu mea, ut auferrem de* C *medio Abimelech. Populus enim ſub manu Gaal datur*, cùm ſpiritus, anima, corpus Evangelicæ prædicationi ſubjiciuntur. De *medio populi Abimelech per Gaal aufertur*, dum per Evangelii perfectionem de ſenſibus interioribus & exterioribus carnalitas expungitur. *Abimelech dicitur*, cùm carnalitati per delectationem & conſenſum peccati innuitur, ut Evangelicæ perfectioni ſe inſequenti obluctetur. *Congrega* per peccati ſuggeſtionem *exercitus multitudinem*, vitiorum numeroſitatem, *& veni* per peccati conſummatio- D. nem.

℣. XXX. *Zebul enim Princeps civitatis auditis ſermonibus Gaal filii Obed iratus eſt valde.*

℣. XXXI. *Et miſit clam ad Abimelech nuntios, dicens: Ecce Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus ſuis, & oppugnat adverſum te civitatem.*

℣. XXXII. *Surge itaque nocte cum populo, qui tecum eſt, & latita in agro.*

Et primo manè oriente Sole, irrue ſuper civitatem. Illo autem egrediente adverſum te cum populo ſuo, fac ei, quod potueris. ℣. XXXIII

Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu ſuo nocte, & tetendit inſidias juxta Sichimam in quatuor locis. ℣. XXXIV.

Zebul princeps civitatis auditis ſermonibus Gaal valde iraſcitur, quia delectatio peccati pœnitentiæ proditione valde concitatur, quæ per Gaal exprimitur, qui *revelatio* dicitur. In pœnitentiæ enim con- B. feſſione peccata revelantur, cujus ſermonibus Zebul valde amaricatur. Proinde *clam nuncios ad Abimelech mittit*, dum pulſatione ſuggeſtionis carnalitatem aſciſcit. *Ecce*, inquit, *Gaal filius Obed in Sichimam cum fratribus ſuis venit*: quia pœnitentia cum confeſſione & ſatisfactione in animam peccatricem pertranſit. Gaal *filius Obed* ſcribitur, qui *ſervus* dicitur: quia per activæ vitæ ſervitutem veræ pœnitentiæ compunctio gignitur. *Gaal adverſum te civitatem oppugnat*; quia veræ pœnitentiæ compunctio carnalitatis imperio repug- C nat. *Surge itaque nocte*, promove te in
ignorantiæ duplicis cœcitate. *Qui enim* I. Theſ. V. 7.
dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrius eſt, nocte ebrius eſt. Cum populo qui tecum eſt, vitiorum, vel cogitationum, verborum & operum, *Latita in agro*, abſcondere in obſcuro cordis exercitio.

Primò manè, oriente ſole, irrue ſuper civitatem, crepuſculo ſuggeſtionis, excreſcente ardore delectationis, *irrue* in mortem animæ infelicis per effectum conſummationis. *Illo adverſum te cum populo egrediente*, pœnitentia cum confeſſione D. & ſatisfactione tibi occurrente, *fac ei quod potueris*, quia forſitan non poteris totum, quod volueris.

Abimelech cum omni exercitu ſuo nocte ſurgit, quia carnalitas cum omni vitiorum cohorte in ignorantiæ cæcitate conſurgit. *Inſidias juxta Sichimam in quatuor locis tendit*, dum carnalitas per ſuggeſtionem, per delectationem, per conſenſum & defenſionem peccati animæ infelici mortis laqueos intendit. Sequitur:

Egreſ-

Digitized by Google

℣. XXXV. *Egreſſusque eſt Gaal filius Obed, & ſtetit in introitu portæ civitatis. Surrexit itaque Abimelech, & omnis exercitus cum eo de inſidiarum loco.* A.

℣. XXXVI. *Cumque vidiſſet populum Gaal, dixit ad Zebul: Ecce de montibus multitudo deſcendit. Cui ille reſpondit: Umbras montium vides quaſi hominum, & hoc errore deciperis.*

℣. XXXVII. *Rursúmque Gaal ait: Ecce populus de umbilico terræ deſcendit, & unus cuneus venit per viam, quæ* B. *reſpicit quercum.*

℣. XXXVIII *Cui dixit Zebul: ubi eſt nunc os tuum, quo loquebaris: Quis eſt Abimelech, ut ſerviamus ei? Nonne hic populus eſt, quem deſpiciebas? Egredere, & pugna contra eum.*

Gaal filius Obed egreditur, cùm prædicatio Evangelii per Redemptionem Chriſti progreditur. *Stat in introitu portæ civitatis*, quia prædicatio Evangelii eminet in ſanctificatione baptiſmatis, quo fit introitus in ſocietatem, vel Jeruſalem cœleſtis, vel C. Eccleſiæ præſentis. Unde ipſe Redemptor poſt Reſurrectionem loquitur diſcipulis ſuis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* (Matth. XXVIII. 19.) *Abimelech ſurgit*, cùm carnalis intelligentia literæ legalis ſpiritui vivificanti obſiſtit. *Omnis exercitus cum eo de inſidiarum loco ſurgit*, cùm veteris teſtamenti Scriptura per literam, per Allegoriam, per Moralitatem, per Anagogen ſe exerit. *Gaal populum videt*, cùm prædicatio Evangelii multitudinem gentium ad ſe venientium conſpicit. *Gaal ad Zebul dicit*, cùm novum teſtamentum veteri teſtamento D. ſermonem ſuum jungit. *Ecce de montibus multitudo deſcendit*: quia de Patriarcharum & Prophetarum præfigurationibus multitudo myſteriorum defluit. *Zebul reſpondet*, cùm vetus teſtamentum novo teſtamento occurrit. *Umbras montium vides quaſi hominum capita*; quia præfigurationes Patriarcharum & Prophetarum conſpicis quaſi redemptionis myſteria. *Hoc errore deciperis*, quia iſtis myſteriis redemptionis, quæ errori videbuntur ſtultis & profanis, tu in auctore tuo, per quem inſtitueris, deorſum capieris.

Rurſus Gaal ait: cùm prædicatio Evangelii myſterium Redemptionis aperit. *Ecce populus de umbilico terræ aſcendit*: quia multitudo Redemptionis de Jeruſalem, quæ *umbilicus terræ* eſſe ſcribitur, venit. Unde Propheta dicit: *Hæc eſt Jeruſalem, in medio gentium poſui eam, & in circuitu ejus nationes.* (Ezech. V. 5.) *Unus cuneus venit per viam, quæ reſpicit quercum*, quia *quercus* veterem legem exprimit, quæ ad myſterium Redemptionis intentionis ſuæ aciem dirigit, ſicut Apoſtolus dicit: *Ubi venit plenitudo temporis, miſit DEus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret.* (Ad Galat. IV. 4.)

Zebul dicit, cùm veteris legis carnalis obſervantia prædicatoni Evangelii reſiſtit. *Ubi eſt nunc os tuum quo loquebaris*, ubi ſunt prædicatores tui, quibus conteſtaris: *Quis eſt Abimelech, ut ei ſerviamus?* quæ eſt litera legis, ut ei obtemperemus? *Nonne iſte eſt populus, quem deſpiciebas*; pro *deſpicis*, quia in litera legis myſterium latet Redemptionis: *Egredere* per novi teſtamenti inſtitutionem, *& pugna* contra legem per Evangelii prædicationem.

℣. XXXIX. *Abiit ergo Gaal exſpectante Sichimorum populo, & pugnavit contra Abimelech,*

℣. XL. *Qui perſecutus eſt eum fugientem, & in urbem compulit: cecidерúntque ex parte ejus plurimi uſque ad portam civitatis:*

℣. XLI. *Et Abimelech ſedit in Ruma: Zebul autem Gaal & ſocios ejus expulit de urbe, nec in ea paſſus eſt commorari.*

Gaal abit expectante populo Sichimorum; quia Evangelium ſurgit mirante populo Judæorum. *Contra Abimelech Gaal pugnat*: quia Evangelii prædicatio veteris legis carnalem traditionem impugnat.

Abimelech Gaal *fugientem perſequitur*, quia litera legis Evangelii redemptionem latenter proſequitur. *In urbem eum compellit*, quia in Eccleſiam gentium Evangelii prædicationem de Synagoga expellit. *Cadunt ex parte ejus plurimi*, quia in prædicatione Evangelii occumbunt Martyres innumeri. *Uſque ad portam civitatis*, usque ad introitum Jeruſalem cœleſtis.

Abimelech ſedet in Ruma, quæ interpretatur *excelſa*: quia carnalis intelligentia

Digitized by Google

manet in Synagoga, ſuperbiæ ſpiritu in- A. flata. *Zebul Gaal* & *ſocios ejus expellit de urbe*: quia veteris legis cultores, Evangelii prædicatores, Sanctos Apoſtolos & eorum ſocios expellunt de finibus Jeroſolymæ. *Nec in ea patitur eam commorari*: quia nolunt cultores veteris teſtamenti prædicatores Evangelii in Jeruſalem converſari.

Moraliter *Gaal filius Obed egreditur*, cùm compunctio pœnitentiæ per activæ vitæ exercitia progreditur. *Stat in introitu portæ civitatis*, quia diſtrictio compunctionis tuetur cuſtodiam cordis, per quam porta civitatis aperitur vel claudituṛ: quia per B. aditum cordis patet introitus vel virtutibus vel vitijs. *Abimelech ſurgit*, cùm carnalitas ſe exerit. *Omnis exercitus cum eo de inſidiarum loco ſurgit*: quia multitudo vitiorum ex ſuggeſtione, ex delectatione, ex conſenſu, & defenſione peccati prorumpit. *Videt Gaal populum*; quia diſtrictio compunctionis deprehendit exercitum vitiorum. *Ad Zebul dicit*, cùm delectationi & conſenſui peccati contradicit. *Ecce de montibus multitudo deſcendit*, quia de ſuperbiæ germine ſpiritalium vitiorum multitudo prorumpit. *Zebul reſpondet*, cùm delectatio & conſenſus peccati multitu- C. dinem vitiorum oſtendit. *Umbras montium vides quaſi hominum capita*, quia dæmonum phantaſmata conſpicis quaſi rationabilium cogitationum initia. *Hoc errore deciperis*; quia hac ſeductione deorſum caperis, quiſquis umbras montium quaſi hominum capita ſequeris. *Rurſus Gaal ait*: cùm diſtrictio compunctionis confuſionem irruentium vitiorum deprehendit. *Ecce*, inquit, *populus de umbilico terræ aſcendit*, quia cùm de montibus ſuperbiæ multitudo ſpiritalium vitiorum deſcendit, de umbilico luxuriæ populus carnalium vitiorum exurgit. Primò enim ſpiritus intumeſcit, & poſtmodum caro in corrup- D. tione luxuriæ putreſcit. *Unus cuneus venit per viam, quæ reſpicit quercum*: quia carnalium concupiſcentiarum impetus de gaſtrimagia conſurgit, quam quercus exprimit, quæ pabulūm porcis ingerit. Prius enim venter cibis & potibus diſtenditur, & ſic caro concupiſcentiarum ſtimulis incenditur. *Zebul dicit*: cùm delectatio peccati vim ſuam pœnitentiæ compunctioni oſtendit. *Ubi eſt*, inquit, *nunc os tuum, quô loquebaris*, ubi eſt gloriatio tua, quâ extollebaris, *dicendo, quis eſt Abimelech, ut ei ſerviamus*? quæ eſt carnalitas, ut ei ſubiaceamus? *Nonne iſte eſt populus, quem deſpiciebas*? Nonne iſte eſt carnalitatis exercitus, quem pro nihilo habebas? *Egredere* per confeſſionem, *& pugna contra eum* per ſatisfactionem. *Gaal abit, & cum Abimelech confligit*, cùm compunctio ſe armat, ut per continentiam, orationem & meditationem carnalitati reſiſtat. *Abimelech Gaal fugientem perſequitur*, quia violentia carnalitatis aciem compunctionis fortiter inſequitur. *Cadunt ex parte ejus plurimi uſque ad portam civitatis*, quia ex parte compunctionis labores plurimi continentiæ, orationis & meditationis ſuccumbunt violentiæ carnalitatis uſque ad diſſolutionem corporis, quâ ſpiritui patet introitus cœleſtis civitatis. *Corpus enim* Sap. IX. 15.
quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Abimelech *in Ruma ſedet*, quia carnalitas ſuperbiæ carnis inſidet. *Zebul Gaal & ſocios ejus de urbe expellit*: quia violentia delectationis compunctionē pœnitentiæ cum ſociis virtutibus de quiete ſuæ habitationis propellit. *Non patitur eam in ea commorari*: quia violentia delectationis non ſinit pœnitentiam perſeveranter in mente commorari. Sequitur:

Sequenti ergo die egreſſus eſt po- ℣. XLII.
pulus in campum. Quod cùm nun-
ciatum eſſet Abimelech,

Tulit exercitum ſuum, & diviſit ℣. XLIII.
in tres turmas, tendens inſidias in
agris. Vidénſque, quòd egrederetur
populus de civitate, ſurrexit & ir-
ruit in eos

Cum cuneo ſuo, oppugnans, & ℣. XLIV.
obſidens civitatem: duæ autem tur-
mæ palantes per campum adverſa-
rios perſequebantur.

Porro Abimelech omni die illo op- ℣. XLV.
pugnabat urbem: quam cepit inter-
fectis habitatoribus ejus, ipſaque
deſtructa, ita ut ſal in ea diſpergeret.

Quod cùm audiſſent, qui habi- ℣. XLVI.
tabant in turre Sichimorum, ingreſſi
ſunt fanum DEI ſui Berith, ubi fœ-
dus cum eo pepigerant, & ex eo lo-
cus nomen acceperat, qui erat mu-
nitus valde.

Pri-

Primus dies eſt veteris Teſtamenti inſtitutio. *Sequens dies* eſt novi Teſtamenti illuminatio. *Sequenti die populus in campum egreditur*, cùm in novi Teſtamenti inſtitutione Eccleſiæ populus in latitudinem gentium diffunditur. Hoc *Abimelech nunciatur*, quia in veteri teſtamento futura gentium ſalvatio denunciatur.

Abimelech *exercitum ſuum tollit, & in tres turmas dividit*, cùm veteris teſtamenti ſcriptura in legem, in prophetiam & in agiorapha ſe diſtinguit. Abimelech *in tres turmas exercitum ſuum dividit*, cùm Synagoga in Sacerdotes, Scribas & Pharì- B ſæos populum ſuum diſtribuit. Abimelech *inſidias in agris tendit*: cùm veteris teſtamenti ſcriptura in exercitio literæ patentis latentes excubias allegoriæ & moralitatis prætendit. Abimelech *videt populum egredi de civitate*, cùm Synagoga dolet populum credentium in primitivæ Eccleſiæ collectione de illa ſua Jeruſalem ſe promovere.

Oppugnat per legalium cæremoniarum traditionem: *& obſidet* per legis defenſionem, *Civitatem*, Eccleſiæ collectionem & Evangelii prædicationem. *Duæ turmæ palantes per campem adverſarios perſe-* C *quuntur*, quia Scribæ & Phariſæi in latitudine gentium commorantes, Chriſtiani nominis cultores inſequuntur.

Abimelech omni die illo urbem oppugnat, quia Synagoga in novi teſtamenti inſtitutione ſanctam Eccleſiam impugnat. Abimelech *urbem capit, & habitatores ejus interficit*: cùm Synagoga in morte Stephani Protomartyris de expugnatione Eccleſiæ hilareſcit. *Ipſam deſtruit*: cùm Eccleſiæ primitivæ collectam in Jeruſalem diſpergit. *Ita ut ſal in ea diſpergat*, ut ipſos etiam à Jeruſalem expellat, quibus D.
Matth. V, 13. in Evangelio ipſe Chriſtus loquitur: *Vos eſtis ſal terræ.*

Turris Sichimorum, eſt confidentia legalium cæremoniarum. *Sichimitæ fanum Dei ſui Berith ingrediuntur*, cùm obſervatores legis in ſuperbia extolluntur. *Ubi fœdus cum Abimelech pepigerant*, quia per ſuperbiam carnalitatem ad ſe attraxerant. *Ex eo locus nomen acceperat*: quia *Berith pactum* ſonat, quod ſuperbiam deſignat, cum qua ille primus parens pactum iniit, quando contra voluntatem A. creatoris ſui guſtum vetiti ligni attigit. Qui locus *valde munitus* eſſe ſcribitur: quia ſuperbia cunctorum vitiorum munitione circumdatur.

Abimelech quoque audiens viros ℣.
turris Sichimorum pariter conglo- XLVII.
batos,

Aſcendit in montem Selmon cum ℣.
omni populo ſuo: & arrepta ſecuri, XLVIII.
præcidit arboris ramum, impoſitumque ferens humero, dixit ad ſocios: quod me videtis facere, citò facite.

Igitur certatim ramos de arbo- ℣. XLIX.
ribus præcidentes, ſequebantur ducem. Qui circumdantes præſidium ſuccenderunt: atque ita factum eſt, ut fumo & igne mille homines necarentur, viri pariter & mulieres habitatores turris Sichem.

Abimelech *viros turris Sichimorum pariter conglobatos audit*, quia carnalitas perverſam concordiam carnalium obſervatorum legis intelligit.

Proinde *in montem Selmon cum omni populo aſcendit*, dum prudentiæ carnis cum omni vitiorum collegio intendit. *Selmon* enim *ſenſibibis* vel *ſenſus* interpretatur, quô prudentia carnis figuratur. Abimelech *ſecurim arripit*, dum carnalitas continua meditatione peccatum acuit, quod ferrum ſecuris exprimit. Quâ *ramum arboris præcidit*, dum defenſionem peccati deſperationem mortis excidit. *Ramus humero imponitur*, cùm continuæ deſperationis ſarcina conſcientia premitur. Proinde *Abimelech ad ſocios dicit*: cùm carnalitas ſenſus interiores & exteriores ad operationem peccati inſtruit. *Quod me videritis facere, citò facite*: ne flos temporis nos prætereat, ne quod ſit pratum delectationis, quod luxuria noſtra non pertranſeat.

Certatim ramos de arboribus præcidunt, cùm ſenſus interiores & exteriores peccati delectationes undique ſibi congerunt. *Ducem ſequuntur*: quia carnalitati cogitationibus, verbis & factis obſequuntur. *Præſidium ſuccendunt*, cùm ſpiritum, animam & corpus hominis concupiſcentiarum flammis incendunt. *Sic fumô & igne mille hominum necantur*, dum delectatio-

Digitized by Google

ne & conſenſu peccati tota ſalus hominis devaſtatur, quæ millenario numero figuratur. De quo fumo Job dicit, cùm Behemoth membra deſcribit: *De naribus ejus fumus procedit.* Sicut autem igne ædificium conſumitur; ſic conſenſu peccati vita hominis extinguitur. *Viri pariter ac mulieres*, ſunt ſenſus interiores & exteriores. *Qui turrim Sichem inhabitant*, dum in præſumptione ſuperbiæ & vanæ gloriæ exultant. Sequitur:

℣. L. *Abimelech autem inde proficiſcens, venit ad oppidum Thebes, quod circumdans obſidebat exercitu.*

℣. LI. *Erat autem turris excelſa in media civitate, ad quam confugerant ſimul viri ac mulieres, & omnes principes civitatis, clauſa firmiſſimè janua, & ſuper turris tectum ſtantes per propugnacula.*

℣. LII. *Accedensq́ Abimelech juxta turrim, pugnabat fortiter: & appropinquans oſtio, ignem ſupponere nitebatur*

℣. LIII. *Et ecce una mulier fragmen molæ deſuper jaciens, illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.*

Abimelech inde proficiſcitur, cùm carnalis intelligentia à Synagoga progreditur. *Venit ad oppidum Thebes*, quod *converſio*, ſive *ova* dicitur, cùm Eccleſiam gentium inſequitur, quæ vera fide ad DEUM *convertitur*, quæ vera ſpe ei obſequitur, quæ per *ova* exprimitur, quia in ovis pullorum ſpes reponitur. Hanc Abimelech *circumdat, & exercitu obſidet*: quia vel carnis prudentia vel carnalis legis intelligentia Eccleſiæ Chriſti vel vitiorum vel hæreticorum machinas admovet.

Turris excelſa in media civitate eſſe ſcribitur, de qua in Canticis dicitur: *Sicut* Cant. IV. 4.
turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Quæ *in media civitate* eminet, quia vera ſanctæ ſcripturæ ſcientia in Eccleſiæ Catholicæ unitate reſplendet. *Ad quam viri ſimul ac mulieres confugiunt*: quia tam Prælati quàm

A. ſubditi, tam fortes quàm imbecilles, tam ſpirituales quàm ſæculares, omnes pariter Sanctæ Scripturæ refugium, vel contra malignorum hoſtium incurſum, vel contra hæreticorum impetum expetunt. *Omnes principes Civitatis* ſunt omnes defenſores veritatis. *Janua firmiſſimè clauditur*: quia Sanctæ Scripturæ auctoritas firmiſſimô S. Spiritûs ſignaculo communitur. *Stant ſuper tectum turris*, quia Catholicorum Doctorum & expoſitorum innituntur eloquiis, quibus canonicæ ſcripturæ auctoritas contegitur, quibus Eccleſiæ veritas protegitur. *Stant per propugnacula*,
B. dum de utriusque teſtamenti ſcriptura fortia & impenetrabilia ſententiarum emittunt jacula.

Abimelech juxta turrim accedit, dum carnalis intelligentia Sanctæ Scripturæ veritatem impetit: *fortiter pugnat*, quia Catholicæ fidei veritatem oppugnat. *Oſtio appropinquat*, dum ei, qui dicit: *ego* Joan. X. 9.
ſum oſtium, falſa fidei profeſſione ſe ſociat. *Ignem ſupponere nititur*, quia diverſis hæreſeos flammis Catholicæ fidei veritatem inſequitur.

Una mulier fragmentum molæ deſuper jacit, illa, cujus virutem & compoſitionem
C. Salomon deſcribens ait: *Mulierem fortem quis inveniet? Procul & de ultimis finibus terræ pretium ejus.* Proverb. XXXI. 10.
Hæc nempe eſt mulier illa, quam Joannes deſcribit in Apocalypſi ſua: *Et ſignum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim, & in utero habens*: Sancta nempe Eccleſia hujus mulieris typô expreſſa, idcirco rectè mulieris nomine cenſetur, quia veræ dilectionis affectu cor ejus emollitur, & ipſa fidelium ſobole per Spiritum quotidie fœcundatur. Quæ *fragmentum molæ deſuper jacit*: quia myſte-
D. rium crucis de ſupernis attrahit, quò manus ſuas exerit. Unde Pſalmiſta dicit: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad* Pſal. XVII. 25.
bellum. *Molâ* enim Crux Chriſti rectè exprimitur, quia ſicut in mola granum conteritur, unde farina egreditur, ſic in mola Sanctæ Crucis granum illud frumenti confringitur, unde farina redemptionis conſpergitur. Hoc igitur *fragmentum molæ mulier capiti Abimelech illidit*, dum ſancta Eccleſia per myſterium crucis omnem carnalis intelligentiæ ſuper-

Digitized by Google

perbam vanitatem allidit. *Cerebrum ejus confringit*, dum teneritudinem hæreticæ falſitatis vigore Catholicæ veritatis infringit.

℣. LIV. *Qui vocavit citò armigerum ſuum, & ait ad eum: evagina gladium tuũ & percute me: ne forte dicatur, quod à femina interfectus ſim.*

℣. LV. *Qui juſſa perficiens interfecit eum.*

℣. LVI. *Illòque mortuo omnes, qui cum eo erant de Iſraël, reverſi ſunt in ſedes ſuas.*

℣. LVII. *Et rediditDEUS malum, quod fecerat Abimelech contra patrem ſuum, interfectis ſeptuaginta fratribus ſuis.*

℣. LVIII. *Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum eſt, & venit ſuper eos maledictio Joatham filii Jerobaal.*

Abimelech citò armigerum ſuum vocat, dum illa carnalis in lege Synagogæ intelligentia alumnum ſuum Paulum compellat. *Ait ad eum*, dum ſibi oſtendit nullum ineſſe ſalutis effectum. *Evagina gladium tuum*, exere collatum tibi per Spiritum S. eruditionis officium. *Et percute me*, ſcilicet per Spiritum vivificantem erige te ſuper me. *Percute me*, ſcilicet inter Spiritum vivificantem & literam occidentem fac juſtam diviſionem. *Ne fortè dicatur*, pro quo omnis Synagoga contemptui & opprobrio habeatur. *Quod à fœmina ſim interfectus*, quod ab Eccleſia gentium non autem à meo alumno gladiô Spiritûs ſim transfixus.

Armiger *juſſa perficit*, *& eum interficit*: quia Paulus gladiô Spiritûs omnem carnalem Synagogæ intellectum configit.

Poſtquam ergo *Abimelech moritur*, poſtquam à Paulo per Spiritum Sanctum Doctore gentium facto, carnalis in lege intelligentia Synagogæ per Spiritum vivificantem exciditur. *Omnes Iſraëlitæ in ſedes ſuas revertuntur*, quia illi veri Iſraëlitæ efficiuntur, illi in ſedes æternæ hæreditatis reponuntur, qui de litera occidente ad Spiritum vivificantem veræ fidei & rectæ vitæ meritô transferuntur.

Reddit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem ſuum, quia Deus omnipotens ulciſcitur illud parricidiũ, quod Synagoga commiſit in Dei Filium Creatorem ſuum. Quæ *ſeptuaginta fratres ſuos interficit*, dum veram Decalogi ſcientiam & ſeptiformem Sancti Spiritûs gratiam perfidiæ ſuæ mucrone extinguit.

Sichimitis quod operati ſunt, retribuitur, cùm carnalium ceremoniarum obſervatoribus æterna damnatio redditur. *Maledictio Joatham ſuper eos venit*, quia Sanctorum Apoſtolorum maledictio æternæ morti eos addicit. Sequitur:

Caput X.

POſt Abimelech ſurrexit Dux in Iſraël Thola filius Phua patrui Abimelech, vir de Iſachar, qui habitavit in Samir montis Ephraim: ℣. I.

Et judicavit Iſraël triginta & tribus annis: mortuusque eſt, ac ſepultus in Samir. ℣. II.

Huic ſucceſſit Jair Galaadites, qui judicavit Iſraëlem per viginti & duos annos, ℣. III.

Habens triginta filios ſedentes ſuper triginta pullos aſinarum, & principes triginta civitatum, quæ ex nomine ejus ſunt appellatæ Havoth Jair, id eſt oppida Jair usque in præſentem diem in terra Galaad. ℣. IV.

Mortuúsque eſt Jair, ac ſepultus in loco, cui eſt vocabulum Camon. ℣. V.

Thola *vermiculus* vel *coccinum* interpretatur, per quem ſubtilitas contemplationis & intelligentiæ ſpiritualis figuratur: quæ inſtar vermiculi vel còccini rubeo Chriſti ſanguine tingitur, & S. Spiritûs inunctione diſtenditur. *Thola poſt Abimelech Dux in Iſraël ſurgit*, cùm carnali intelligentiæ ſpiritalis intelligentia ſuccedit. Thola *filius Phua* ſcribitur, qui *operarius* vel *evidens* dicitur: quia ſpiritualis intelligentia Sanctæ Scripturæ de activæ vitæ labore gignitur, in qua ſonitus ille Spiritûs vehementis evidenter oſtenditur, qui ſuper Apoſtolos in linguis igneis veniſſe deſcribitur. Thola *vir de Iſachar* eſſe memoratur, qui *merces* interpretatur: quia ille viri nomen rectè tenet, quem æternæ mercedis intuitu laborare non piget. Thola, *vir de Iſachar* eſſe rectè ſcribitur, per quem Doctorum ordo exprimitur, ſicut Jacob benedicens filio ſuo loquitur: *Iſachar aſinus fortis, habitans inter terminos.* Qui enim meritô bonæ Gen. XLIX. 14.

actio-

Digitized by Google

actionis ſubtilitatem intelligentiæ ſpiritalis à DEO conſequitur, ille non immeritò Doctorum ordini adſcribitur. Thola enim *in Samir habitat*, quæ *dens lucernæ* ſonat: quia ille lucerna in domo DEI conſtituitur, & dens parvulorum panem verbi DEI frangendo efficitur, qui lumen intelligentiæ ſpiritalis à DEO conſequitur. Samir *monti Ephraim* adſcribitur, qui *frugifer* vel *creſcens* dicitur; quia qui dens vel lucerna efficitur, multiplici fruge doctrinæ locupletatur.

Thola *Iſraël triginta & tribus annis judicat*, dum fidelis & ſapiens Prælatus in veræ fidei eruditione & in utriusque teſtamenti inſtructione Chriſti Eccleſiæ fideliter miniſtrat. Thola *moritur*, cùm Doctor fidelis de hac luce ſubtrahitur. *In Samir ſepelitur*, cùm ejus vita & ſcientia in ſanctæ Eccleſiæ memoria reponitur.

Huic Jair Galaadites ſuccedit, quia fideli Prælato Chriſtus accedit, quem Jair Galaadites exprimit. *Jair* enim *illuminans* dicitur: *Galaadites de acervo teſtimonii* interpretatur; quia Chriſtus, qui in acervo utriusque teſtamenti latitat, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat. *Qui Iſraël per viginti & duos annos judicat*, dum in utriusque teſtamenti eruditione, dum à DEI & proximi dilectione, dum in activæ & contemplativæ vitæ perfectione fideles ſuos ædificat.

Jair *habet triginta filios*, quia Chriſtus eos ſuos computat filios. quos in fide Sanctæ Trinitatis, & in vera ſcientia Decalogi reddit perfectos. Triginta filii *ſedent ſuper triginta pullos aſinarum*, dum veri Catholici, veriqueDEI filii in veræ fidei profeſſione & in vera Decalogi cognitione doctrinæ inſident Catholicorum Doctorum, qui per typum exprimuntur aſinarum. *Triginta Civitatum principes* ſunt perfectæ fidei perfectæque ſcientiæ Doctores, per allegoriam, per moralitatem auditores ſuos ſuſtentantes. *Quæ ex nomine ejus Havoth Jair* appellantur, quod *gloria luminis*, vel *vita luminis* interpretatur; quia per Chriſti gratiam, qua homo illuminatur, veræ fidei veræque ſcientiæ gloria datur, qua æterni luminis gloria comparatur. *Usque in præſentem diem*, usque in illum æternitatis diem, quem ſemper præ oculis oportet habere præſentem. Oppida Jair *in terra Galaad* eſſe memorantur: quia veræ fidei veræque ſcientiæ illuminatio in utroque teſtamento conſervatur.

Jair moritur, cùm Chriſtus in cruce morte ſua myſterium redemptionis exequitur. *Sepelitur in loco cui nomen eſt vocabulum Camon*, quod *reſurrectio* dicitur; quia idcirco Chriſtus in ſepulchro ponitur, ut per ejus reſurrectionis potentiam cunctorum fidelium ſepulchra in die judicii in Reſurrectionem vitæ aperiantur. Hic ergò ipſo Chriſto juvante, de quo loquimur, primi libelli finis ponatur, ut ipſo donante, qui Alpha & Omega vocatur, ſequenti operi aliud exordium ſumatur.

Explicit liber primus Explanationis in Librum Sobthym id eſt Judicum.

INCIPIT PROLOGUS IN LIBRUM SECUNDUM.

Luc. I. 5. & ſeqq. Zacharias Sacerdos & Propheta, cum ingreſſus in templum Domini, Archangelum Gabrielem à dextris altaris incenſi videre & audire meretur: pro eo, quòd verbis ejus incredulus efficitur, usque ad denuntiati ſibi filii ortum ſilentio oris addicitur. Qui poſtquam eò natò in die octavo nomen ejus per ſcriptum inſinuat, quòd vel ipſe ab Angelo audierat, vel mater per Spiritum prophetiæ cognoverat, vinculò taciturnitatis illico abſolvitur, & in laudem creatoris, quod redemptionem fecerit ſuæ plebis, cunctis admirantibus & congratulantibus attollitur. Et nos ergo in hac ſolemni die, quæ eſt octava ejusdem Sancti Joannis Baptiſtæ, in laudem Chriſti Redemptoris, qui os muti aperit, & linguas infantium diſertas facit, huic ſecundo libello operis noſtri in explanationem libri Judicum fundamentum ponimus, quò quidem ante biennium in hac ipſa die explanationem libri Regum inchoavimus: de qua cùm incertùm haberemus, quòd eam ad finem usque perducere poſſemus, Chriſto nos ducente per mare magnum & ſpatioſum proſpero curſu enavigavimus. Hac ergo divinæ gratiæ confidentia exordium ſumimus à Jephte fortiſſimo, qui *aperiens* interpretatur, ut per eum, qui in ejus typo adumbratur, verbi oſtium miſericorditer nobis aperiatur.

Explicit Prologus.

IN-

Digitized by Google

INCIPIT LIBER SECUNDUS EXPLANATIONIS IN LIBRUM SOBTHYM,

ID EST

JUDICUM.

Cap. X.

ŷ. VI. *Filii autem Iſraël peccatis veteribus nova jungentes, fecerunt malum in conſpectu Domini, & ſervierunt idolis Baalim & Aſtaroth, & Diis Syriæ, ac Sydonis, & Moab, & filiorum Ammon & Philiſtiim, dimiſerúntque Dominum, & non colebant eum.*

ŷ.VII. *Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philiſtiim & filiorum Ammon.*

ŷ.VIII. *Afflictique ſunt, & vehementer oppreſſi per annos decem & octo, omnes qui habitabant trans Jordanem in terra Amorrhæi, qui eſt in Galaad:*

ŷ.IX. *In tantum, ut filii Ammon, Jordane transmiſſo, vaſtarent Judam & Benjamin & Ephraim: afflictusque eſt Iſraël nimis.*

ŷ. X. *Et clamantes ad Dominum dixerunt: peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum noſtrum, & ſervivimus Baalim.*

Filii Iſraël ſunt fideles ante legem, & ſub lege poſiti. Qui *peccatis veteribus nova jungunt*, dum peccato originali actualia peccata connectunt. *Malum in conſpectu Domini faciunt*, cum ſuis malis faciem creatoris DEI offendere non metuunt. *Idolis ſerviunt*, cùm creaturæ potiùs quàm Creatori deſerviunt. *Baalim & Aſtaroth, & Diis Syriæ, ac Sydonis, & Moab, & filiorum Ammon & Philiſtiim.* Per *Baalim*, quod *ſuperiores* vel *aſcendentes* dicitur, ſuperbia exprimitur, quæ dum ad ſuperiora nititur, de cœlis in ima dejicitur. Per *Aſtaroth*, quod *factura exploratorum* interpretatur, avaritia figuratur, per quam explorator ille callidus, ſerpens antiquus, hu- A. mani generis interitum negotiatur. Per *Deos Syriæ*, quod *ſublimis* dicitur, appetitus vanæ gloriæ exprimitur, qua homo creatori DEO aſſimilari inaniter nititur. Per *Sydonem*, quæ *venatio* interpretatur, triſtitia inutilis figuratur, quæ venationem mortis operatur. Per *Moab*, qui *ex patre* dicitur, gaſtrimargia exprimitur, quæ tota deſideriis carnalitatis obſequitur. Per *Deos filiorum Ammon*, qui *onerantes* dicuntur, vel iræ vel invidiæ furor deſignatur, quô utrôque mens graviter oneratur. Per B. *Philiſtiim*, qui *ruina duplex* dicitur, acedia exprimitur, quæ animæ & corpori in ruinam mortis efficitur. Filii Iſraël *Dominum dimittunt*, cùm ejus timorem poſtponunt. *Non eum colunt*, cùm ejus amorem negligunt.

Contra quos iraſcitur, cùm ſuum in eis contemptum per ſubjectam ſibi creaturam ulciſcitur. *In manus Philiſtiim eos tradit*, dum & ſpititualium & carnalium vitiorum poteſtati eos addicit. In manus C. *filiorum Ammon* eos tradit, dum malignis ſpiritibus, qui eis onera mortis imponant, per juſtitiæ ſuæ diſtrictionem eos permittit.

Affliguntur ignorantiâ DEI, *& vehementer opprimuntur* ignorantiâ ſui. *Per annos decem & octo*, quibus cùm de viginti deſint duo, vel geminæ cognitionis, vel geminæ dilectionis denotatur imperfectio. *Omnes qui trans Jordanem habitant*, omnes qui à terra repromiſſionis exulant. *In terra Amorrhæi*, qui *amaritudo* dicitur, quo D. nomine hæc vita exprimitur, quæ tota tentationibus amaricatur. Quæ *in Galaad* eſſe deſcribitur, quia in *acervo* utriusque teſtamenti multiplicitas tentationum deprehenditur.

Filii Ammon *Jordanem tranſeunt*, cùm maligni Spiritus per decurſum mortalitatis animam impetunt. *Judam vaſtant*, cùm initium converſionis tentationum ſuarum dentibus laniant, ne confeſſionem Chriſto debitam fideles perſolvant. *Ben-*

jamin vaſtant, cùm medietatem probationis infeſtant, ne filii dextræ fiant. *Ephraim vaſtant*, cùm provectum perfectionis impugnant, ne fruge virtutum torcularia mentium redundare valeant. Proinde *Iſraël nimis affligitur*, cùm homo divinæ viſioni deditus, tentationum doloribus afficitur.

Clamant ad Dominum in cordis compunctione: *dicunt* in vocis confeſſione.
Rom. X, 10. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Tibi peccavimus*, quem ſolùm timere & amare debuimus. *Quia DEum noſtrum reliquimus*, quem in paradiſo voluntariè offendimus. Quia *Baalim ſervivimus*, cùm ſuperbum hoſtem pro creatore coluimus.

Quibus loquitur Dominus, vel per naturalis legis inſtitutionem, vel per ſcriptæ legis eruditionem.

℣. XI. *Quibus locutus eſt Dominus: numquid non Ægyptii, & Amorhai, filiique Ammon & Philiſtiim,*

℣. XII. *Sidonii quoque, & Amalec, & Chanaan oppreſſerunt vos, & clamâſtis ad me, & erui vos de manu eorum?*

℣. XIII. *Et tamen reliquiſtis me, & coluiſtis Deos alienos: idcirco non addam, ut ultra vos liberem.*

℣. XIV. *Ite, & invocate Deos, quos elegiſtis: ipſi vos liberent in tempore anguſtiæ.*

℣. XV. *Dixerúntque filii Iſraël ad Dominum: peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet: tantùm nunc libera nos.*

℣. XVI. *Quæ dicentes, omnia de finibus ſuis alienorum Deorum idola projecerunt, & ſervierunt Domino Deo: qui doluit ſuper miſeriis eorum.*

℣. XVII. *Itaque filii Ammon conclamantes in Galaad fixerunt tentoria: contra quos congregati filii Iſraël, in Maſphat caſtrametati ſunt.*

℣. XVIII. *Dixerúntque principes Galaad ſinguli ad proximos ſuos: qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.*

Nunquid non Ægyptii, & Amorrhæi, filiique Ammon & Philiſtiim, Sidonii quoque & Chanaan vos oppreſſerunt, quando illa ſeptem vel octo principalia vitia ſuis vos tentationibus provocaverunt? *Ad me clamâſtis*, cùm eorum impetus pertimeſcendo doluiſtis. *Erui vos de manu eorum* per libertatis meæ Spiritum, faciens vos ſuperiores eorum.

Et tamen me reliquiſtis, cùm timorem meum neglexiſtis. *Deos alienos coluiſtis*, cùm meum amorem poſtpoſuiſtis. *Idcirco non addam, ut ultra vos liberem*: qui liberum arbitrium vobis dedi, quo à peccato liberos vos redderem.

Ite in veſtris voluptatibus, *& invocate* in veſtris neceſſitatibus, *Deos quos elegiſtis*, quos timori & amori meo præpoſuiſtis. *Ipſi vos liberent in tempore anguſtiæ*, qui vobis fuerunt auctores inutilis & perverſæ lætitiæ.

Filii Iſraël ad Dominum dicunt, cùm fideles ante legem & ſub lege poſiti myſterium Redemptionis gemitibus & lachrymis expoſcunt. *Peccavimus*, originali peccato actualia mala cumulavimus. *Redde tu nobis*, qui homo fieri quandoque dignaberis pro nobis. *Quidquid tibi placet*, cui omne malum diſplicet, cui ſoli miſericordia & veritas placet. *Tantùm nunc libera nos*, qui de terra plaſmâſti nos.

Filij Iſraël omnia de finibus ſuis alienorum Deorum idola projiciunt, cùm ſoli creatori animas ſuas & corpora ſubjiciunt. *Domino ſerviunt*, cùm ipſum ſolum metuunt & diligunt. *Qui ſuper eorum miſeriis doluit*, quos à ſe creatos morti deditos vidit.

Filii Ammon conclamant, cùm maligni hoſtes, animas onerantes, in perditione fidelium conſpirant. *In Galaad tentoria figunt*, cùm vel ſub naturali, vel ſub ſcripta lege perditioni fidelium inſiſtunt. *Contra quos filii Iſraël congregantur*, dum electi ſpiritu, animâ, & corpore creatori ſuo famulantur. *In Maſphat caſtra metantur*, qui futuræ redemptionis myſterium fide & dilectione ardenter præſtolantur. *Maſphat* enim *ſpecula* dicitur, per quam Eccleſiæ Catholicæ unitas exprimitur.

Galaad principes ſunt Patriarchæ vel Prophetæ veteris teſtamenti inſtitutioni principantes. Qui *ſinguli ad proximos ſuos dicunt*, dum ſinguli ſuis temporibus fideles illius, ante legem, ſub lege poſitos ſuis verbis & exemplis inſtituunt. *Singuli*

ad

ad proximos ſuos dicunt, dum ſingulares fa- A. cti ab omni perturbatione ſæculi, futuræ redemptionis myſteriis intendunt, quo proximis ſuis conſolationem fidei, ſpei, & dilectionis ingerunt. *Qui primus è nobis contra filios Ammon cœperit dimicare*, qui primus inter filios hominum contra ſpiritalia nequitiæ ſuæ innocentiæ ſinceritate potuerit decertare, & ſuæ paſſionis trophæum valuerit conſecrare. *Erit dux populi Galaad* quia ipſe erit Redemtio omnium ante legem, & ſub lege fidelium. Sequitur:

Caput XI.

℣. I. *Fuit illo tempore Jephte Galaadites vir fortiſſimus atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus eſt de Galaad.*

℣. II. *Habuit autem Galaad uxorem, de qua ſuſcepit filios: qui poſtquam creverant, ejecerunt Jephte, dicentes: Heres in domo patris noſtri eſſe non poteris, quia de altera matre natus es.*

℣. III. *Quos ille fugiens atque devitans,* C. *habitavit in terra Tob: congregatique ſunt ad eum viri inopes, & latrocinantes, & quaſi principem ſequebantur.*

Jephte *aperiens* vel *apertus* interpretatur, per quem Chriſtus Dominus deſignatur, qui latroni confitenti paradiſi januam aperuit, in cujus lateris apertione myſterium redemptionis profluxit. *Galaadites de acervo teſtimonii* dicitur, quò ipſe rurſus exprimitur, qui veteris teſtamenti figurativis ſacrificiis & legalibus ceremoniis inquiritur. Qui *illo tempore* D. fuit, quando vel naturali, vel ſcriptâ lege credentium populus redemptionis ſuæ myſterium expetit. Jephte *vir fortiſſimus atque pugnator* eſſe deſcribitur, quia Chriſtus Dominus ſolus inter filios hominum invenitur, qui ſua morte mortis auctori ſolus obluctetur. Qui *filius meretricis mulieris* eſſe dicitur, quia Chriſtus de poſteritate gentilitatis ſecundùm carnem naſcitur, quæ diverſis idololatriæ erroribus corrumpitur. Qui *de Galaad naſcitur*, quia de populô Judaico ſub acervo veteris teſtamenti oritur.

Galaad uxorem habet, quia populus Judaicus ſcriptam legem habet. *De qua filios ſuſcipit*, quos ei Synagoga parit. *Qui poſtquam creſcunt*, poſtquam legis & templi cultu excreſcunt: *Jephte ejiciunt*, quia filium DEI habitu ſervi humilem & pauperem pro ſe factum abjiciunt. *Dicunt*, cùm eum blaſphemantes maledicunt. *Heres in domo patris noſtri eſſe non poteris*, quia noſtri legiſlatoris ſucceſſor non eris. *Heres in domo patris noſtri eſſe non poteris*, quia cùm pauper homo videaris, filium Dei Patris te eſſe mentiris. *Quia de adul-* B *tera matre es generatus*: quia tu es Samaritanus.

Jephte eos fugit atque devitat: cùm Chriſtus apparens in carne Judæorum perfidiam exhorret & declinat. *In terra Tob habitat*, quæ *protectio oris*, vel *gehenna* ſonat: cùm Chriſtus in carne poſitus, vel triginta annos in ſilentio tranſigit, vel in cruce moriens ad inferna deſcendit. *Viri inopes & latrocinantes ad eum congregantur*, cùm ipſi in carne degenti pauperes & piſcatores diſcipuli aſſociantur. Qui benè *latrocinantes* appellantur, quia more latronum ſuis prædicationibus per Mundum animabus electorum rete fidei implicandis inſidiantur. De quibus latronibus in libro Regum ſcribitur, ubi Heliſæi mors deſcribitur. Viri inopes Jephte *quaſi principem ſequuntur*: quia Sancti Apoſtoli Chriſto Domino vera fide & dilectione obſequuntur. Sequitur:

In illis diebus pugnabant filii Ammon contra Iſraël. ℣. IV.

Quibus acriter inſtantibus, perrexerunt Majores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium ſui Jephte de terra Tob. ℣. V.

Dixeruntque ad eum, veni, & eſto princeps noſter, & pugna contra filios Ammon. ℣. VI.

Quibus ille reſpondit: nonne vos eſtis, qui odiſtis me, & ejeciſtis de domo patris mei, & nunc veniſtis ad me neceſſitate compulſi? ℣. VII.

Dixeruntque Principes Galaad ad Jephte: ob hanc igitur cauſam nunc ad te venimus, ut proficiſcaris nobiſcum, & pugnes contra filios Ammon, ℣. VIII.

ſisque Dux omnium, qui habitant in Galaad. A.

℣. IX. *Jephte quoque dixit ejis: ſi verè veniſtis ad me, ut pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero veſter Princeps?*

℣. X. *Qui reſponderunt ei: Dominus, qui hæc audit, ipſe mediator ac teſtis eſt, quòd noſtra promiſſa faciemus.*

B. *In illis diebus*, quibus vel ſub naturali, vel ſub ſcripta lege homines vivebant. *Filii Amon contra Iſraël pugnabant*: quia maligni hoſtes animas peccatis onerantes, cunctos DEI electos impugnabant.

Quibus acriter inſtantibus, ſcilicet & morte corporum electos Dei perſequentibus. & poſt mortem ad inferni tenebras eos pertrahentibus. *Majores natu de Galaad pergunt*, cùm Sancti Patriarchæ & Prophetæ ſub veteris teſtamenti cultu fidei & devotionis affectu ſe promoventes erigunt. C. *Ut in auxilium ſui Jephte de terra Tob tollant*, ut in Redemptionem humani generis Chriſtum, vel in ſilentio oris ſui in muudo quandoque latitaturum, vel ad inferna per mortem crucis deſcenſurum, ſuis votis venire expoſcant, ſuis præfigurationibus redemptionis ejus myſteria extollant.

Ad eum dicunt, cùm ſuis gemitibus & ſuſpiriis continuis eum inquirunt. *Veni & oſtende* nobis faciem tuam, ut per te poſſimus habere veræ ſalvationis gratiam. *Eſto princeps noſter*, dignando fieri Magiſter & Legiſer noſter. D. *Contra filios Ammon pugna*, malignos hoſtes, mortis pondere nos deprimentes, tuæ humilitatis & innocentiæ virtute expugna.

Quibus ille reſpondit, cùm Chriſtus Sanctis Patriarchis & Prophetis futuræ redemptionis myſteria expandit. *Nonne vos eſtis*, qui in ſucceſſoribus veſtris, de carne veſtra progenitis, *me odiſtis* pro odietis: *Et de domo patris mei ejeciſtis* pro ejicietis: quia me pro vobis hominem factum de Synagoga, quæ domus Patris mei eſſe debuerat, expellitis. *Nunc veniſtis ad me neceſſitate compulſi*, pro totius humani generis perditione legatione apud me functi.

Principes Galaad ad Jephte dicunt, cùm Sancti Patriarchæ & Prophetæ Dei Filium humili & ſupplici prece requirunt. *Ob hanc igitur cauſam nunc ad te venimus*, quia ſine te nullam ſpem ſalutis mundo eſſe cognoſcimus. *Ut nobiſcum proficiſcaris*, ut noſtri cauſa, cùm ſis Filius Dei, virginis Filius fieri digneris. *Ut contra filios Ammon pugnes*, ut hoſtes noſtros tua Paſſione & Reſurrectione expugnes. *Sisque Dux omnium, qui in Galaad habitant*, ut ſis redemtor tuorum fidelium, qui ſub utroque teſtamento vera fide & dilectione tibi militant.

Jephte ejus dicit, cùm Filius Dei Sanctorum Patriarcharum & Prophetarum precibus annuit. *Si verè ad me veniſtis*, qui verum me eſſe Dei Filium credidiſtis. *Ut pro vobis contra filios Ammon pugnem*, ut hoſtes veſtros mea Cruce & Paſſione expugnem. *Si eos Dominus in manus meas tradiderit*, ſi Deus auctorem mortis morte mea proſtraverit. *Ego ero princeps veſter?* Ego ero Creator & Redemptor veſter?

Principes reſpondent, cùm Sancti Patriarchæ & Prophetæ Filio Dei ſuæ fidei & dilectionis affectum ſpondent. *Dominus qui hæc audit*, qui tuæ Redemptionis verbum noſtris auribus infundit. *Ipſe mediator eſt & teſtis*, cujus unctio nos docet de omnibus iſtis. *Quòd noſtra promiſſa faciemus*: quod tibi vera fide & dilectione ſemper ſerviemus.

Abiit itaque Jephte cum Principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem ſui. Locutúsque eſt Jephte omnes ſermones ſuos coram Domino in Maſphat. ℣. XI.

Et miſit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui ex perſona ſua dicerent: Quid mihi & tibi eſt, quia veniſti contra me, ut vaſtares terram meam. ℣. XII.

Quibus ille reſpondit: Quia tulit Iſraël terram meam, quando aſcendit de Ægypto à finibus Arnon uſque Jaboc atque Jordanem: nunc ergo cum pace redde mihi eam. ℣. XIII.

Jephte cum Principibus Galaad abit, cùm DEI Filius Sanctorum Patriarcharum & Prophetarum vocis factus homo cedit.

Omnis

Digitized by Google

Omnis populus eum principem ſui facit : quia omnis plebs electorum ante legem, ſub lege, ſub gratia Creatorem & Redemptorem ſuum recognoſcit. ***Jephte omnes ſermones ſuos coram Domino in Maſphat loquitur,*** quia Chriſtus omnia Redemptionis ſuæ myſteria in ſcriptura veteris ac novi teſtamenti proſequitur. ***Maſpha*** enim ***ſpecula*** dicitur, quia Sancta Scriptura Chriſti fidelibus quaſi ſpecula proponitur, unde hoſtium incurſus, peccati impetus, & mortis caſus proſpiciatur.

Jephte nuncios ad Regem filiorum Ammon mittit, cùm Chriſtus ſub lege naturali Sanctos Patriarchas figurativis ſuis ſacrificiis hoſti humani generis opponit. ***Qui ex perſona ſua dicant***, qui ſuis præfigurationibus ejus adventum edicant. ***Quid mihi***, qui creator ſum generis humani, ***& tibi***, qui ſeductor & perditor es generis humani? ***Quia contra me veniſti***, quia facturam meam invaſiſti; ***Ut terram meam vaſtares***, ut hominem, quem de limo terræ plaſmavi, fraude tua mortificares?

Quibus ille reſpondit, cùm hoſtis malignus ſuæ crudelitatis propoſitum à Sanctis Patriarchis & Prophetis non abſcondit. ***Quia Iſraël terram meam tulit***, quia primus ille parens humani generis de terra plaſmatus & in paradiſo locatus, habitationẽ cœli quæſivit, quæ mea eſſe debuit. ***Quando de Ægypto aſcendit***, quando de limo terræ plaſmatus in paradiſum conſcendit. Ægyptus enim ***tenebræ*** dicitur, & Iſraël de Ægypto egreditur, quando primus homo de limo terræ formatur, & in animam viventem ſpiraculô vitæ à creatore DEO vivificatur. ***A finibus Arnon uſque Jaboch atque Jordanem.*** Arnon ***laus*** interpretatur, & ***per fines Arnon*** beatitudo illa figuratur, qua homo de limo terræ conditus, in paradiſum ad perpetuam ſui Creatoris laudem collocatur. Jaboch ***lucta***, vel ***arena*** dicitur, per quam lucta illa carnis & ſpiritûs exprimitur, ad quam homo per peccatum prævaricationis adducitur, in qua innumeris miſeriarum cladibus quaſi arena maris opprimitur. Jordanis ***deſcenſio eorum*** dicitur, per quem decurſus mortalitatis exprimitur, ad quem homo peccati ac prævaricationis merito labitur. ***Nunc igitur***, inquit, ***eum pace redde mihi eam***, ut ſinè belli diſcrimine ſecurus poſſideam terram meam, quæ ſponte ſua ſe fecit eſſe meam. Terram igitur meam à te requi-

A. ro, quia hominem de terra plaſmatum, & per guſtum vetiti ligni mihi obnoxium, meum eſſe volo. Sequitur:

Per quos rurſus mandavit Jeph- ℣. XVI.
te, & imperavit eis, ut dicerent Regi
Ammon:
Hæc dicit Jephte: non tulit Iſraël ℣. XV.
terram Moab, nec terram filiorum
Ammon:
Sed quando de Ægypto conſcende- ℣. XVI.
runt, ambulavit per ſolitudinem uſ-
que ad mare rubrum, & venit in
B. *Cades.*
Miſitque nuntios ad regem Edom, ℣. XVII.
dicens: Dimitte me, ut tranſeam per
terram tuam, qui noluit acquieſcere
precibus ejus. Miſit ad regem Moab,
qui & ipſe tranſitum præbere con-
tempſit. Manſit itaque in Cades,
Et circuivit ex latere terram E- ℣. XVIII.
dom, & terram Moab: venítque con-
tra orientalem plagam terræ Moab,
& caſtrametatus eſt trans Arnon:
C. *nec voluit intrare terminos Moab:*
Arnon quippe confinium eſt terræ
Moab.
Miſit itaque Iſraël nuntios ad Se- ℣. XIX.
hon regem Amorrhæorum, qui habi-
tabat in Heſebon, & dixerunt ei: di-
mitte, ut tranſeam per terram tuam
uſque ad fluvium.
Qui & ipſe Iſraël verba deſpici- ℣. XX.
ens, non dimiſit eum tranſire per ter-
minos ſuos: ſed infinita multitudine
D. *congregata, egreſſus eſt contra eum*
in Jeſcha, & fortiter reſiſtebat.
Tradiditque eum Dominus in manus ℣. XXI.
Iſraël cum omni exercitu ſuo, qui per-
cuſſit eum, & poſſedit omnem terram
Amorhæi habitatoris regionis illius.
Et univerſos fines ejus de Arnon ℣. XXII.
uſque Jaboc, & de ſolitudine uſque
ad Jordanem.

Jephte rurſum per nuntios mandat, dum poſt legem naturalem ſcriptæ legis apices Dei Filius dirigit, quibus legationem humanæ redemptionis digerit,

Digitized by Google

Jephte nunciis imperat, ut Regi Ammon dicant, quia Filius DEI Sanctis Prophetis mandat, ut hoſti maligno ex perſona ſua iſta ingerant.

Hæc Jephte dicit, qui paradiſum quandoque reſerabit, cùm ſuo ſanguine romphæam ignitam removebit. *Iſraël terram Moab non tulit*, quia homo conditus & in paradiſo poſitus carnalitati nihil in ſe tribuit. *Moab* enim *ex patre* dicitur, per quem carnalitas exprimitur. *Terram filiorum Ammon non tulit*, quàm diu in innocentia permanens corruptionis pondus ad ſe non admiſit. *Ammon* enim *onerans* dicitur, per quem corruptio aggravans exprimitur.

Sed quando de Ægypto conſcendit, quando de limo terræ plaſmatus proceſſit. *Ambulavit per ſolitudinem*, per ſolitariam & quietam paradiſi habitationem. *Uſque ad mare rubrum*, quod baptiſmi gerit typum, juxta illud Apoſtoli teſtimonium: *Patres noſtri omnes baptiſati ſunt in nube & mari.* In baptiſmi enim ſanctificatione innocentia datur, quæ primo homini in paradiſo ante prævaricationem dominatur. Unde ſequens litera hìc dicit, quia Iſraël *in Cades venit. Cades* enim *ſancta* dicitur: quia primus ille parens vera ſanctificatione in ea fruitur.

I. Corinth. X. 2.

Nuncios ad Regem Edom mittit, dum per diaboli ſuggeſtionem terrenam gloriam expetit. *Edom* enim *rufus* vel *terrenus* dicitur, per quem terrenitas exprimitur. *Dimitte me*, inquit, *ut tranſeam terram tuam*, quò ſcilicet & terrenam gloriam habere valeam, & beatitudine paradiſi non caream. *Rex Edom precibus ejus non vult acquieſcere*, quia non vult eum immunem tranſire, ſi per terram ejus velit ire. *Ad Regem quoque Moab mittit*, dum per guſtum ligni vetiti carnalitatem expetit. *Qui & ipſe tranſitum præbere contemnit*, niſi delectatione ſpiritali carere velit. *In Cades itaque manet*, quia homo terrenitatis & carnalitatis carens contagiis collatæ innocentiæ ſanctitatem tenet.

Ex latere terram Edom & terram Moab circuit, dum ſuggeſtionem ſerpentis recipit, quæ eum ad terrenitatem & carnalitatem pertrahit. *Contra orientalem plagam terræ Moab venit*, dum diabolicæ ſuggeſtioni delectationem peccati adjungit. Quia enim ab orientali plaga lux exurgit, rectè orientalis plaga delectationem exprimit, per quam mors introivit. *Caſtra trans Arnon metatur*, quod *acervus triſtitiæ* interpretatur, cùm inutili lætitia vanæ ſpei ſublevatur, qua DEO ſe ſimilem fieri poſſe arbitratur. *Non vult intrare terminos Moab*, quæ carnalitas exprimitur, cùm immortali DEO vult aſſimilari, ne ut carnalis poſſit morte prægravari. *Arnon quippe confinium eſt terræ Moab.* Arnon *acervus triſtitiæ* dicitur, quæ *confinium terræ Moab* eſſe rectè ſcribitur; quia homini proprium eſt, & quaſi affine, ut quàm diu carnis corruptione prægravatur, jugis triſtitiæ acervô oneretur.

Iſraël nuncios ad Sehon mittit, cùm primus ille parens dilectionem cordis ſui ad vanitatem convertit. *Sehon* enim *tentatio calens*, vel *germen inutile*, vel *alloquium inutile* interpretatur, quô tentatio illa ſerpentis & colloquium mortiferum exprimitur, quo ipſe mulierem aggreditur. Sehon *Rex Amorrhæorum* ſcribitur, quia per calorem tentationis cor amaricatur. *Qui in Heſebon habitat*, quod *cogitatio* ſonat, quia tentatio cogitationes perturbat. Dicunt ergo filii Iſraël Sehon Regi: *Dimitte, ut tranſeam terram tuam uſque ad fluvium*, quô cordis mei reſtinguere poſſim incendium.

Sehon *Iſraël verba deſpicit*, quia Iſraël eſſe deſinit, qui ſe Regi Sehon ſubjicit. *Non dimittit eum per terminos ſuos tranſire*, qui Iſraëlis nomen conatur veraciter retinere. Sehon *infinitam multitudinem congregat*, quia tentatio calens innumeras cogitationum & affectionum vanitates exaggerat. *In Jeſcha contra eum egreditur*, quod *tabernàculum*, vel *unctio ejus* dicitur, dum in illa occulta cordis delectatione, quâ primus ille parens diabolicæ ſuggeſtioni inclinatur, Sehon quaſi in tabernaculo ſuo commoratur, & quaſi fomento unctionis recreatur. *Fortiter reſiſtit*, ne Iſraël per terminos ſuos tranſeat, niſi Iſraël eſſe deſinat.

Dominus Sehon Regem in manu Iſraël cum exercitu ſuo tradit, cùm Creator omnipotens primum hominem libertati arbitrii ſui dimittit, qua ipſe ſpontè hoſti ſe ſubjicit, *Iſraël Sehon percutit*, cùm homo ſuggeſtionem tentationis mucrone ſuæ delectationis transfigit. Proinde *Iſraël omnem terram Amorrhæi poſſidere incipit*, cùm primus ille parens omnem amaritudinem poſt vetiti ligni guſtum in ſe ipſo perſentit.

Amorr-

Amorrhæus *habitator regionis illius* ſcribitur, in qua Iſraël nunc commoratur, quia tota (vita iſta tentationibus amaricatur.

Iſraël univerſos fines ejus poſſidere incipit, quod ſequens litera conſequenter exprimit, *de Arnon usque Jordanem.* Arnon *acervus triſtitiæ* interpretatur, quo vita hominis in hac corruptione continuè prægravatur. De Arnon *usque Jaboc* pervenitur, quæ *lucta* vel *pulvis* dicitur, quia lucta tentationis homo non privatur, donec caro in pulverem redigatur. Unde ipſi primo homini poſt culpam Deus lo-
Gen. III. 19. quitur: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Per *ſolitudinem* deſolatio illa cordis exprimitur, quâ homo poſt culpam divinæ conſolationis & lætitiæ ſpiritalis gratia deſtituitur. De qua ſolitudine Pſalmiſta loquitur: *Renuit conſolari anima mea. De ſolitudine usque Jordanem* pervenitur, per quem decurſus mortalitatis exprimitur. Dicit ergo Jephte per nuncios Regi filiorum Ammon:

℣. XXIII. *Dominus ergo Deus Iſraël ſubvertit Amorrhæum, pugnante* contra illum populo ſuo Iſraël, & tu nunc vis poſſidere terram ejus?*
*Cod. pugnantem.

℣. XXIV. *Nonne ea, qua poſſidet Chamos DEus tuus, tibi jure debentur? Quæ autem Dominus DEus noſter victor obtinuit, in noſtram cedent poſſeſſionem:*

℣. XXV. *Niſi fortè melior es Balaac filio Sephor rege Moab: aut dicere potes, quòd jurgatus ſit contra Iſraël, & pugnaverit contra eum,*

℣. XXVI. *Quando habitavit in Heſebon, & viculis ejus, & in Aroër, & villis illius, vel in cunctis civitatibus juxta Jordanem, per trecentos annos. Quare tanto tempore nihil ſuper hac repetitione tentâſtis?*

℣. XXVII. *Igitur non ego pecco in te, ſed tu contra me malè agis, indicens mihi bella non juſta. Judicet Dominus arbiter hujus diei inter Iſraël & inter filios Ammon.*

Quaſi dicat Filius Dei factus homo hoſti maligno: *Dominus Deus Iſraël Amorrhæum*
A. *ſubvertit*, cùm Filius Dei factus homo pro Redemptione humani generis amaritudinem mortis pertulit, ſicque morte ſuâ mortem ſæculi avertit. *Contra populum ſuum Iſraël pugnantem,* * cum toto humano genere ab initio uſque ad finem ſæculi decertantem. *Quis eſt* enim *homo, qui vivet & non videbit mortem? Et nunc tu vis poſſidere terram ejus*, quam ipſe DEI Filius ſanguine ſuo dignatus eſt redimere?
* Ita Cod.
Pſal. LXXXVIII. 49.

Nonne ea, quæ poſſedit Chamos DEUS tuus, tibi jure debentur? quia æterni ignis ſupplicia tibi & Angelis tuis præparata in perpetuum conſervantur.
B. *Chamos* enim *congregans* dicitur, quo nomine avaritia illa exprimitur, qua ipſe hoſtis malignus, cùm eſſet in Angelum formatus, creatori Deo aſſimilari voluit, pro quo æterni ignis ſupplicio addici meruit. *Quæ autem Dominus DEus noſter victor obtinuit*: quia DEI Filius habitationem cœli & paradiſi ſuis fidelibus ſanguine proprio comparavit. *In noſtram cedent poſſeſſionem*, in omnium, qui mihi tanquam pia membra ſuo capiti cohærent, electorum meorum hæreditatem.

Ni forte melior es, imò certè quia tu
C. pejor es, *Balaac filio Sephor Rege Moab.* Sic enim iſtud melior pro pejore accipitur, ſicut plerumque in Sancta Scriptura benedictio pro maledictione ponitur: v. g. Sicut Job uxor ſua loquitur: *Benedic Deo & morere.* Sic & in Libro Regum ſcribitur, cùm Naboth ille ſanctus ad lapidandum falſis teſtibus impetitur: *Benedixit Naboth DEO & Regi. Balaac lingens* vel *elidens* aut *involvens* dicitur, per quem ſuggeſtio illa tentationis exprimitur, qua primus ille parens in corde lingitur, qua per delectationem eliditur, qua per conſenſum involvitur. Balaac *filius Sephor*
Job. II. 9.
III. Reg. XXI. 10.
D. ſcribitur, qui *avis* dicitur, quô ſuperbia exprimitur, quà homo tentationi exponitur. Balaac *Rex Moab* ſcribitur, qui *tribulatio* dicitur, quia per ſuggeſtionem tentationis primus ille parens in tribulationem mortis mittitur. *Aut dicere potes*, qui fraudis per te factæ inſcius eſſe non vales. *Quòd Balaac contra Iſraël ſit jurgatus*, quòd ſuggeſtionis impetus primo illi homini ſit obluctatus. *Quòd contra eum pugnaverit*, quòd eum per delectationem intrinſecus proſtraverit.

Quando in Heſebon & viculis ejus habitavit, quando eum tentatio in cogitatione

& in

& in ſecrĕto cordis primitùs pulſavit: A. quando *in Aroër & villis ejus habitavit*, quando in intellectu & voluntate & in memoria ejus tentatio circuivit. *Aroër* enim *ſuffuſio vigiliæ* dicitur, quia per delectationem ratio homini à Creatore DEO indita ſuffunditur. Per *villas Aroër* voluntas & memoria exprimuntur, quæ ratione expugnata ſimul in homine expugnantur. *Vel in cunctis civitatibus juxta Jordanem.* Cunctæ civitates, quæ juxta Jordanem eſſe memorantur, omnes ſenſus hominis interiores & exteriores accipiuntur. Quæ cunctæ civitates B. corruptioni mortalitatis ſubjiciuntur, dum per conſenſum tentationis in primo illo parente vincuntur. *Per trecentos annos.* Trecentis annis exprimitur triformis conſtitutio hominis, qui ſpiritu, anima & corpore conditus, intellectu, voluntate & memoria interiùs inſignitus, innocentiâ, immortalitate, incorruptione exteriùs fuerit redimitus. Dicit ergo Filius DEI, dicit maligno hoſti, functus legatione Patris DEI in redemptionem generis humani. *Quare tanto tempore nihil ſuper hac repetitione tentâſti*, quare per tot annorum C. millia tantam electorum meorum prædam ſecurũ te in inferno poſſidere poſſe putâſti?

Igitur non ego pecco in te, quaſi fugitivum ſervum inſequendo te. *Sed tu contra me malè agis*, qui me Dei Filium, Creatorem & Dominum tuum provocare non metuis. *Indicens mihi bella injuſta*, pro mea factura, in quam proclamas tua jura. *Judicet Dominus arbiter hujus diei inter Iſraël & filios Ammon.* DEus Pater, qui conſcius eſt totius rei, *ſit arbiter hujus diei*, quô tu mea factura ad pugnam mortis me cogis pro mea factura. Inter hominem D. deceptum, & te deceptorem malignum fiat juſtum judicium crucis meæ ſupplicium, quo deceptor ſpolietur, & deceptus liberetur. Sequitur:

℣. XXVIII. *Noluitque acquieſcere Rex filiorum Ammon verbis Jephte, quæ per nuncios mandaverat.*

℣. XXIX. *Factus eſt ergo ſuper Jephte ſpiritus Domini, & circuiens Galaad & Manaſſe, Maſpha quoque Galaad, & inde tranſiens ad filios Ammon,*

℣. XXX. *Votum vovit Domino, dicens: ſi tradideris filios Ammon in manus meas,*

Quicunque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino. ℣. XXXI.

Tranſivitque Jephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manus ejus. ℣. XXXII.

Percuſſitque ab Aroër, uſque dum venias in Mennith, viginti civitates, uſque ad Abel, quæ eſt vineis conſita, plaga magna nimis. Humiliatique ſunt filii Ammon à filiis Iſraël. ℣. XXXIII.

Non vult Rex filiorum Ammon verbis Jephte acquieſcere, quia non vult hoſtis ille ſuperbus Chriſti Redemptoris verba pertimeſcere. *Quæ per nuncios mandaverat*, quibus per Sanctos Patriarchas & Prophetas redemptionis ſuæ myſterium mundo mandaverat.

Fit ſuper Jephte Domini ſpiritus, quia omne redemptionis Chriſti myſterium diſpenſat Sanctus Spiritus. Jephte *Galaad circuit*, dum Chriſtus præfigurationibus Sanctorũ Patriarcharum ſub lege naturali ſuam Redemptionem peragit. *Manaſſe circuit*, dum legis ſcriptæ præfigurationes peragit. *Maſpha circuit*, dum prophetiæ præfigurationes peragit. *Galaad circuit*, dum novi teſtamenti ſcripturam ſua redemptione inſtituit. *Inde ad filios Ammon tranſit*, dum per omnes præfigurationes legis naturalis, legis ſcriptæ, prophetiæ, ſuo adventu ſpiritalibus nequitiis bellum indicit.

Votum Domino vovet, cùm pro Redemptione humani generis ſuam DEO Patri obedientiam exhibet. *Dicit*, cùm ſuæ Incarnationis & Paſſionis myſterium inſtituit. *Si filios Ammon in manus meas tradideris*, ſi per meæ mortis oblationem auctorem mortis à meis electis excluſeris.

Quicunque ille fuerit, qui primus de foribus domus meæ egreſſus fuerit, ſcilicet, qui primus de ſepulchro meo non moriturus ampliùs reſurrexerit. *Domus* enim *mea*, eſt illa ſepulchri mei ſpelunca: *fores domûs meæ* ſunt oſtium monumenti mei, ſignatum lapide. *Mihique revertenti cum pace à filiis Ammon occurrerit*, ſcilicet, quicunque mihi Filio Dei inferno & Diabolo triumphanti in unione perſonæ occurre-

Digitized by Google

currerit. *Eum holocauſtum Domino offeram*, cùm illum Virginis Filium ad Redemptionem humani generis hoſtiam acceptabilē Deo Patri in crucis cornibus deponam.

Jephte ad filios Ammon tranſit, cùm Filius Dei factus homo, hoſtes humani generis impetit. *Ut contra eos pugnet*, ut ſua eos Paſſione & Reſurrectione expugnet. *Quos Dominus in manus ejus tradit*; quia Deus Pater per ejus mortem auctorem mortis proſternit.

Percuſſitque ab Aroër usque dum venias in Mennith viginti civitates, & usque ad Abel, quæ eſt vineis conſita, plagâ magnâ nimis. Jephte *filios Ammon ab Aroër percutit*, dum Chriſtus malignos hoſtes ſua Incarnatione confodit. *Aroër* enim *exurgens vigilia* dicitur, per quam Chriſti Incarnatio exprimitur, qua ipſe quaſi ad vigilandum pro humano genere conſurgit, qui Iſraël cuſtodit, qui non dormitat, neque dormit. Mennith *Judicium* dicitur: quo nomine judicium illud exprimitur, quo per Paſſionem Chriſti princeps mundi foras ejicitur, ſicut ipſe Di-
Joan. XII. 13. ſcipulis ſuis in Cœna loquitur: *Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Jephte ergo *filios Ammon ab Aroër usque in Mennith percutit*, dum Chriſtus ſua eos Incarnatione & Paſſione configit. *Viginti civitates percutit*, dum viginti libros veteris teſtamenti ſuæ Redemptionis myſteriis percurrit. *Usque ad Abel percutit*, dum novum teſtamentum ſua redemptione inſtituit. *Abel* enim *luctus* vel *committens* interpretatur, quo novum teſtamentum figuratur, in quo conflictus & luctus Dominicæ Paſſionis commemoratur. *Abel vineis eſt conſita*: quia novi teſtamenti inſtitutio diverſis per mundum Eccleſiis, quæ unam Catholicam faciunt, eſt compoſita. Jephte *plagâ magnâ nimis percutit*, quam hoſtis ille ſuperbus perſentit, qui ipſum ad inferna deſcendentem perhorreſcit: qui crucis & Paſſionis ejus ſignum nimis expaveſcit. Unde rectè hìc ſubditur, quòd *filii Ammon à filiis Iſraël humilientur*, quia per Chriſti Paſſionem & Reſurrectionem omnis altitudo diabolicæ ſuperbiæ proſternitur, & electis Dei ſubjicitur. Sequitur:

℣. XXXIV. *Revertente autem Jephte in Maſpha domum ſuam, occurrit ei* A. *unigenita filia ſua cum tympanis & choris. Non enim habebat alios liberos.*

℣. XXXV. *Qua viſa ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Heu me, filia mi decepiſti me, & ipſa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non poter.*

℣. XXXVI. *Cui illa reſpondit: Pater mi, ſi aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi, quodcunque pollicitus es, conceſſa tibi ultione atque victoria de* B. *hoſtibus tuis.*

℣. XXXVII. *Dixítque ad patrem: hoc ſolum mihi præſta, quod deprecor: dimitte me, ut duobus menſibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis.*

℣. XXXVIII. *Cui illo reſpondit: Vade. Et dimiſit eam duobus menſibus. Cúmque abiiſſet cum ſociis ac ſodalibus ſuis, flebat virginitatem ſuam in montibus.*

℣. XXXIX. *Expletisq́ duobus menſibus, re-* C. *verſa eſt ad patrem ſuum, & fecit ei, ſicut voverat, quæ ignorabat virum. Exinde mos increbuit in Iſraël, & conſuetudo ſervata eſt,*

℣. XXXX. *Ut poſt anni circulum conveniant in unum filiæ Iſraël, & plangant filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor.*

Jephte à filiis Ammon revertitur, qui *populus mœroris*, vel *onerans* dicitur, cùm Chriſtus ſua Paſſione malignos Spiritus D. inſequitur, qui onus mortis reprobis imponunt, & luctum eis æterni mœroris ingerunt. *In Maſpha domum ſuam revertitur*, quæ *ſpecula* dicitur, quia peracta Paſſione per Reſurrectionis & Aſcenſionis ſuæ trophæum vel in Eccleſiam, vel ad cœlos regreditur. In qua nimirum Paſſione *unigenita ei filia occurrit*, dum ei in myſterio Crucis aſſumpta humanitas obſequitur, quæ divinitatis ejus unigenita filia eſſe cognoſcitur, qua ipſe Unigenitus DEI Patris à cognitione maligni hoſtis in terris abſconditur. *Tympana*, quæ de corio ſicco

A ſicco fiunt, continentiam in carne Filii Dei exprimunt: *Chori* dilectionis ejus immenſa beneficia innuunt, quæ divinæ confeſſionis *choros* in terris conſtituunt. *Non enim alios liberos habet*, niſi quos per imitationem ſuæ humilitatis poſſidet.

Jephte veſtimenta ſua ſcindit, cùm Filius Dei aſſumptam humanitatem in Paſſione Crucis confringit. *Heu*, inquit, *filia mi, decepiſti me, & ipſa decepta es. Heu*, vox dolentis eſt, & dolorem illum incomparabilem exprimit, quem Filius DEI in ſupplicio Crucis pro peccatoribus ſuſtinuit. De quo dolore ipſe per Jeremiam B

Thren. I. 12. Prophetam dicit: *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Quaſi ergo dicat Filius Dei in ſupplicio hominis aſſumpti: Tu ô humana natura, quæ divinitatis meæ filia à me formata, à me procreata, *me decepiſti*, dum me verum Dei Filium deorſum in utero Virginis Matris cepiſti. *Et ipſa es decepta*, dum deorſum laqueô mortis es capta. *Aperui enim os ad Dominum*, dum pro Redemptione humani generis Deo Patri dilectionis & obedientiæ meæ obtuli votum. *Aliud facere non potero*, niſi quod Patris & proximi me cogit di- C lectio.

Illa reſpondet, cùm ſuſcepta humanitas Filio DEI ad Redemptionem mundi ſuæ voluntatis conſenſum præbet. *Pater mi*, qui tua divinitate me creâſti & procurâſti. *Si os tuum Dominum aperuiſti*, ſi Deo Patri ad Redemptionem mundi tuæ obedientiæ votum obtuliſti. *Fac mihi quodcunque pollicitus es*, quia per me mundi redemptionem efficere debes. *Conceſſa tibi ultione atque victoria de hoſtibus tuis*, quia per mortem meæ Paſſionis te de malignis D ſpiritibus, humani generis deceptoribus, vindicabis, & per meam Reſurrectionem de eis triumphabis.

Dicit filia patri, loquitur humanitas Chriſti DEO Patri. *Hoc ſolùm mihi præſta, quod deprecor*, in quo & tuæ dilectionis & meæ ſubjectionis fructum humanæ Redemptionis effectum conſequor. *Dimitte me*, divinitatem & humanitatem meam Mundo fac innoteſcere. *Ut duobus menſibus montes circueam*, ut in conſummatione duorum teſtamentorũ, in ſalvatione duorum populorum, in ſalvatione animæ & corporis, in dilectione Dei & proximi, in activa & contemplativa vita (horum enim omnium typus duobus includitur menſibus) *montes circueam*, ut Patriarcharum & Prophetarum omnium præfigurationes Redemptionis meæ myſterio compleam. *Et plangam virginitatem meam*, ſcilicet innocentiam meam pro totius mundi peccatis in cruce offeram. *Cum meis ſodalibus*, cum Angelicis virtutibus myſterio meæ Paſſionis obſequentibus.

Jephte *filiæ reſpondet*, cùm Deus Pater humanitatem Chriſti pro totius mundi ſalute in ſua Paſſione exaudit. *Vade: ſpe-* Pſ. XLIV. 5.
cie tua, & pulchritudine tua intende proſpere, & regna, in mundi latitudine per myſterium Crucis tuæ. *Duobus menſibus eam dimittit*, cùm in ſalvatione duorum populorum divinitatem & humanitatem ejus mundo expandit. *Abit cum ſociis ſuis ac ſodalibus*, dum redemptionis myſterium peragit vel cum ſeptiformi gratiâ Spiritûs Sancti, vel cum Angelicis virtutibus ſuæ Paſſioni obſequentibus. *Flet virginitatem ſuam in montibus*, offert Deo Patri innocentiam ſuam, hoſtiam ſalutarem, hoſtiam acceptabilem in crucis cornibus.

Expletis duobus menſibus ad Patrem ſuum revertitur, quia Paſſione ſua liberatis Judæis & gentibus, per Reſurrectionem & Aſcenſionem ſuam ad cæleſtia regreditur. *Facit ei Pater ſicut voverat*, Regem conſtituens eum ſuper Sion montem ſanctum ejus, dans in manus ejus omne judicium, ſicut ei ab æterno repromiſerat. *Filia Jephte ignorat virum*, quia humanitas Chriſti non admittit diabolum incentorem vitiorum. *Exinde mos in Iſraël creſcit, & conſuetudo conſervatur*, quia in toto fidelium populo iſta obſervantia propagatur. *Ut poſt anni circulum filiæ Iſraël in unum conveniant*, ut poſt actum redemptionis myſterium, omnes fideles animæ æternæ viſioni intentæ, ſe in unum, quod ſolùm eſt neceſſarium, ſpiritu, animâ & corpore colligant. *Ut filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor plangant*, ut humanitatem Filii Dei in quatuor ſacramentis, Incarnationis, Paſſionis, Reſurrectionis & Aſcenſionis ſuæ quotidiana Miſſarum celebratione cum lachrymarum oblatione recolant. *Ut filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor plangant*, ut in Cœna Domini, Paraſceve, Sabbato, die Paſchali exequias Chriſti cum devotis lachrymis frequentare ſtudeant. Sequitur:

Caput

Digitized by Google

Caput XI.

℣. I. *ECce autem in Ephraim orta ſeditio eſt. Nam tranſeuntes contra aquilonem dixerunt ad Jephte: Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocare nos noluiſti, ut pergeremus tecum? Igitur incendemus domum tuam.*

℣. II. *Quibus ille reſpondit: Diſceptatio erat mihi & populo meo contra filios Ammon vehemens: vocavíque vos, ut præberetis mihi auxilium, & facere noluiſtis.*

℣. III. *Quod cernens poſui animam meam in manibus meis, tranſivíque ad filios Ammon, & tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, ut adverſum me conſurgatis in prælium?*

In Ephraim, qui *frugifer* vel *creſcens* dicitur, *ſeditio oritur*, cùm hæreticorum furor contra Catholicos exoritur. *Contra aquilonem tranſeunt*, dum quaſi pro eo, quod ſe loqui putant pro Deo, aquiloni illi ſe opponunt, qui ſedem ſuam ad aquilonem ſe ponere gloriatur, & fidei terminos à Patribus præfixos nimietate ſapientiæ ſuæ tranſeunt, volentes plus ſapere, quàm oportet ſapere. Proinde *ad Jephte dicunt*, dum Chriſto Domino errore ſuo contradicunt. *Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocare nos noluiſti?* quare ad Crucis tuæ Paſſionem te accingens contra hoſtes generis humani tuis caſtris nos adſcribere noluiſti? *Ut tecum pergeremus*, ut tuæ divinitatis & humanitatis cauſam noſtræ eruditionis & eloquentiæ armis defenderemus? *Igitur incendemus domum tuam*, errorum noſtrorum flammis exurentes Eccleſiam tuam.

Quibus ille reſpondet, dum eis Chriſtus & ſuam Redemptionem & ipſorum condemnationem proponit. *Diſceptatio erat mihi & populo meo contra filios Ammon vehemens*, quia ab initio ſæculi mihi meiſque fidelibus contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus certamen erat ingens. Proinde *vos vocavi*, quos per Spiritum Sanctum in baptiſmate mihi aſſignavi. *Ut mihi auxilium præberetis*, ut cum Eccleſia Catholica mecum de fidei veritate ſentiretis.

A. *Qui enim non eſt mecum, contrà me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit.* Luc. XI, 23. Quod *facere noluiſtis*, qui per ſuperbiam & inanem gloriam ab Eccleſiæ Catholicæ unitate vos diviſiſtis.

Quod cernens, quippe omnia, antequam fiant, præſciens. *Poſui in manibus meis animam meam*, quia ego paſtor bonus pro ovibus meis in cruce poſui animam meam. Sic *ad filios Ammon tranſivi*, quia poteſtates aëreas morte mea triumphando expoliavi. *Dominus eos in manus meas tradidit*: quia Deus Pater mortis auctórem morte mea proſtravit, & electorum meorum B. pedibus eum ſubjugavit. *Quid commerui*, qui vos eruditionis & eloquentiæ prærogativa ſublimavi? *Ut adverſum me in prælium conſurgatis*, cùm unicam meam, ſpecioſam meam, columbam meam, Catholicam Eccleſiam quæſtionum variarum novitatibus infeſtare non timeatis?

Vocatis itaque ad ſe cunctis viris Galaad, pugnabat contra Ephraim, percuſſerúntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat: fugitivus eſt Galaad de Ephraim, & habitat in ℣. IV.
C. *medio Ephraim & Manaſſe.*

Occupaverúntque Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephraim reverſus erat. Cúmque veniſſet ad ea de Ephraim numero, fugiens, atque dixiſſet: obſecro, ut me tranſire permittatis: dicebant ei Galaaditæ: numquid Ephratæus es? Quo dicente: non ſum, ℣. V.

Interrogabant eum: Dic ergo Scibboleth, quod interpretatur ſpica. Qui reſpondebat: Sibboleth: eadem ℣. VI.
D. *littera ſpicam exprimere non valens. Statímque apprehenſum jugulabant in ipſo Jordanis tranſitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia.*

Judicavit itaque Jephte Galaadites Iſraël ſex annis: & mortuus eſt ac ſepultus in civitate ſua Galaad. ℣. VII.

Jephte cunctos viros Galaad ad ſe vocat, cùm Chriſtus Doctores Catholicos utriuſque teſtamenti eruditione inſtructos S. Spiritús electione invitat. *Contra Ephraim pug-*

nat, dum per Catholicorum eruditam ſa-A. pientiam hæreticorum vaniloquam inſipientiam expugnat. *Viri Galaad Ephraim percutiunt*, dum Doctores Catholici vanitatem hæreticorum ſententiarum ſuarum jaculis confodiunt. *Quia dixerat : fugitivus eſt Galaad de Ephraim, & habitat in medio Ephraim & Manaſſe.* Mentiuntur hæretici, quòd ex ipſis fugitivi ſint Catholici, veræ ſcientiæ gloriam ſibi uſurpantes, & Doctores Catholicos imperitiæ nota infamare conantes. *Dicunt, quòd in medio Ephraim & Manaſſe habitent*, quòd Catholici inter eos & Judæos medium locum teneant, ipſis ſcientiâ inferiores, Judæis fidei merito B. aliquantulum ſuperiores.

Galaaditæ vada Jordanis occupant, quia Doctores Catholici utriusque teſtamenti eruditione inſtructi, Symbolum fidei diligenter obſervant. Quod fidei Symbolum rectè per *vada Jordanis* denotatur, quo baptiſmus figuratur. quia baptizandis in ipſo ingreſſu Eccleſiæ fidei Symbolum primitus proponitur, ut per illud quaſi per vada ſua Jordanis tranſeatur. *Per quæ Ephraim eſt reverſurus*, quia per Symbolum fidei ordo hæreticorum de ſuis novitatibus eſt confutandus. *Venit aliquis de Ephraim numero*, cùm aliquis ſe in Eccleſia oſtendit de hæ-C. reticorum collegio. *Obſecrat, ut ſibi tranſitus pateat*, eum rogat, ut Eccleſiæ Catholicæ communionem habeat. *Quærunt Galaaditæ, an ſit Euphrathæus*, quod interpretatur *pulverulentus*, cùm Catholici inquirunt, an ſit hæreticæ pravitatis pulvere conſperſus.

Neganti *ſpica* proponitur, eámque proprio vocabulo nominare cogitur, dum ei Symbolum fidei proponitur, quo, an ſit hæreticus, ab eo exquiritur. Sicut enim in *ſpica* plura grana colliguntur : ſic in Symbolo fidei univerſa Chriſti myſteria comprehenduntur. Ille propriè *ſpicam* non va-D. let exprimere, quia hæreticus fidem Catholicam propriè neſcit edicere. *Quem ſtatim in ipſo Jordanis tranſitu jugulant*, dum in ipſo baptiſmi Sacramento fidem Catholicam recitant, qua hæreticus mortificatur, dum Catholicus vivificatur. *Quadraginta duo millia*, ſunt hæreticorum examina, quæ ſuper duorum teſtamentorum dogmata, quæ *quadraginta* exprimunt *millia*, *quaſi duo* ſuperadjiciunt millia, ſtulta novitatum & adinventionum ſuarum vaniloquia.

Jephte Galaadites ſex annis Iſraël judicat, dum Chriſtus, qui in ſex diebus mundi creationem conſummat, omni tempore præſentis ſæculi Eccleſiam ſuam miſericorditer tuendo gubernat. *Jephte moritur*, cùm Chriſtus morte ſua in Cruce redemptionem humani generis exequitur. *In civitate ſua Galaad ſepelitur*, quia in Sancta Eccleſia, quæ civitas ejus eſt dilecta, & in utriusque teſtamenti memoria reponitur. Sequitur :

Poſt hunc judicavit Iſraël Abeſan ℣. VIII.
de Bethlehem :
Qui habuit triginta filios & toti- ℣. IX.
dem filias. Quas emittens foras, maritis dedit, & ejusdem numeri filiis ſuis accepit uxores, introducens in domum ſuam : qui ſeptem annis judicavit Iſraël :
Mortuusque eſt, ac ſepultus in ℣. X.
Bethlehem.
Cui ſucceſſit Abialon Zabulonites: ℣. XI.
& judicavit Iſraël decem annis.
Mortuusq́; eſt, ac ſepultus in Zabulon ℣. XII.
Poſt hunc judicavit Iſraël Abdon, ℣. XIII.
filius Illel Pharatonites :
Qui habuit quadraginta filios, & ℣. XIV.
triginta ex eis nepotes, aſcendentes ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum, & judicavit Iſraël octo annis.
Mortuusq́; eſt, ac ſepultus in Phara- ℣. XV.
thon terra Ephraim, in monte Amalec.

Abeſan Patris ſacrificium interpretatur, per quem Chriſtus Dominus deſignatur, per quem DEus Pater redemptionem hujus mundi operatur. Qui *de Bethlehem* naſci ſcribitur, quæ *domus panis* dicitur : quia Chriſtus ſecundùm carnem in Bethlehem naſcitur. Ipſe quoque juxta allegoriam *in Bethlehem* oritur, cùm per Spiritum timoris & amoris in electorum cordibus naſcitur, ubi à Sanctis Doctoribus pane verbi Dei populus Dei reficitur. *Abeſan Iſraël judicat* : quia illis per Spiritum S. judicii virtutem tribuit, quos ſuæ viſioni mundatis oculis cordis intentos fecerit.

Qui habet triginta filios, electos verâ fidei & Decalogi ſcientiâ, vel in cogitationum, verborum & operum cuſtodia perfectos. Habet *totidem filias*, diverſas per orbem terrarum Eccleſias fidei & Decalogi cognitione inſtructas. *Quas foras emittens* ſcilicet activæ vitæ inſtitutioni eas ſubjiciens, *maritis tradit*, dum idoneis Doctoribus eas regendas committit. *Ejusdem numeri*

filiis

Digitized by Google

filiis ſuis uxores accipit, dum vel perfectam A. fidem Sanctæ Trinitatis, vel triplicem Sanctæ Scripturæ intelligentiam, vel triformem cogitationum, verborum & operum diligentiam ad virtutum ſobolem procreandam electis ſuis ſupponit. Quæ *ejusdem numeri* eſſe memorantur, quia bona quæque electorum, vel in cogitationibus, vel in verbis, vel in factis apud Deum numerantur. Unde ipſe Salvator diſcipulis
Matth. X, 30. ſuis loquitur: *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt.* Abeſan *uxores in domum ſuam introducit*: quia Chriſtus veræ fidei, perfectæ ſcientiæ, rectæque vitæ fructificationes in ſuperna Jeruſalem remunerando reponit. *Qui ſeptem annis Iſraël judicat*: quia B. Chriſtus per ſeptiformem Sancti Spiritûs gratiam ſuos & hìc & in futuro gubernat.

Abeſan moritur, àc in Bethlehem ſepelitur: cùm Chriſtus in Cruce mundi Redemptionem exequitur, & in Sanctæ Eccleſiæ memoria, vel in Sancta Scriptura reponitur.

Abialon campus dicitur: quo nomine ipſe iterum Chriſtus exprimitur, qui ſuorum fidelium & hìc & in futuro delectatio efficitur. Qui *Zabulonites* ſcribitur, quod *de habitaculo fortitudinis* dicitur, quia per eum electis omnibus Spiritus fortitudinis tribuitur. Qui *Iſraelem decem annis judicat*: dum in octo beatitudinis & in ge- C. minæ dilectionis inſtitutione, vel in activæ & contemplativæ vitæ perfectione ſuos gubernat.

Moritur, cùm in Cruce mundi redemptionem operatur. *In Zabulon ſepelitur*: quia in eorum cordibus reponitur, qui ſpiritu fortitudinis reguntur.

Abdon *ſervus mæroris* interpretatur, per quem iterum Redemptor ipſe deſignatur, qui in forma ſervi pro nobis contriſtari dignatur. Qui *filius Illel* ſcribitur, qui *laus* dicitur: quia ipſe ante ſæcula à Deo Patre gignitur, qui ſuorum Sanctorum ſine fine D. laus efficitur. Qui *Pharathonites* ſcribitur, quod *avolantis triſtitiæ mea* dicitur: quia ipſe ſuorum electorum remuneratio in cœlis efficitur, quorum omnis triſtitia avolat, cùm ejus conſpecta gloriâ cor eorum ſine fine exultat.

Qui habet quadraginta filios, Doctores Catholicos in ûtriusque teſtamenti eruditione perfectos. Habet *ex eis triginta nepotes* fide Sanctæ Trinitatis, & converſatione mundarum cogitationum, locutionum & actionum florentes. *Aſcendentes ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum*, utrosque tam Prælatos quàm & ſubditos inſidentes perfectæ doctrinæ Prophetarum & Apoſtolorum, qui per ſeptiformen S. Spiritûs gratiam conditores ſunt duorum teſtamentorum. Abdon *Iſraël octo annis judicat*: quia Chriſtus ſuos electos octo beatitudinibus informat, quos octavo die Reſurrectionis æternæ vitæ beatitudine remunerat.

Abdon moritur, cùm Chriſtus in cruce mortis ſupplicium patitur. *In Pharathon ſepelitur*, quia in campeſtribus cœlis abſconditur, ubi in ejus conſpecta gloria omnis Sanctorum avolabit triſtitia. Pharathon *terra Ephraim* ſcribitur, qui *frugifer* vel *creſcens* dicitur: quia habitatio cœleſtis, frugibus exuberans æternæ jucunditatis, augmentis gaudet infinitæ ſublimitatis. Unde rectè Pharathon *in monte Amalec* eſſè ſcribitur, qui *populus lambens* vel *lingens* dicitur, quô æternæ dulcedinis guſtus indeficiens exprimitur. Sequitur

Cap. XIII.

RUrſumque filii Iſraël fecerunt ℣. I.
malum in conſpectu Domini:
qui tradidit eos in manus Philiſtinorum quadraginta annis.

Erat autem quidam vir de Saraa ℣. II.
& de ſtirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem ſterilem.

Cui apparuit Angelus Domini, & ℣. III.
dixit ad eam: ſterilis es & abſque liberis: ſed concipies & paries filium.

Cave ergo, ne bibas vinum ac ſiceră, ℣. IV.
nec immundum quidquam comedas:

Quia concipies, & paries filium, cu- ℣. V.
jus non tanget caput novacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia ſua, & ex matris utero, & ipſe incipiet liberare Iſraël de manu Philiſtinorum.

Filii Iſraël faciunt malum in conſpectu Domini: cùm primi parentes illi ad videndum Deum creati, & in paradiſo locati, guſtu vetiti ligni offendunt faciem Creatoris Dei. *Qui tradit eos in manus Philiſtinorum*, dum eos meritò prævaricationis ſubjicit tentationibus ſpirituum malignorum. *Quadraginta annis*, ſicut per Moyſen in eremo DEus comminatur Judæis: *Qua-* Num. XIV. 34.
draginta annis recipietis iniquitates veſtras. Quia enim homo ex quatuor conſtat elementis, qui interioribus & exterioribus ſenſibus quaſi decem donatur ta-

lentis, quaſi *quadraginta annis affligitur*, dum A. in hac vita poſitus, quæ plena eſt tentationibus, interiorum & exteriorum ſenſuum cruciatus patitur.

Per virum, qui de Saraa, & de ſtirpe Dan fuiſſe ſcribitur, Sanctorum Patriarcharum ordo accipitur. Saraa enim *carbones*, ſive *anguſtia malorum* interpretatur: quia Ordo Sanctorum Patriarcharum anguſtiâ malorum humano generi imminentium excruciatur: & continuis carbonibus dolorum velut aurum examinatur. Qui *de ſtirpe Dan* fuiſſe ſcribitur; qui *judicium* dicitur: quia de illius poſteritate naſcitur, qui pro reatu prævaricationis judicio B. mortis in paradiſo addicitur. *Nomen viri Manue* ſcribitur, quod *requies* dicitur: quia ordo Sanctorum Patriarcharum per timorem & amorem Dei æternam requiem conſequitur. *Qui uxorem ſterilem habet*, quia ordo Sanctorum Patriarcharum primitivæ Eccleſiæ regimen tenet, quæ in ſpe futuræ redemptionis diutinæ expectationis ſterilitate marcet.

Cui Angelus Domini apparet, dum viſitatio emiſſa ab Altiſſimo primitivæ Eccleſiæ oculis infulget. *Dicit ad eam*, dans ei futuræ redemptionis præſcientiam. *Sterilis es*, quæ fructu redemptionis cares: *& abſque liberis*, qui per ſpiritum libertatis jugũ deponant vetuſtatis. *Sed concipies* per C. ſpiritum timoris, *& paries* per ſpiritum amoris Filium redemptionis. Hanc ſterilem Iſaias Propheta alloquitur, dum ei futuræ redemptionis fructum pollicetur:

ad Galat. IV. 27.

Lauda ſterilis, quæ non paris, decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas, quia multi filii deſertæ magis, quàm ejus quæ habet virum.

Cave ergo præmonita eorum exemplô, qui idcirco addicti ſunt mortis ſupplicio, quia ab hoſte maligno cavere ſibi noluerunt in paradiſo. *Ne vinum bibas*, quod Legislatoris vetat auctoritas. *Fel*, D. inquit, *draconum vinum eorum.* *Ne bibas ſiceram*, ebrietatis materiam, per quam creatoris tui abjicias memoriam. *Ne immundum quidquam comedas*, ſicut in Evangelio ipſa Chriſti præſcribit veritas: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod exit de corde, hoc coinquinat hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria, homicidia, furta, blaſphemiæ & cætera.*

Deut. XXXII, 33.

Matth. XV. 11. 18. & 19.

Quia concipies & paries filium, qui mundo promiſſum redemptionis peragat myſterium. *Cujus caput novacula non tanget*, cujus mentem peccati delectatio non polluet. Sicut enim capiti membra cohærent: ſic menti cogitationes adhærent. Sicut autem novaculâ capillorum decor tollitur: ſic peccato virtutum ornatus detrahitur. De qua novacula Pſalmiſta loquitur: *Sicut novacula acuta feciſti dolum.* *Erit enim Nazaræus Dei*, quia ipſe eſt verus Filius Dei. *Nazaræus* enim *mundus* dicitur: & ipſe verè mundus dici potuit, qui ſolus ſine peccato in mundo apparuit. *Ab infantia ſua, & ex matris utero*, quia conceptus de Spiritu S. & natus ex Virginis utero, vivet in mundo ſine peccato. *Ipſe incipiet liberare Iſraël de manu Philiſthinorum*, quia ſua Incarnatione incipiet, ſua Paſſione & Reſurrectione perficiet redemptionis myſterium, liberando populum ſuum de poteſtate hoſtium malignorum.

Pſal. LI. 4.

℣. VI. *Quæ cùm veniſſet ad maritum ſuum, dixit ei: Vir Dei venit ad me, habens vultum Angelicum, terribilis nimis. Quem cùm interrogâſſem, quis eſſet, & unde veniſſet, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere:*

℣. VII. *Sed hoc reſpondit: Ecce concipies & paries filium: cave, ne vinum bibas, nec ſiceram, & ne aliquo veſcaris immundo: erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia ſua, ex utero matris ſuæ usque ad diem mortis ſuæ.*

Uxor ad maritum venit, cùm primitiva Eccleſia ordini Patriarcharum intendit. *Dicit ei* per Spiritum S. futuræ redemptionis myſterium. *Vir Dei ad me venit*: quia vir ille, quem fœmina utero ſuo circumdabit, mihi apparuit. *Habens vultum Angelicum*, candidum ſimul & rubicundum. *Terribilis nimis*, quia magnus & laudabilis nimis. *Quem cum interrogâſſem*, cùm in Spiritu S. myſterium ejus ſcire voluiſſem. *Quis eſſet*, qui Dei Filius eſſet, *& unde veniſſet*, qui ab æterno Patre genitus fuiſſet. *Et quo nomine vocaretur*, cùm ipſe Verbum Dei nominaretur. *In principio enim erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Et Deus erat Verbum.* *Noluit mihi dicere*, quia nomen ſuum Adonai noluit mihi indicare. *Noluit mihi dicere*, quia ſoli forſitan Joanni ſuper pectus ſuum recumbenti vult illud edicere. *Sed*

Digitized by Google

Sed hoc reſpondit, cùm in Spiritu San-A. cto redemptionis ſuæ myſterium mihi oſtendit. *Ecce*, inquit, *concipies & paries filium. Cave ne vinum bibas, nec ſiceram, & ne aliquo veſcaris immundô. Erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia ſua, & ex utero Matris.* Cujus literæ expoſitio patet à ſuperiori loco. *Uſque ad diem mortis ſuæ*, quo per innocentiæ ſuæ ſacrificium totius humani generis in cruce ſolvet debitum. Sequitur:

℣. VIII. *Oravit itaque Manue Dominum, & ait: obſecro Domine, ut vir Dei,* B. *quem miſiſti, veniat iterum, & doceat nos, quid debeamus facere de puero, qui naſciturus eſt.*

℣. IX. *Exaudivítque Dominus deprecantem Manue, & apparuit rurſum Angelus DEI uxori ejus ſedenti in agro. Manue autem maritus ejus non erat cum ea. Quæ cùm vidiſſet Angelum,*

℣. X. *Feſtinavit & cucurrit ad virum ſuum, nuntiavítque ei, dicens: Ec-* C. *ce apparuit mihi vir, quem ante videram.*

℣. XI. *Qui ſurrexit, & ſecutus eſt uxorem ſuam: veniensque ad virum, dixit ei: Tu es, qui locutus es mulieri? Et ille reſpondit: ego ſum.*

℣. XII. *Cui Manue: Quando, inquit, ſermo tuus fuerit expletus, quid vis, ut faciat puer? aut à quo ſe obſervare debebit?*

℣. XIII. *Dixitque Angelus Domini ad Manue: ab omnibus, quæ locutus* D *ſum uxori tuæ, abſtineat ſe:*

℣. XIV. *Et quidquid ex vinea naſcitur, non comedat: vinum & ſiceram non bibat, nullo veſcatur immundo: & quod ei præcepi, impleat atque cuſtodiat.*

Manue Dominum orat, cùm ordo Sanctorum Patriarcharum DEum Patrem
Pſal. exorat. *Obſecro Domine*, quia *ego ſervus*
CXV. 16. *tuus, & filius ancillæ tuæ*, Sanctæ Eccleſiæ. *Ut vir DEI quem miſiſti*, ut filius ille DEI, quem innumeris præfigurationibus nobis promiſiſti. *Veniat iterum*, ſuæ Incarnationis inſtituendo myſterium. *Et doceat nos*, Pſal.
qui *docet hominem ſcientiam: quid debeamus* XXXIX.
facere ob reparandam innocentiam, *de* 10.
puero qui eſt naſciturus, qui magni conſilii Angelus eſt futurus.

Dominus Manue precantem exaudit, cùm DEus omnipotens Sanctorum Patriarcharum petitioni clementer obaudit. *Angelus Dei uxori ejus rurſus apparet*, cùm decurſo tempore legis naturalis, Filius DEI tempore ſcriptæ legis ſuæ redemptionis præfigurationes Eccleſiæ ſuæ exhibet. *Sedenti in agro*, in continuæ meditationis exercitio; *Sedenti in agro*, Dominicæ Paſſionis jugiter intendenti exercitio. In
quem agrum Iſaac *ad veſperum inclinata jam* Gen.
die ad meditandum egreditur, dum Filius DEI XXIV.
in veſpera mundi per ſuæ Paſſionis exer- 63.
citium ſuorum electorum ſalvationem meditatur. *Manue maritus ejus non eſt cum ea*, quia ſub lege ſcripta Patriarcharum providentiâ Sancta caret Eccleſia. *Quæ cùm vidiſſet Angelum*, cùm in Spiritu Sancto videret DEI Filium hominem quandoque futurum.

Feſtinat, in activæ vitæ exercitatione, *& currit* in contemplationis delectatione. *Ad virum ſuum*, ad ordinem propheticum, *nunciat ei* redemptionis myſterium Filii DEI. *Ecce*, inquit, *mihi vir apparuit*, qui in ſimilitudine carnis peccati mundo quandoque apparebit. *Quem ante videram*, quando Patriarcharum procurationi ſubjacebam.

Ille *ſurgit*, quia ordo Propheticus in fide & dilectione DEI ſe extendit. *Uxorem ſuam ſequitur*, dum fidem, ſpem, & dilectionem Sanctæ Eccleſiæ ſua imitatione proſequitur. *Venit ad virum*, videns in ſpiritu mentis ſuæ DEI Filium, hominem quandoque futurum. *Dicit ei*, fidei & dilectionis ſuæ affectum aperiendo ei. *Tu es*, inquit, *qui locutus es mulieri*, qui redemptionis myſterium teſtificatus es Eccleſiæ tuæ fideli? *Ille reſpondet*, cùm Filius DEI ſuæ redemptionis myſterium ei expandit. *Ego ſum*, qui ſum. *Ego ſum* Dei Filius ante ſæcula genitus, ego in fine ſæculorum ero Virginis Filius, DEus homo factus.

Cui Manue inquit: quia ordo propheticus conſilii ejus ſecretum inquirit. *Quando ſermo tuus fuerit expletus*, quando redemptionis tuæ ordo fuerit completus. *Quid vis, ut puer faciat*, quem Virgo Mater pariet:

Aut

Digitized by Google

A. *Aut à quo ſe obſervare debebit*, qui nullam in carne ſua contradictionem habebit?

Angelus Domini ad Manue dicit, cùm Filius DEI ordini prophetico ſuæ redemptionis myſterium edicit. *Ab omnibus, quæ locutus ſum uxori tuæ, ſe abſtineat*, ſcilicet à cunctis humanæ prævaricationis contagiis ſe contineat.

Quidquid ex vinea naſcitur, non comedat, vinum & ſiceram non bibat, & nullo veſcatur immundo. Quæ ſingula in præcedenti litera ſunt expoſita. *Et quod ei præcepi*, cùm eum hominem fieri volui, *impleat* in amore Dei, *atque cuſtodiat* in amore proximi.

B. Matth. XXII. 40. *In his enim duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ.* Sequitur:

℣. XV. *Dixitque Manue ad Angelum Domini: obſecro te, ut acquieſcas precibus meis, & faciamus tibi hædum de capris.*

℣. XVI. *Cui reſpondit Angelus: ſi me cogis, non comedam panes tuos: ſi autem vis holocauſtum facere, offer illud Domino.*

Manue ad Angelum Domini dicit, dum ordo propheticus dilectionis ſuæ affectum

C. Filio Dei ingerit, quo eum ad Incarnationis ſuæ condeſcenſionem expoſcit. *Obſecro te*, qui ſcis Domine, quia amo te. *Ut precibus meis acquieſcas*, quò tuæ redemptionis myſterium mundo oſtendas. *Et faciamus tibi hædum de capris*: quem Judas

Gen. XXXVIII. 20. Thamar promiſit in pignore prolis. *Hædus* enim *de capris* ille fuit, qui ortus de Patriarchis in ſimilitudine carnis peccati apparuit.

Angelus Domini reſpondet, cùm Filius Dei ſecretum conſilii ſui prophetico ordini expandit. *Si me cogis*, propter quod vinculis tuæ charitatis me attrahis.

D. *Panes tuos non comedam*, quia ſenſus tuos originalis peccati fermento imbutos, non accipiam. *Sin autem vis holocauſtum facere*, ſi redemptionis meæ myſterium vis ſperare. *Offer illud Domino*, conſecrans illud Spiritui Sancto. Huc accedit, quod Ab-

Gen. XIV. 22. & ſeq. raham Regi Sodomorum reſpondit: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cæli & terræ, quod à filo ſubtegminis uſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt: ne dicas, ego ditavi Abram, exceptis his, quæ comederunt juvenes, & partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Eſcol, & Mambre, iſti accipient partes ſuas.* Per Abram, qui *Pater excelſus* interpretatur, ipſe Dei Filius deſignatur: per Regem Sodomorum humana natura figuratur. *Dicit Abram Sodomorum Regi*: dicit humanæ naturæ Filius Dei. *Levo manum meam ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cœli & terræ*, quia per Reſurrectionem & Aſcenſionem meam, elevabo humanitatem meam, mihi Verbo in unione perſonæ unitam, ad Patrem meum, Creatorem cœli & terræ, DEum. *Quod à filo ſubtegminis*, quia ab illa ſubtili & incomprehenſibili operatione meæ conceptionis in utero Matris Virginis: *Uſque ad corrigiam caligæ*, uſque ad illam perfectionem humanæ ſubſtantiæ, quæ per corrigiam exprimitur caligæ, incomprehenſibili & inedicibili conjunctione divinitatis & humanitatis meæ: *Non accipiam ex omnibus, quæ ſunt tua*, quæ originalis peccati vinculis ſunt obnoxia. *Ne dicas, ego Abram ditavi*, ego Filio Dei Incarnationis ſuæ ſubſtantiam ex me & per me miniſtravi. *Exceptis his, quæ juvenes comederant*: quia vetus & novum teſtamentum de me conſcripſerunt. De quibus juvenibus in

libro Regum ſcribitur, ubi Abner Aſahel ſe inſequenti loquitur: *Vade apprehende tibi unum de adoleſcentibus, & tolle tibi ſpolia ejus.* II. Reg. II. 21.

De quibus item juvenibus Jeremias in Threnis ſuis loquitur, cùm Judæorum cæcitatem deplorando loquitur: *Adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt, & pueri in ligno corruerunt.* Thren. V. 13. *Exceptis partibus virorum, qui mecum venerunt*, qui mihi Filio DEI in redemptione humani generis aſtiterunt. *Aner, Eſchol & Mambre. Iſti accipiant partes ſuas.* Per *Aner*, qui *patris lucerna* dicitur, Spiritus ille Chriſti Domini accipitur, de quo ipſe Patri in cruce loquitur:

Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. Luc. XXIII. 46.

Qui rectè *lucerna* vocatur, quia per Chriſtum Dominum mundus illuminatur. Per *Eſchol*, qui *botrus* ſive *ignis omnis* dicitur, anima Chriſti exprimitur, quâ botrus ille in phalanga ſuſpenſus ad maturitatem redemptionis perducitur, cùm ipſa anima Chriſti in cruce in redemptionem humani generis deponitur. Eſchol *ignis omnis* interpretatur, quia ſicut igne exardeſcente rerum materia conſumitur: ſic anima Chriſti de corpore egrediente humani generis captivitas ſolvitur. Per *Mambre*, qui *diviſio*, vel *perſpicuum* interpretatur,

caro

caro Chriſti intelligitur, quæ mortis interventu in cruce à vita dividitur: cujus innocentiâ genus humanum peccâtis obnoxium *perſpicuum* efficitur, dum innocentiæ priſtinæ redditur. *Aner* ergo *Eſchol & Mambre, iſti accipiant partes ſuas.* Quænam vel quales ſint iſtæ *partes*, noverit ille, cujus ſunt ipſæ partes. Sequitur:

℣. XVII. *Et neſciebat Manue, quòd Angelus Domini eſſet.*

℣. XVIII. *Dixítque ad eum: quod eſt tibi nomen, ut, ſi ſermo tuus fuerit expletus, honoremus te?*

℣. XIX. *Cui ille reſpondit: cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile?*

℣. XX. *Tulit itaque Manue hædum de capris, & libamenta, & poſuit ſuper petram, offerens Domino, qui facit mirabilia: ipſe autem & uxor ejus intuebantur.*

℣. XXI. *Cumque aſcenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma aſcendit. Quod cùm vidiſſet Manue & uxor ejus, proni ceciderunt in terram:*

℣. XXII. *Et ultra eis non apparuit Angelus Domini.*

Manue neſcit, quòd Angelus Dei ſit; quia Ordo Propheticus Chriſtum corporeis oculis non conſpicit, quem in ſpiritu mentis ſuæ recognoſcit.

Proinde *ad eum dicit*, dum in ejus amore cor ejus exardeſcit. *Quod eſt tibi nomen*, in quo humanæ redemptionis certum eſt omen? *Ut ſi ſermo tuus fuerit expletus*, de quo conſtat, quia omnino ſit verus: Omnis enim homo mendax, Deus autem ſolus eſt verax. Si ergo ſermo tuus fuerit expletus, *honoremus te*, cùm à morte redempti fuerimus per te.

Cui ille reſpondit, cùm Ordini Prophetico Filius Dei myſterium ſuum expandit. *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile*, quod eſt incomprehenſibile, quod eſt ineffabile?

Manue hædum de capris tollit, cùm Ordo Propheticus laudibus ſuis eum extollit, qui de Patriarchis progenitus, in ſimilitudine carnis peccati mundo apparuit. *Tollit libamenta*, quæ ſunt vivificæ Paſſionis ejus odoramenta. *Supra petram ea ponit*, de qua

A. Moyſes in deſerto aquam produxit, dum eam virgâ bis percuſſit. *Offerens Domino, qui facis mirabilia*, Spiritui Sancto, qui diſpenſat Redemptionis magnalia. *Ipſe autem & uxor ejus intuebantur*: quia Ordo Propheticus & Sancta Eccleſia ab antiquo futuram mundi redemptionem in Spiritu contemplantur. *Flamma altaris in cœlum aſcendit*, cùm propitiatio illa crucis Chriſti ad cœlum pertingit. Crux enim Chriſti altaris nomine deſignatur, quia cunctorum ab initio usque in finem ſæculi electorum vota ſuper eam deponuntur. *Angelus Domini in flamma pariter*

B. *aſcendit*, quia ille magni conſilii Angelus peractâ Paſſionis & Reſurrectionis ſuæ trophæô, in ſuæ redemptionis propitiatione ad cœlos conſcendit. *Manue & uxor ejus vident*: quia Ordo Propheticus & Sancta Eccleſia futuram Chriſti aſcenſionem in ſpiritu prævident. *Proni in terram cadunt*, dum ejus humanitati humiliter ſe proſternunt. *Ultra non eis apparet Angelus Domini*, quia *Chriſtus reſurgens à mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Rom. VI. 9. & 10.

Statimque intellexit Manue ℣. XXIII.

C. *Angelum Domini eſſe,*

Et dixit ad uxorem ſuam: Morte moriemur, quia vidimus Deum. ℣. XXIV.

Cui reſpondit mulier: ſi Dominus nos vellet occidere, de manibus noſtris holocauſtum & libamenta non ſuſcepiſſet, nec oſtendiſſet nobis hæc omnia, neque ea, quæ ſunt ventura, dixiſſet. ℣. XXV.

Manue ſtatim Angelum Domini eſſe intelligit: quia Ordo Propheticus Chriſtum Dominum verum Dei Filium eſſe recognoſcit, qui ſuâ Reſurrectione & Aſcenſione ſuis electis introitum cœli aperuit.

Dicit ad uxorem ſuam, cùm Ordo Pro-

D. pheticus ad timorem Dei Sanctam hortatur Eccleſiam. *Morte moriemur*, cùm Chriſto in baptiſmo conſepeliemur. *Quia vidimus Deum*, Dei Filium, factum pro nobis Virginis Filium.

Mulier reſpondet, cùm Sancta Eccleſia ſpei ſuæ intuitum ad Chriſti Redemptionem expendit. *Si Dominus*, inquit, *nos vellet occidere*, ſi Deus omnipotens nos in ſorte reproborum morti vellet addicere, *De manibus noſtris holocauſtum & libamenta non accepiſſet*; quia pro nobis Filium ſuum

non tradidiſſet, neque Paſſionis ejus odo- A. ramenta in Redemptionem noſtram ſuſcepiſſet. *Nec oſtendiſſet nobis hæc omnia* ſuæ Redemptionis myſteria; *neque ea, quæ ventura ſunt, dixiſſet*, vel electorum gaudia, vel reprobrum ſupplicia. Sequitur:

℣. XXIV. *Peperit itaq; filium, & vocavit nomen ejus Samſon. Crevitq; puer, & benedixit ei Dominus.*

℣. XXV. *Cœpitq; Spiritus Domini eſſe cum eo in caſtris Dan inter Saraa, & Eſthaol.*

Mulier *filium parit*, cùm Sancta Eccleſia ſpei ſuæ fructum tandem in Chriſto B. accipit. *Nomen ejus Samſon vocat*, quod *ſol eorum*, vel *ſolis fortitudo* ſonat: quia Chriſtus *omnem hominem venientem in hunc mundum il-* Ioan. I. 9. *luminat*. *Puer creſcit*, quia Chriſtus in ſuſcepta humanitate juxta vocem Evangelii Luc. II. 25 *ætate & ſapientia proficit*, quam mundo paulatim aperit. *Dominus ei benedicit*, cùm Deus Pater mundi redemptionem in manibus ejus dirigit.

Spiritus Domini in caſtris Dan cum eo eſſe cœpit: quia Spiritus Sanctus redemptionem in Synagoga diſponit. *Inter Saraa*, quæ *anguſtia malorum* dicitur, per quam primitiva illa Patriarcharum Eccleſia exprimitur, quæ imminentium ſibi malorum doloribus afficitur, dum in expectatione ſuæ C. redemptionis affligitur. *Et Eſthaol*, quæ *ignis parturitionis* dicitur, qua junior Eccleſia gentium exprimitur, quæ in Spiritu Iſa. XXIV 18. Chriſti parturiendo loquitur: *A timore tuo Domine concepimus & parturivimus Spiritum.* Quibus duabus Eccleſiis Synagoga interponitur, ſicut obſtetrix illa infanti Phares loquitur, qui fratre manum retrahente de utero Thamar egreditur: *Quare* D. Gen. XXXVIII 29. *diviſa eſt propter te maceria?*

Cap. XIV.

℣. I. D*Eſcendit ergo Samſon in Thamnatha: videnſq; ibi mulierem de filiabus Philiſtiim,*

℣. II. *Aſcendit, & nuntiavit patri ſuo, dicens: vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philiſthinorum: quam, quæſo, ut mihi accipiatis uxorem.*

℣. III. *Cui dixerunt pater & mater ſua: numquid non eſt mulier in filiabus* A. *fratrum tuorum, & in omni populo meo: quia vis accipere uxorē de Philiſthiim, qui incircumciſi ſunt. Dixítque Samſon ad patrem ſuum: hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis.*

Parentes autem ejus neſciebant, quòd res à Domino fieret, & quæreret occaſionem contra Philiſtiim. Eo enim tempore Philiſthiim dominabantur Iſraëli. ℣. IV.

Samſon in Thamnatha deſcendit, cùm Chri- B. ſtus de Virgine natus in Synagogam venit. *Thamnatha* enim *deficiens* dicitur, per quam defectus legis exprimitur, qua nemo ad ſalutis remedium perducitur. *Ibi mulierem de filiabus Philiſthiim conſpicit*, quæ gentium Eccleſiam exprimit, quam Chriſtus ſuæ miſericordiæ oculis aſpicit. *Philiſthiim* enim *potione cadentes* interpretantur: quô nomine gentes deſignantur, quæ potione verbi Dei à ſua infidelitate mortificantur.

Samſon aſcendit, cùm Chriſtus officiô prædicationis ſe accingit. *Patri ſuo & matri nunciat*, dum ab antiquo populo Judaico & Synagogæ carnis ſuæ progenitori- C. bus per Prophetiam denunciat. *Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philiſthinorum*, quia miſertus ſum Eccleſiæ, de gentibus poſitæ in defectu veræ ſcientiæ. *Quam quæſo mihi uxorem accipiatis*, quò ſcilicet veſtra eruditione mihi eam conjungatis.

Pater & Mater dicunt, cùm ab antiquo D. populus Judaicus & Synagoga gentium ſaluti contradicunt. *Nunquid non eſt mulier in filiabus fratrum tuorum, & omni populo tuo, quia vis accipere uxorem de Philiſthiim, qui incircumciſi ſunt?* Quaſi dicant: Nunquid non eſt Eccleſia, quæ tibi poſſit eſſe placita, in filiabus fratrum tuorum, in ceremoniis carnalibus Patriarcharum & Prophetarum tuorum, Synagogæ, & omni populo, qui veteri ſubjacet teſtamento? *Quia vis uxorem de Philiſthiim accipere*, quia vis Æthiopiſſam uxorem ducere? Quod certè ſi feceris, totius populi Judaici & Synagogæ, uti Aaron & Mariæ murmur experieris.

Di-

Digitized by Google

Dicit Samſon ad patrem ſuum, cùm Chriſtus populo Judaico per prophetiam oſtendit conſilii ſui myſterium. *Hanc mihi accipe*, gentium Eccleſiam per vocationem Prophetarum tuorum mihi adjunge. *Quia placuit oculis meis*, quæ ſibi diſplicuit in oculis ſuis.

Parentes ejus neſciunt, quia populus Judaicus & Synagoga ſecundùm carnem Chriſti progenitores, myſterium conſilii à ſæculis abſconditi ſcire nequeunt. *Quòd res à Domino fieret*, quæ mirabilis in oculis noſtris fieret. *Quòd occaſionem contra Philiſtiim quæreret*, quòd Chriſtus per humilitatem aſſumptæ carnis ſpiritalibus nequitiis ſe opponeret. *Philiſtiim* enim *potione cadentes* dicuntur, quo nomine maligni hoſtes exprimuntur, qui potione verbi Dei expunguntur. *Eo enim tempore Philiſtiim Iſraël dominabantur*, quia hoſtes maligni populum fidelium acriter inſequebantur, cùm in plenitudine temporis venit Auctor redemptionis. Sequitur:

ỳ. V. *Deſcendit itaque Samſon cum patre ſuo & matre in Thamnata. Cùmque veniſſent ad vineas oppidi, apparuit catulus Leonis ſævus & rugiens, & occurrit ei.*

ỳ. VI. *Irruit autem Spiritus Domini in Samſon, & dilaceravit Leonem, quaſi hœdum in fruſta diſcerpens, nihil omnino habens in manu: & hoc patri & matri noluit indicare.*

ỳ. VII. *Deſcenditque & locutus eſt mulieri, quæ placuerit oculis ejus.*

ỳ. VIII. *Et poſt aliquot dies revertens, ut acciperet eam, declinavit, ut videret cadaver Leonis, & ecce examen apum in ore Leonis erat ac favus mellis.*

ỳ. IX. *Quem cùm ſumpſiſſet in manibus, comedebat in via: veniensq; ad patrem ſuum & matrem, dedit eis partem, qui & ipſi comederunt: nec tamen eis voluit indicare, quòd mel de corpore Leonis aſſumpſerat.*

Samſon cum Patre ſuo & Matre in Thamnatha deſcendit: quia Chriſtus cum populo Judaico carnis ſuæ progenitore, & matre Synagoga in defectionem legis natus de muliere, factus ſub lege advenit. *Venit ad vineas oppidi*, ad illas florentes literas veteris teſtamenti. *Catulus leonis ſævus, rugiens apparuit, & ei occurrit*, ille, de quo Jacob Patriarcha dicit: *Catulus leonis Juda.* Leo enim apertis oculis dormit: & ipſe catulus leonis fuit, qui in morte carnis apertos oculos divinitatis ſuæ habuit, qui non dormitat, neque dormit. Qui *ſævus & rugiens apparuit*, dum diſtrictum continentiæ propoſitum in hoc mundo degens tenuit, & rugitum prædicationis emiſit. Gen. XLIX, 9. *Qui ei occurrit*, dum Filio Dei ad redemptionem mundi in unionem perſonæ aſſumpta humanitas obtemperavit.

Spiritus Domini in Samſon irruit, quia per Spiritum S. Chriſtus ſuæ Paſſionis myſterium peregit. Unde Apoſtolus dicit: *Chriſtus per Spiritum Sanctum ſemet ipſum obtulit immaculatum Deo, & emundavit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi.* Hebræ. IX, 14. Samſon *leonem dilacerat*, dum Chriſtus aſſumptam humanitatem Paſſionis ſuæ ſuppliciis multipliciter macerat. *Leo quaſi hædus diſcerpitur in fruſta*, dum in ſimilitudinem carnis peccatricis, quæ per hœdum exprimitur, caro Filii Dei in torculari crucis conteritur. Samſon *nihil omnino in manu habet*, quia Chriſtus totius peccati culpa caret, pro qua mortis ſupplicium toleret. Samſon *matri & patri non vult hoc indicare*, quia Chriſtus Synagogæ populi Judaici Crucis ſuæ myſterium non vult in ſua Paſſione revelare.

Samſon *deſcendit*, dum Chriſtus per mortem crucis infernum petit. *Loquitur mulieri, quæ oculis ejus placuerat*, dum reſurgens à mortuis fidei ſuæ myſterium aperit Eccleſiæ gentium, quam ſibi ab æterno elegerat, cujus humilitas ejus oculis complacuerat.

Poſt aliquot dies revertitur, cùm die quadrageſimo ad cœlos regreditur. *Ut eam accipiat*, ut Eccleſiam gentium miſſo de cœlis Sancto Spiritu ſibi conjungat. *Declinat, ut cadaver leonis videat*, cùm ſe transfert in Eccleſiam gentium, ubi ſuæ mortis inveniat fructum. De quo cadavere in Evangelio loquitur ipſe: *Ubicunque fuerit cadaver, illuc congregabuntur aquilæ.* Matth. XXIV, 28 De hac etiam declinatione dicit ſponſa in Canticis: *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatis, ut paſcatur in hortis, & lilia colligat. Ego dilecto meo, & dilectus* Cant. VI, 1. 2. me-

meus mihi, qui paſcitur inter lilia. Unde rectè hic ſubditur: ***Et ecce examen apum in ore leonis,*** quia innumera multitudo populi fidelis per latitudinem orbis collecta eſt in fide Redemptoris. ***Et favus mellis,*** dulcis confeſſio divinitatis, quæ die noctuque perſonat in Eccleſiæ caſtris.

Samſon ***favum mellis in manibus ſumit,*** dum Chriſtus Eccleſiæ confeſſionem Dei Patris conſpectibus ingerit. ***In via comedit,*** dum toto hujus ſæculi tempore eſuriem ſuam ſalute fidelium reficit. ***Ad patrem ſuum & matrem ſuam venit,*** dum primitiis credentium in Synagoga fidei ſuæ myſterium pandit. ***Partem eis tribuit,*** dum credentes ex Synagoga ſuæ redemptionis participes efficit. ***Qui & ipſi comedunt,*** quia credentes ex Synagoga Chriſti ſacramentis ad ſalutem animarum ſuarum ſe reficiunt. ***Nec tamen eis vult indicare,*** quia univerſæ multitudini Synagogæ necdum ſuæ Paſſionis myſterium vult revelare. ***Quòd mel de corpore leonis aſſumpſerit,*** quòd verus Deus & homo ipſe de ſepulchro reſurrexerit. Sequitur:

℣. X. *Deſcendit itaq; pater ejus ad mulierem, & fecit filio ſuo Samſon convivium. Sic enim juvenes facere conſueverant.*

℣. XI. *Cùm ergo cives loci illius vidiſſent eum, dederunt ei ſodales triginta, ut eſſent cùm eo.*

℣. XII. *Quibus locutus eſt Samſon: Proponam vobis problema, quod ſi ſolveritis mihi intra ſeptem dies convivii, dabo vobis triginta ſindones & totidem tunicas.*

℣. XIII. *Sin autem non potueritis ſolvere, vos dabitis mihi triginta ſindones & ejusdem numeri tunicas. Qui reſponderunt ei: Propone problema, ut audiamus.*

℣. XIV. *Dixitq; eis: de comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo. Nec potuerunt per tres dies propoſitionem ſolvere.*

Pater Samſon ad mulierem deſcendit, cùm Chriſto ad cœlos aſcendente Deus Pater Eccleſiæ Sanctæ pignus Spiritûs tranſmittit. ***Filio ſuo Samſon convivium facit,*** dum Chriſtum ſalute ſuorum fidelium reficit. ***Sic enim juvenes facere conſueverant,*** illi qui Roboam conſilium præſtant, qualiter populo reſpondeat. III. Reg. XII. 6. ***Sic enim juvenes facere conſueverant,*** quia Sancti Apoſtoli Spiritu Sancto innovati prædicatione Evangelii Filio Dei convivium iſtud præparant. ***Sic enim juvenes facere conſueverant,*** quia credentium populi per baptiſmum renovati Filio Dei refectionem ſuæ fidei miniſtrant. De quibus juvenibus ſponſæ dicitur in Canticis: ***Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas.*** Cant. IV. 2.

Cùm igitur cives loci illius Samſon vidiſſent, ſcilicet, cùm Judæi, qui erant legis cognitione Deo proximi, Chriſtum in veteri teſtamento recognoviſſent. ***Dederunt ei ſodales triginta, qui eſſent cum eo,*** Sacerdotes, Scribas & Phariſæos, qui redemptionis ejus intenderent myſterio.

Quibus Samſon loquitur, quia Chriſtus eos ſua Incarnatione, Paſſione & Reſurrectione alloquitur. ***Proponam vobis problema*** per divinitatis & humanitatis meæ myſteria. ***Quòd ſi ſolveritis mihi*** per confeſſionem veræ fidei, ***intra ſeptem dies convivii,*** infra tempus præſentis ſæculi, quod ſeptem diebus volvitur, quibus hora cœnæ peragitur. ***Dabo vobis triginta ſindones, & totidem tunicas:*** cùm in futuro judicio rectæ fidei & bonæ operationis mercedem reſtituam. ***Triginta*** enim ***ſindones*** fidem Sanctæ Trinitatis exprimunt: ***totidem tunicæ*** cogitationum, verborum, & operum compoſitionem innuunt. Sicut enim amictu ſindonis homo primitus decoratur; ità rectæ fidei cultu primitus exornatur. Sicut item tunicâ frigus repellitur, & corpus componitur: ſic abundantia bonorum operum peccati frigus excluditur, & vitæ decor ante Deum componitur. De hoc amictu tunicæ vel ſindonis deſcribitur in laude mulieris fortis: ***Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo.*** Prov. XXXI, 24

Sin autem, inquit Samſon, ***non potueritis ſolvere,*** ſcilicet, ſi myſterium veræ fidei cordis credulitate & oris confeſſione nolueritis edicere. ***Vos triginta ſindones, & ejusdem numeri tunicas mihi dabitis,*** quia vos, qui notitiam veræ fidei & bonorum operum per legem accepiſtis, in die judicii rationem rectæ fidei & bonæ vitæ mihi reddetis, & pro voluntaria cæcitate æternæ condemnationis ſententiam à me accipietis. ***Sodales reſpondent,*** cùm Judæi in

deſerto ſuæ devotionis ſponſionem Filio Dei exhibent. *Propone problema, ut audiamus*: loquere nobis fidei myſterium per legis teſtimonium, ut ſciamus.

Dicit eis, dando eis ſcientiam legis. *De comedente cibus exivit*: quia de homine in Deum aſſumpto Evangelicæ prædicationis eſca ſalutaris prodivit. *Et de forte egreſſa eſt dulcedo*: quia in illo, qui fortem armatum fortior ipſe ſuperveniens vicit, veræ Deitatis dulcedo latuit. In cujus dulcedinis guſtu Jonathas virgam ſuam intinxit, dum Ordo Propheticus myſterium Crucis Divinitati Filii Dei aſſociavit, quo ſuæ fidei oculos ſerenavit. *Sodales non poſſunt per tres dies propoſitionem ſolvere*, quia Judæi fidem Reſurrectionis Dominicæ, quæ per tres dies exprimitur, nolunt recipere.

℣.XV. *Cúmque adeſſet dies ſeptimus, dixerunt ad uxorem Samſon: blandire viro tuo, & ſuade ei, ut indicet tibi, quid ſignificet problema. Quod ſi facere nolueris, incendemus te, & domum patris tui. An idcirco vocâſtis nos ad nuptias, ut ſpoliaretis?*

℣.XVI. *Quæ fundebat apud Samſon lachrymas, & querebatur, dicens: odiſti me, & non diligis, idcirco problema, quod propoſuiſti filiis populi mei, non vis mihi exponere. At ille reſpondit: patri meo & matri nolui dicere, & tibi indicare potero?*

Adeſt namque *dies ſeptimus*, cùm Mundi imminet terminus. Sodales *ad uxorem Samſon dicunt*, cùm Judæi Eccleſiam Chriſti ſuppliciter depoſcunt. *Blandire viro tuo*, in orationis tuæ ſacrificio loquere verba placentia Chriſto Domino. *Et ſuade ei* precatu tuæ fidei, *ut tibi indicet*, *quid problema ſignificet*. Tunc enim tibi indicabit, cùm per te nobis myſterium ſuæ Redemptionis intimabit. *Quod ſi facere nolueris*, cùm hoc meritò fidei & dilectionis agere potueris. *Incendemus te*, *& domum patris tui*, quia noſto interitu damnum faciemus & tibi & ſupernæ civitati, quæ eſt domus patris tui. *An idcirco nos ad nuptias vocâſtis*, cùm verbũ Evangelii nobis prædicâſtis, *ut ſpoliaretis*, ut per Chriſtianiſmum veſtrum Judaiſmum noſtrum tolleretis.

Uxor Samſon apud eum lachrymas fundit, cùm Sancta Eccleſia pro cunctorum ſalute

A. populorum apud Chriſtum intercedit. *Queritur*, cùm perditionem infidelium continuè lamentatur. *Dicit*, cùm per Spiritum Sanctum ſponſi auribus iſta ingerit: *Odiſti me, & non diligis*: quia in præſenti graviter me flagellas & corripis. *Idcirco problema non vis mihi exponere*, dum myſterium tuæ Incarnationis non dignaris infidelibus aperire. *Quod filiis populi mei propoſuiſti*, quando Judæis, qui filii deberent eſſe mei, ſi cultum haberent rectæ fidei, inſtitutionem veteris teſtamenti tradidiſti. *Samſon reſpondet*, cùm Chriſtus Sanctæ Eccleſiæ conſilii ſui myſterium expandit. *Patri meo*

B. *& Matri nolui dicere*, quia Synagogæ populi Judaici redemptionis meæ myſterium volui abſcondere. *Et tibi indicare potero?* cùm tuis tandem victus precibus, populo Judaico tedemptionem meam manifeſtabo. Sequitur:

Septem igitur diebus convivii flebat apud eum, tandemque die ſeptimo cùm ei moleſta eſſet, expoſuit. Quæ ſtatim indicavit civibus ſuis. ℣.XVII.

Et illi dixerunt ei die ſeptimo ante ſolis occubitum: Quid dulcius ℣.XVIII.

C. *melle, & quid fortius Leone? Qui ait ad eos: Si non arâſſetis in vitula mea, non inveniſſetis propoſitionem meam.*

Irruit itaque in eum Spiritus Domini, deſcenditque Aſcalonem, & percuſſit ibi triginta viros. Quorum ablatas veſtes dedit iis, qui problema ſolverant. Iratusque nimis aſcendit in domum patris ſui. ℣.XIX.

Uxor Samſon flet apud eum ſeptem diebus convivii: quia Sancta Eccleſia interceſſionis

D. ſuæ lachrymas apud Chriſtum fundit pro converſione infidelium omni tempore hujus ſæculi. *Tandem* Samſon *die ſeptimo ei exponit*, quia Chriſtus in fine ſæculi populo Judaico myſterium fidei aperit. *Cùm ei eſt moleſta*: cùm Sancta Eccleſia eum precum ſuarum vincit inſtantiâ, quæ hominibus quidem eſt moleſta, ſed ei eſt accepta. Unde ipſe in Evangelio dicit. *Et ſi non dabit illi ſurgens, eò quòd amicus ejus ſit, propter importunitatem tamẽ ejus ſurget, & dabit ei, quot habet neceſſarios.* Luc. XI. 8. *Quæ ſtatim civibus ſuis indicat*, quia cùm Chriſtus oſtiũ aperit, Sancta Eccleſia

Digitized by Google

extremis populi Judaici reliquiis, per ve- A. ram Dei & ſui cognitionem civibus ſuis verbum Evangelii prædicat.

Illi *dicunt ei die ſeptimo*, quia Judæi converſi dicunt Chriſto confeſſionem veræ fidei in mundi termino. *Ante ſolis occubitum*, ante hujus mundi interitum. *Quid dulciùs melle?* Chriſti divinitate? *Et quid fortius leone?* ipſius humanitate, qui mortem & mortis auctorem ſuâ vicit Paſſione? *Qui ad eos ait*, dum Chriſtus Judæis converſis plenam peccatorum ſuorum indulgentiam in Eccleſiæ unitate per Spiritum Sanctum tribuit. *Si in vitula mea non* B. *araſſetis*, ſi Eccleſiæ Catholicæ prædicationem evangelicam, quæ per aratrum deſignatur, non apprehendiſſetis. *Propoſitionem meam non inveniſſetis*, quia myſterium redemptionis meæ non agnoviſſetis.

Spiritus Domini in Samſon irruit, qui Aſcalonem deſcendit; quia Chriſtus per Spiritum Sanctum extremi judicii æquitatem diſponit. *Aſcalon* enim *appenſa*, vel *ignis infamis* dicitur, per quam extremi judicii diſtrictio exprimitur, in qua diabolus cum omni corpore reproborum æternæ condemnationis patibulo appenditur, in qua omnis infamis igni gehennæ æternaliter C. exurendus traditur. Samſon *ibi triginta viros percutit*: quia Chriſtus in extremo judicio falſos Chriſtianos, hæreticos, & omnes incredulos æternæ mortis damnationi addicit. *Quorum ablatas veſtes dat his, qui problema ſolvunt*, quia præparatam in cœleſtibus reproborum hæreditatem illis Chriſtus diſtribuit, qui rectæ fidei confeſſionem, & rectæ vitæ compoſitionem ad diem extremi judicii deferunt. Unde in

Luc. XIX. 24. Evangelio de negligente ſervo dicitur: *Auferte ab illo Mnam, & date ei, qui decem Mnas habet.* Hinc in Apocalypſi dicitur: *Tene* Apoc. III. 11. *quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Samſon *nimis iraſcitur*, quia Chriſtus in D. extremo judicio iram ſuam in reprobis terribiliter ulciſcitur. Unde Pſalmiſta loquitur: *DEus noſter manifeſtè veniet, & non* Pſal. XLIX. 3. *ſilebit. Ignis in conſpectu ejus exardeſcet, & in circuitu ejus tempeſtas valida. In domum patris ſui aſcendit*; quia peractô judicio cum electis omnibus ad regna cœlorum tranſit.

℣. XX. *Uxor autem ejus accepit maritum unum de amicis ſuis & pronubis.*

Uxor Chriſti Synagoga accipitur, pro cujus amore ipſe carnis amictu de ejus poſteritate veſtitur, ſicut ipſe diſcipulis ſuis loquitur: *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt, domus Iſraël.* Matth. XV. 24. Uxor *maritum unum de amicis ſuis & pronubis accipit*, dum Chriſto pro Synagoga Moyſen Legiſlatorem, paranymphum Sponſi in locum Sponſi ponere contendit.

Cap. XV.

℣. I. *POſt aliquantum autem temporis, cùm dies triticeæ meſſis inſtarent, venit Samſon, inviſere volens uxorem ſuam, & attulit ei hædum de capris. Cumque cubiculum* B. *ejus ſolitò vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens:*

℣. II. *Putavi, quòd odiſſes eam, & ideo tradidi eam amico tuo: ſed habet ſororem, quæ junior & pulchrior illa eſt, ſit tibi pro ea uxor.*

℣. III. *Cui Samſon reſpondit: ab hac die non erit culpa in me contra Philiſthæos: faciam enim vobis mala.*

℣. IV. *Perrexítque & cepit trecentas vulpes, caudáſque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio:*

℣. V. *Quas igne ſuccendens, dimiſit, ut huc illucque diſcurrerent. Quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſtinorum. Quibus ſuccenſis & comportatæ jam fruges, & adhuc ſtantes in ſtipula, concrematæ ſunt, in tantum, ut vineas quoque & oliveta flamma conſumeret.*

Aliquantum autem temporis eſt tempus datæ legis. Quo decurſo *dies triticeæ meſſis inſtant*, cùm prædicationis Evangelicæ maturitas orbem terrarum lætificat. Unde Chriſtus Apoſtolis ſuis tanquam meſſoribus orbis loquitur: *Levate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ jam ſunt ad meſſem.* Joan. IV. 35. Samſon *venit*, cùm Chriſtus de Virgine natus mundum intravit. *Uxorem ſuam vult inviſere*, cùm Synagogam adventu ſuo vult provehere. *Affert ei hædum de capris*, cùm ipſe in ſimilitudine carnis peccati apparet ei, natus de Patriarchis. *Cubiculum ejus ſolito more vult intrare*, cùm intimæ dilectionis affectum ſtudet Synagogæ demonſtrare, carnem de ea aſſumendo, ipſi primùm evangelizando, mortuos ejus ſuſcitando, & varios languores curan-

curando. ***Pater illius eum prohibet***: quia or-A. do Doctorum Synagogæ aſſenſum dilectionis ipſi non exhibet.

Putavi, inquit, ***quòd odiſſes eam***, quia pro eo, quòd ego ipſe dilectionem Dei & proximi non habeam, te quoque Deum & proximum meum non cognoſcebam. ***Putavi, quòd eam odiſſes***, pro eo quòd ei avaritiam & mundi gloriam, vel carnis luxuriam Evangelii tui prædicatione interdixiſſes. ***Et ideò tradidi illam amico tuo***, Moyſi Legislatori ſuo, paranympho tuo, qui ei dilectionis ſuæ affectum oſtendebat, dum ipſi mundi vel carnis voluptatem per ſcripturam legis indulgebat. ***Sed habet ſororem***, Eccleſiam gentium, Synagogâ me-B. liorem, quæ temporis poſteritate illâ ***eſt junior***, & fidei perfectione, vel dilectionis compoſitione ***eſt pulchrior. Sit tibi pro ea uxor***: quia profectò ipſa tibi eſt multò charior.

Samſon reſpondet, cùm Chriſtus conſilii ſui myſterium à ſæculis abſconditum ſuo adventu expandit. ***Ab hac die*** Paſſionis meæ, qua me lapidem angularem reprobâſtis vos, qui in cultu legis templum Dei Patris vos ædificare putâſtis. ***Non erit culpa in me***, pro qua juſtè poſſitis conqueri de me. ***Contra Philiſthæos***, immutato nomine Judæos. ***Philiſtiim*** enim ***ruina duplex*** interpretatur, per quam ipſi Synagogæ fi-C. lii deſignantur, qui per Chriſti adventum pro ſua perfidia ***in ruinam duplicem*** animæ
& corporis præcipitantur. Unde Simeon
Luc. II. ad MARIAM Matrem ejus loquitur. ***Ec-***
34. ***ce hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem***
multorum in Iſraël. Faciam enim vobis mala, qui pro innumeris bonis innumera mihi retribuiſtis mala,

Samſon pergit, cùm Chriſtus de Syna-
Marc. I. goga exit. ***Trecentas vulpes parvulas***, quæ
29. ***demoliuntur vineas. Caudas earum ad caudas***
jungit, dum ſuggeſtiones ſpirituum malig-D. norum & digeſtiones vitiorum ad invicem conjungit. Quia enim in cauda finis eſt corporis, & locus digeſtionis, rectè in caudis invicem ſibi copulatis exprimitur digeſtio conceptæ pravitatis, & conſummatio totius iniquitatis. De qua caudarum copulatione eſt illud teſtimo-
Oſe. IV. 2. nium Prophetæ: ***Homicidia, adulteria, & perjuria inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tangit.*** Sanguis enim ſanguinem tangit, cùm culpa culpam gignit. ***Faces in medio ligantur***: cùm incendia ſuggeſtionis & delectationis caudis malignorum ſpirituum vel vitiorum opponuntur.

Faces igne ſuccenduntur, cùm ſuggeſtiones & delectationes diabolicæ divinæ æquitatis permiſſu accenduntur. ***Vulpes dimittuntur, ut huic illucque diſcurrant***, cùm aëreæ pravitates divinitùs permittuntur, ut in cogitationum, verborum & operum culpas excurrant. ***Huc illucque diſcurrunt***, cùm ſpiritum ſuggeſtione, delectatione peccati, vel conſummatione corrumpunt. ***Huc illucque diſcurrunt***, cùm per peccati contagionem ad animæ & corporis perditionem excurrunt. ***Vulpes in ſegetes Philiſthinorum pergunt***, dum maligni hoſtes ſibi contrarias legalium ceremoniarum obſervantias peccati & mortis incurſu in Synagoga ſubvertunt. ***Comportata fruges concremantur***, dum jejunia, vigiliæ vel eleemoſynæ infidelis Synagogæ æternæ gehennæ incendiis deputantur. ***Fruges adhuc ſtantes in ſtipula concremantur***: quia ipſa Synagoga ſtipula efficitur, quamdiu divini timoris & amoris ariditate afficitur. Proinde ***fruges in ſtipula ſtantes concremantur***, quia cunctæ bonorum ſpecies in ea apparentes æternæ mortis interitu annihilantur. ***Vineas quoque & oliveta flamma conſumit***, dum in eis vel legis ſcientiam, vel Religionis flagrantiam perfidiæ flamma abſumit.

Dixerúntque Philiſthiim: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum eſt: Samſon gener Thamnathæi, quia tulit uxorem ejus, & alteri tradidit, hæc operatus eſt. Aſcenderúntque Philiſthiim, & combuſſerunt tam mulierem quàm patrem ejus. ℣. VI.

Quibus ait Samſon: Licèt hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, & tunc quieſcam. ℣. VII.

Percuſſitque eos ingenti plaga, ita ut ſtupentes ſuram femori imponerent. Et deſcendens habitavit in ſpelunca petræ Etam. ℣. VIII.

Philiſtiim quærunt, quis hanc rem fecerit; cùm Synagogæ filii obſtupeſcentes inquirunt, unde tanta ſuper eos vindicta proceſſerit. ***Quibus dicitur***, cùm eis in Prophetarum oraculis edicitur, quòd Chriſtus hæc omnia ſit ***operatus***, pro eo quòd ipſe à Synagoga ſit alienatus. Proinde ***Philiſtiim aſcendunt***, cùm Synagogæ reliquiæ divini verbi potione mortificatæ, tandem à ſua perfidia reſipiſcunt.

Tam

Tam mulierem quàm patrem ejus comburunt, A. cùm & Synagogam & ordinem Doctorum ejus Evangelicæ prædicationis incendiò conſumunt. Quod enim comburitur, agitur, ut in nihilum redigatur: ſic Synagoga ſubvertitur, cùm ipſa tandem ad Eccleſiam convertitur.

Quibus Samſon ait, cùm Chriſtus converſæ Synagogæ reliquiis miſerationis ſuæ ſinum expandit. *Licèt*, inquit, *hæc feceritis*, licèt de infidelitate ad Catholicæ fidei profeſſionem tranſieritis. *Tamen adhuc ex vobis ultionem expetam*; quia converſos vos mortificationi voluntariæ continentiæ ſubjiciam. *Et tunc quieſcam*, quia omnem B. iram meam ad vos convertam.

Samſon *ingenti plagâ eos percutit*, cùm Chriſtus reliquias Synagogæ in fine converſas, incomparabili pœnitentiæ dolore transfigit. *Ita ut ſtupeant*, ita ut ſe errâſſe ex corde pœniteant. Quô ſtupore *ſuram femori imponunt*, cùm in extremitate ſua Chriſtum verum Dei Filium, verumque Virginis Filium, ac proinde ſuum conſanguineum recognoſcunt. Quia enim per *femur* propagatio carnis agitur; *ſura femori imponitur*, cùm ab extremitate Synagogæ Chriſti Redemptoris propinquitas recog- C. noſcitur. *Samſon deſcendit*: cùm Chriſtus ſuæ redemptionis myſterium peragit. *In ſpelunca petræ Etam habitat*, dum per fidem ſuæ Paſſionis, & Reſurrectionis & Aſcenſionis plenitudinem gentium inhabitat. *Etam* enim *avis eorum* dicitur, quo nomine Chriſti aſcenſio exprimitur, propter

Job. XXVIII. 7. quod de incredula Synagoga Job loquitur: *Semitam ignoravit avis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis*. *Speluncâ* enim Chriſti ſepulchrum exprimitur, ad quod per Paſſionem crucis pertingitur. *Petrâ* Reſurrectionis firmitatis exprimitur, quia *reſur-*

Rom. VI. 9. & 10. *gens à mortuis, jam non moritur, mors illi ultra* D. *non dominabitur*. Per *Etam*, quæ *avis* interpretatur, aſcenſionis ſublimitas deſignatur. Sequitur:

℣. IX. *Igitur aſcendentes Philiſtiim in terram Juda, caſtrametati ſunt in loco, qui poſtea vocatus eſt Lechi, id eſt, maxilla, ubi eorum effuſus eſt exercitus.*

℣. X. *Dixerúntque ad eos de tribu Juda: cur aſcendiſtis adverſum nos? Qui reſponderunt: ut ligemus Samſon, venimus, & reddamus ei, quæ in nos operatus eſt.*

Deſcenderunt ergo tria millia virorum de Juda, ad ſpecum ſilicis Etam, dixerúntque ad Samſon: neſcis, quòd Philiſtiim imperent nobis? Quare hoc facere voluiſti? Quibus ille ait: ſicut fecerunt mihi, ſic feci eis. ℣. XI.

Ligare, inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philiſtinorum. Quibus Samſon, jurate, ait, & ſpondete mihi, quòd non occidatis me. ℣. XII.

Dixerunt: non te occidemus, ſed vinctum trademus. Ligaverúntque eum duobus novis funibus, & tulerunt eum de petra Etam. ℣. XIII.

Philiſtiim aſcendunt, cùm gentes ad fidem Chriſti ſe extendunt. *In terra Juda caſtrametantur*, dum in ſcientia legis & Prophetarum, quæ Synagogæ credita fuit, per diverſos ordines Sanctæ Eccleſiæ cum malignis hoſtibus congrediuntur. *In loco*, qui *maxilla eſt vocatus*, quo loco prædicatorum ordo eſt deſignatus. Quia enim in *maxilla* cibi conteruntur, ipſi per maxillam exprimuntur, per quos cœleſtis doctrinæ panes confringuntur. De qua maxilla Jeremias dicit, dum Sanctæ Eccleſiæ gemitum deſcribit: *Plorans ploravit in nocte, & lacbrymæ ejus in maxillis ejus*. Thren. I. 2. *Ubi eorum exercitus effunditur*, quia per prædicationis officium multitudo Eccleſiæ gentium iu orbe diffunditur.

Dicunt ad eos de tribu Juda, quia dicunt gentibus illi, qui ſunt in Synagoga. *Cur adverſum nos aſcendiſtis*, qui per baptiſmum & diem veſtrum Dominicum Circumciſionem & Sabbatum noſtrum evertiſtis? *Philiſtiim reſpondent*, cùm gentes futuræ redemptionis myſterium expandunt. *Ut alligemus Samſon, venimus*: quia idcirco veteris teſtamenti coloniam intravimus, *ut Samſon alligemus*, ut Chriſtum Redemptorem noſtrum veræ dilectionis vinculis obligemus. *Ut ei reddamus, quæ in nos eſt operatus*, ut ſanguinem ejus noſtro ſanguine retribuamus. Sic enim vera viciſſitudo amoris rependitur, cùm ſanguis ſanguine recompenſatur. Unde Pſalmiſta dicit: *Quid retribuam Domino pro omnibus*, Pſal. CXV. 12.

quæ

Digitized by Google

quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini *invocabo.* A.

Tria millia virorum de Juda ſunt agmina Sacerdotum, Scribarum & Phariſæorum de Synagoga. Quæ *ad ſpecum ſilicis Etam deſcendunt*, dum in veteris teſtamenti ſcientia ſe extendunt, ubi Paſſionis, Reſurrectionis & Aſcenſionis Dominicæ veſtigia deprehendunt. Proinde *ad Samſon dicunt*, dum & futuræ gentium vocationis, & ſuæ repulſionis Prophetiam animadvertentes, quaſi Chriſto utriusque rei auctori iſta ingerunt. *Neſcis, quòd Philiſtiim imperent nobis*, ex occaſione tuæ Crucis & Paſſionis? *Quare hoc facere voluiſti*, quòd B. nobis abjectis ad gentes tranſire voluiſti? *Quibus ille ait*, cùm eis ſuæ juſtitiæ dire-
Prov. VIII. 17. ctionem proponit. *Sicut fecerunt mihi, feci eis*: quia *ego diligentes me diligo, & glorificantes me glorifico.*

Ligare, inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philiſtinorum, quia nocte ſacroſancta tuæ Paſſionis te vinciemus, & in manus Romanorum vinctum trademus. Sancta enim Scriptura, dum quaſi rerum præteritarum narrat hiſtoriam, rerum futurarum texit Prophetiam. Samſon *reſpondet*, cùm Chriſtus in lege & Prophetia ſuæ C. Redemptionis myſterium expandit. *Jurate*, inquit, *& ſpondete mihi, quòd me non occidatis.* Idcirco enim me gentibus crucifigendum tradetis, quaſi ipſi legem habentes, neminem interficere debeatis.

Dicunt, cùm futuræ Paſſionis ordinem prædicunt. *Non te occidemus*, qui ex inſtitutione legis noſtræ neminem interficere debemus. *Sed vinctum trademus*, quia te crucifigi à Pilato expetemus. *Ligant eum duobus novis funibus*, dum eum morti condemnant pro humani generis exceſſibus. *Duo novi funes* ſunt duo illi Protoplaſti humani generis parentes, qui Chriſtum ligari faciunt, dum ipſi mortis auctori peccando ſe ſponte ſubjiciunt. Vel *duo novi funes* ſunt literæ legis & allegoriæ in eis D. latentes, quæ in novitate vitæ proficiunt, dum per Spiritum vivificantem ſe exerunt. *De petra Etam eum tollunt*, dum de illo refugio ſuæ orationis, ubi in agonia deſudat Paſſionis, ad ſupplicium crucis per Judam traditorem eum attollunt. Sequitur:

℣.XIV. *Qui cùm veniſſet ad locum maxillæ, & Philiſtiim vociferantes occurriſſent ei, irruit Spiritus Domini in eum: & ſicut ſolent ad odorem ignis ligna conſumi, ita vincula, quibus ligatus erat, diſſipata ſunt & ſoluta.*

Inventámque maxillam, id eſt: ℣.XV.
mandibulam aſini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros,

Et ait: in maxilla aſini, in man- ℣.XVI.
dibula pulli aſinarum delevi eos, & percuſſi mille viros.

Cúmque hæc verba canens compleſ- ℣.XVII.
ſet, projecit mandibulum de manu, & vocavit nomen loci illius Ramathlechi, quod interpretatur, elevatio maxillæ.

Sitiénsque valde, clamavit ad ℣.XVIII.
Dominum, & ait: Tu dediſti in manu ſervi tui ſalutem hanc maximam atque victoriam: en ſiti morior, incidamque in manus incircumciſorum.

Aperuit itaque Dominus molarem ℣.XIX.
dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex ea aquæ. Quibus hauſtis refocillavit ſpiritum, & vires recepit. Idcirco appellatum eſt nomen loci illius: Fons invocantis de maxilla uſque in præſentem diem.

Judicavítque Iſraël in diebus ℣.XX.
Philiſtiim viginti annis.

Samſon *ad locum maxillæ venit*, dum Chriſtus myſterium crucis attingit, unde cunctorum Eccleſiæ Doctorum prædicatio conſurgit. *Philiſtiim vociferantes ei occurrunt*, dum vel maligni ſpiritus de ejus Paſſione lætantes, vel Sacerdotum Principes, Scribæ & Phariſæi morti ejus inſultantes convitiis & improperiis ſe ei objiciunt. *Spiritus Domini in eum irruit*: quia Spiritus S. reſurrectionis ejus myſterium provehit. *Ad odorem ignis ligna conſumuntur*, dum per virtutem Sancti Spiritûs, qui per ignem exprimitur, ſupplicia Crucis abſorbentur, quæ per ligna figurantur. *Vincula, quibus* Samſon *ligatur, diſſipantur & ſolvuntur*: quia nexus mortis, quibus Chriſtus conſtringitur, virtute Reſurrectionis diſſol-

ſolvuntur. Samſon *mandibulam aſini, quæ* A. *jacet, arripit*, dum Chriſtus ſtultitiam prædicationis, quæ in ſilentio torpet, virtute Sancti Spiritûs erigit. *Mille viros in ea interficit*, dum plenitudinem gentium per ſtultitiam prædicationis extinguit. De
I. Corinth. I, 21. qua ſtultitia dicit Apoſtolus: *Quia in ſapientia ſua mundus DEum non cognovit, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.* Et item:
Ibid. 23. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Quod autem per *aſinum* prædicatio figuretur, Jacob Patriarcha proteſtatur, qui benedicens
Gen. XLIX, 14. filiis ſuis loquitur: *Iſachar aſinus fortis, habitans inter terminos.*

Proinde *Samſon ait*, cùm Chriſtus præ- B. dicationis ſuæ trophæum per mundum canit. *In maxilla aſini*, in prædicatione meorum Apoſtolorum, *in mandibula pulli aſinorum*, in eruditione ſequentium vel inferiorum Doctorum & Expoſitorum, *eos delevi*, quos de infidelitate ad fidei confeſſionem perduxi. *Mille viros percuſſi*, cùm plenitudinem gentium Evangelii prædicatione proſtravi.

Samſon *canens hæc verba complet*, cùm Chriſtus in fine Evangelii prædicationem explet. *Mandibulam de manu projicit*, cùm officium prædicationis in fine mundi peragit. Samſon *nomen loci illus Ramathlechi* C. *vocat, quod elevatio maxillæ ſonat*: quia notitiam ſuæ Paſſionis & Crucis cunctis gentibus demonſtrat, per quam Evangelii prædicatio mundum illuminat.

Joan. XIX, 28. Samſon *valde ſitit*, cùm Chriſtus in Cruce dicit: *Sitio.* Sitit enim pius Redemptor mundi ereptionem ſuorum in inferno vinctorum, ſitit ſalutem omnium ſuorum per orbem electorum. Proinde *clamat ad Dominum*, cùm
Matth. XXVII, 50. *voce magna clamans* in Cruce tradit ſpiritum. *Ait*, cùm ſuam ad inferos deſcenſionem, ſuam ab inferis D. regreſſionem, per Spiritum S. provehit. *Tu dediſti in manu ſervi tui ſalutem hanc maximam atque victoriam*, quia tu DEus omnipotens mihi, qui me tibi in forma ſervi humiliavi, meorum electorum ereptionem, & cunctorum hoſtium conculcationem tribuiſti per meæ Crucis Paſſionem. *En ſiti morior*, quia deſideriô ſalvationis cunctarum gentium deſiderabiliter crucior. *Incidam in manus incircumciſorum*, cùm plenitudo gentium introierit in orbem terrarum.

A. *Molarem dentem Dominus in maxilla aſini aperit*, cùm DEus Pater ubertatem Evangelicæ prædicationis per mundum diffundit. *Ex eo aquæ egrediuntur*, cùm ſalvationes omnium gentium in prædicatione Evangelii perficiuntur. *Quibus hauſtis Samſon ſpiritum refocillat*, cùm Chriſtus ſalvatione omnium gentiũ exultat. *Vires recipit*, cùm ſuorum electorum certum numerum plenariè perficit. *Nomen loci illius fons invocantis de maxilla appellatur*: quia Chriſti Paſſio per mundi fines per prædicationem Evangelii celebratur. *Uſque in præſentem diem*, uſque in Reſurrectionis diem, quem ſemper præ oculis oportet habere præſentem.

B. *Samſon Iſraël viginti annis judicat*, quia Chriſtus ſuos electos ſcientia duorum teſtamentorum, dilectione Dei & proximi, vel in activæ & contemplativæ vitæ perfectione in præſenti gubernat. *In diebus Philiſtiim*, qui *potione cadentes* interpretantur, quamdiu maligni ſpiritus ſuis tentationibus in hoc mundo graſſantur, qui *ruinam duplicem* animæ & corporis in infidelibus operantur. Sequitur:

Cap. XVI.

ABiit quoque Gazam, & vidit ibi ℣. I.
C. *mulierem meretricem, ingreſſusque eſt ad eam.*

Quod cùm audiſſent Philiſtiim, ℣. II.
& percrebuiſſet apud eos, intrâſſe urbem Samſon, circumdederunt eum, poſitis in porta civitatis cuſtodibus: & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes, ut facto mane exeuntem occiderent.

Dormivit autem Samſon uſque ad ℣. III.
D. *medium noctis: & inde conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitáſque humeris ſuis portavit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron.*

Samſon in Gazam abiit: cùm Chriſtus per Paſſionem crucis ad infernum deſcendit. *Vidit ibi mulierem meretricem*, gentium Eccleſiam prævaricatricem. *Ad quam ingreditur*, cùm ſui ſanguinis effuſione Eccleſiæ gentium in lectulo crucis jungitur.

Phi-

Digitized by Google

A. *Philiſthiim audiunt Samſon urbem intráſſe*, cùm Judæi cognoſcunt Chriſtum in cruce expirâſſe. *Circumdant eum, poſitis in porta civitatis cuſtodibus*: quia cuſtodiunt eum, poſitis ad oſtium ſepulchri militibus. *Ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantur*, quia nocte ſacroſancta Reſurrectionis ejus vigilias ſuas ibi latenter exequuntur, ubi ſe poſtea dormiſſe fallaciter mentiuntur. *Ut facto mane exeuntem occiderent*; ut peracta Reſurrectione falsô Chriſtum teſtimoniô impeterent, cùm eum à diſcipulis ſublatum mendaciter confingerent.

B. *Samſon usque ad noctis medium dormit*, cùm Chriſtus usque ad noctis medium in ſepulchro deliteſcit. *Inde conſurgit*, cùm ante diluculum ab inferis prodit, & de ſepulchro reſurgit. *Ambas portæ fores apprehendit*, cùm ſimplâ ſuâ morte duplicem mortem humani generis confringit. *Cum poſtibus ſuis & ſera*, quæ ſunt ſuggeſtionis, delectationis, & conſensûs peccati figura, quibus in orbem terrarum mors eſt ingreſſa & dominata. Samſon *eas humeris ſuis imponit*, cùm Chriſtus humani generis debitum per mortem Crucis exſolvit. *Ad verticem montis eas portat, qui Hebron reſpicit*, C. dum triumphum ſuæ Reſurrectionis cœlis invehit, quo æternæ vitæ augmentum ſuis electis tribuit. *Hebron* enim *augmentum ſempiternum* interpretatur, quô æternæ vitæ gaudium deſignatur, ubi Dominicæ Paſſionis & Reſurrectionis triumphus in æternum decantatur. Sequitur:

℣. IV. *Poſt hæc amavit mulierem, quæ habitabat in valle Sorec, & vocabatur Dalila.*

℣. V. *Veneruntque ad eam Principes Philiſthinorum, atque dixerunt: decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere. Quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos.* D.

℣. VI. *Locuta eſt ergo Dalila ad Samſon: Dic mihi, obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo, & quid ſit, quo ligatus erumpere nequeas?*

℣. VII. *Cui reſpondit Samſon: ſi ſeptem nerviceis funibus necdum ſiccis & adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero ùt cæteri homines.*

Attuleruntque ad eam Satrapæ Philiſthinorum ſeptem funes, ut dixerat: quibus vinxit eum, ℣. VIII.

Latentibus apud ſe inſidiis, & in cubiculo finem rei expectantibus, clamavitque ad eum: Philiſthiim ſuper te Samſon. Qui rupit vincula, quomodo ſi rumpat quis filum de ſtupæ tortum putamine, cùm odorem ignis acceperit: & non eſt cognitum, in quo eſſet fortitudo ejus. ℣. IX.

Samſon *mulierem amat, quæ in valle Sorec habitat*: dum Chriſtus Synagogam ſibi copulat, quæ literam legis carnali intelligentia inhabitat. *Sorec* enim *electa* vel *optima* dicitur: quâ veteris teſtamenti ſpiritalis intelligentia electa &, optima exprimitur. Mulier *Dalila* vocatur, quæ *paupercula* vel *ſitula* interpretatur: quia Synagoga onerata legis *ſitulâ*, carnali intellectu litteræ eſt *paupercula*. *Principes Philiſthinorum* ſunt Doctores & Magiſtratus Judæorum. Qui *ad Dalilam veniunt*, dum ſua inſtitutione carnali Synagogam conveniunt. *Dicunt*, cùm ei ſpem ſalutis in carnalibus ceremoniis repromittunt. *Decipe eum*, deorſum cape Dei Filium. *Diſce ab illo*, qui ſe tibi familiariter ingerit in habitu humano. *In quo habeat tantam fortitudinem*, quòd mare & venti expaveſcant ejus magnitudinem. *Quomodo eum valeamus ſuperare*, quem verborum diſputatione nequimus expugnare. *Et vinctum affligere*, quem niſi vinctum, nullatenus audemus attingere. *Quod ſi feceris*, ſcilicet, ſi noſtris votis ejus traditione ſatisfeceris. *Dabimus tibi ſinguli mille centum argenteos*, cùm nos tibi pro millenario numero perfectæ ſcientiæ miniſtrabimus *mille centum argenteos*, plenam ſuperfluitatem totius hæreſeos. *Dabimus tibi ſinguli mille centum argenteos*, cùm nos in ſeptem ordines diviſi, utpote Pontifices, Sacerdotes, Levitæ, Scribæ, Phariſæi, Saducæi, & Jeſſæi, dabimus tibi *triginta argenteos*, à Juda traditore receptos. Triginta enim, ſi tricies ſepties multiplicentur mille centum explicantur.

Dalila ad Samſon loquitur, cùm Synagoga, vel ipſa potius humana natura Filium Dei à primordio ſæculi alloquitur. *Dic mihi obſecro*, quæ tuorum myſteriorum conſcia fieri deſidero. *In quo ſit tua maxima fortitudo*, qua ſerpentis illius antiqui ſupplantari

poſſit fortitudò. *Quid ſit, quò ligari debeas*, unde erumpere nequeas, quò tuis nexibus humanis cladibus finem imponere valeas.

Samſon reſpondet, cùm Filius DEI ab exordio ſæculi ſuæ Redemptionis myſterium expandit. *Si ſeptem nerviceis funibus, necdum ſiccis & adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero ùt cæteri homines. Septem nervicei funes* ſunt in exordio ſæculi naturalis legis inſtitutiones de ſeptiformi ſpiritu ſapientiæ prodeuntes, quibus humanum genus reſtringitur, ne peccati corruptione penitus diſſolvatur. Qui *funes nervicei, necdum ſicci, & adhuc humentes* eſſe deſcribuntur, quia naturalis ſapientiæ vigores, ùti nervi carnibus inhærentes, nulla adhuc legalium præceptorum diſtrictione exſiccantur, ſed arbitrii libertate adhuc humectantur. *Si his*, inquit, *ſeptem nerviceis funibus ligatus fuero, ùt cæteri homines infirmus ero*, in multis illius temporis præfigurationibus Redemptionis meæ myſterium demonſtrando hominibus.

Satrapæ Philiſthinorum ſeptem funes ad eam afferunt, dum Patriarchæ progenitores Judæorum Synagogæ vel toti potius humanæ naturæ naturalis legis eruditiones ingerunt. *Ut dixerat*, quia Filius Dei ſuæ Redemptionis myſterium ab æterno diſpoſuerat. *Quibus eum vincit*, quia Synagoga vel humana natura Filium Dei naturalis legis eruditione ad ſe aſtringit. *Inſidiis apud ſe latentibus, & in cubiculo finem rei expectantibus*, diverſis ſcilicet Patriarcharum præfigurationibus in veteri teſtamento, velut *in cubiculo*, Redemptionis eventum expectantibus, quaſi de litera muta, vel cæca exſpicientibus. Proinde *Dalila clamat ad eum*, dum vel Synagoga, vel humana natura in diverſis præfigurationibus clamat ad Dei Filium. *Philiſthiim ſuper te Samſon.* Quaſi dicat: *Super te*, qui per tuæ innocentiæ ſingulare meritum fortiſſimus es inter filios hominum, *Philiſthiim* irruent, cùm te vel hoſtes humani generis, vel Judæi, vel gentes, quorum omnium typum Philiſthiim tenent, Paſſioni crucis & mortis ſubjicient. *Samſon vincula rumpit*, cùm Chriſtus ſuæ Reſurrectionis potentiâ crucis & mortis vincula diſrumpit. *Quomodo ſi rumpat quis filum ſtupæ tortum ſtaminis putamine, cùm odorem ignis acceperit. Filum ſtupæ tortum rum-*
A. *pitur*, cùm humanitas Chriſti Paſſionis & Crucis ſuppliciô diſrumpitur. Quæ profectò humanitas *filo ſtupæ* rectè comparatur, quia ſtupa de terra generatur, & filum induſtriâ nentium protractum prolongatur: ſic humanitas ab hora conceptionis usque ad tempus nativitatis in utero matris creſcendo protrahitur, & à tempore nativitatis per ætatum & annorum incrementa extenditur. *Filum ſtupæ ſtaminis putamine abrumpitur*, cùm humanitas Chriſti de Virgine concepta & generata, & annorum incrementis pro-
B. tracta per Paſſionem mortis à vita ſuccidi-
tur, ſicut Ezechias in cantico ſuo loqui- Iſa.
tur: *Præciſa eſt velut à texente vita mea. Cùm* XXXVIII
odorem ignis acceperit, cùm S. Spiritûs odor, 12.
quem *ignis* exprimit, humanitatis Chriſti ſacrificium per remiſſionem omnium peccatorum, perque ſalvationem cunctorum electorum in cruce abſorbuerit. Proinde *non eſt cognitum*, quia ſpiritalibus nequiciis à ſæculis eſt abſconditum. *In quo ſit ejus fortitudo*, quâ mortis expugnanda
ſit magnitudo. *Si enim cognoviſſent, nun-* 1. Corinth
quam Dominum gloriæ crucifixiſſent. II. 8.

C. *Dixitq; ad eum Dalila: ecce il-* ℣. X.
luſiſti mihi, & falſum locutus es:
ſaltem nunc indica mihi, quo ligari
debeas.

Cui ille reſpondit: ſi ligatus fuero ℣. XI.
novis funibus, qui nunquam fuerunt in opere, infirmus ero, & aliorum hominum ſimilis.

Quibus rurſum Dalila vinxit ℣. XII.
eum, & clamavit: Philiſthiim ſu-
D. *per te Samſon, in cubiculo inſidiis præparatis. Qui ita rupit vincula quaſi fila telarum.*

Dalila dicit ad eum, cùm Synagoga, vel humana natura alloquitur Dei Filium. *Ecce illuſiſti mihi*, ecce quaſi intus luſiſti mihi, in diverſis præfigurationibus legis naturalis edicens myſterium tuæ Redemptionis: *falſum locutus es*, dum aliud præfigurationibus oſtendis, aliud myſteriô Redemptionis intendis. Qui enim mentitur, aliud ore loquitur, aliud corde meditatur. *Saltem nunc indica*, quô fidelium tuorum compeſcas ſuſpiria. *Quo ligari debeas*,

Digitized by Google

A. *debeas*, ut redemptionis myſterium perficias.

Ille reſpondet, cùm Chriſtus ſuæ Redemptionis myſterium per legem ſcriptam expandit. *Si ligatus fuero novis funibus*, legis ſcriptæ diſtrictis inſtitutionibus. *Qui nunquam fuerunt in opere*, quia decreta legis ſcriptæ inaudita fuerunt priori ſæculi tempore. *Infirmus ero*, quia in ſimilitudine carnis peccati apparebo. *Et aliorum hominum ſimilis*, cùm ſim paùper & humilis, mortalis & paſſibilis.

Quibus rurſum Dalila eum vincit, quia vel Synagoga, vel humana natura diverſis ſcriptæ legis præfigurationibus Filium
B. DEI aſtringit. *Clamat*, cùm de profundo cordis ad Deum exclamat. *Philiſtiim ſuper te Samſon*, cujus literæ expoſitio patet à ſuperiori loco. *In cubiculo inſidiis præparatis*, in veteri teſtamento diverſis præfigurationibus Redemptionis myſteriò præordinatis. Quæ nimirum præfigurationes rectè *inſidiis* comparantur, quia ſicut inſidiæ in occulto diſponuntur, ita præfigurationes illæ legales venturæ Redemptionis latenter opponuntur. De
Cant. I. 3. quo *cubiculo* ſponſa in Canticis loquitur:
C. *Introduxit me Rex in cubiculum ſuum.* De quo
III. Reg. XX. 30. cubiculo in libro Regum ſcribitur, cùm Benadab Rex Syriæ fugiens Jeruſalem civitatem ingreditur, *& in cubiculo, quod erat inter cubiculum, abſconditur.* Benadab enim fugiens civitatem ingreditur, cùm plenitudo gentium jam jamque appropinquantem diem judicii pertimeſcens Eccleſiæ ſocietati feſtinanter jungitur. *In cubiculum, quod eſt intra cuciculum fugit*, dum novum teſtamentum intra vetus teſtamentum requirit. Samſon *quaſi fila telarum vincula rumpit*, dum Chriſtus præfigurationes ſcriptæ legis myſteriô ſuæ Redemptionis diſrumpit. Quæ rectè *filis telarum* comparantur, quæ artificio texentium ſubtili ordine digeruntur: quia myſteria Redemptionis in præfigurationibus ſcriptæ legis artificio S. Spiritûs ſubtiliter & mirabiliter intexuntur.

℣. XIII. *Dixitque Dalila rurſum ad eum: uſquequo decipis me, & falſum loqueris? Oſtende, quo vinciri debeas. Cui reſpondit Samſon: ſi ſeptem crines capitis mei cum licio plexueris, & clavum bis circumligatum terræ fixeris, infirmus ero.*

Quod cùm feciſſet Dalila, dixit ℣. XIV.
ad eum: Philiſtiim ſuper te Samſon. Qui conſurgens de ſomno extraxit clavum cum crinibus & licio.

Dalila rurſus dicit ad eum, cùm Synagoga vel humana natura poſt ſcriptæ legis teſtimonium alloquitur DEI Filium. *Uſquequò me decipies*, qui tuæ Redemptionis gratiam mihi ſpecialiter non exhibes: Usquequô *falſum loqueris*, qui tuam Redemptionem in ænigmate, non autem in ipſa rei veritate mihi polliceris? *Oſtende quo vinciri debeas*, quò ad mundi Redemptionem attrahi debeas. *Samſon reſpondet*, cùm Filius DEI ſuæ Redemptionis myſteria in Prophetia expandit. *Si*, inquit, *ſeptem crines capitis mei cum licio plexueris, & clavum bis circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. Septem crines capitis Samſon liciô plectuntur*, cùm ſeptiformis gratia Sancti Spiritûs, per quam totius redemptionis myſterium in Chriſto peragitur, Prophetiæ ſcriptis ſubtiliter annectitur. Qui videlicet ſeptem crines *capitis Samſon* eſſe deſcribun-
tur, quia *caput Chriſti DEUM* eſſe Apo- I. Corinth. XI. 3.
ſtolus proteſtatur. *Clavus bis circumligatus terræ figitur*, dum eruditio Prophetiæ ſeptiformem Sancti Spiritûs gratiam in Chriſto plenariè inhabitantem complectens, ejus humanitatis redemptioni
infigitur, quæ per *terram* exprimitur, ſi- Exod. XX. 24.
cut ipſe DEus in lege loquitur: *Altare de terra facietis mihi.* Quòd autem per
clavum doctrinæ eruditio exprimatur, Eccle. XII. 11.
Salamon proteſtatur: *Verba*, inquit, *ſapientium quaſi ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi.* Vel *clavus crinibus capitis cum licio*
D. *plexis circumligatus terræ figitur*, cùm ipſum redemptionis myſterium, quod per clavum exprimitur, terræ viventium infigitur, dum eô vel latroni paradiſus aperitur, vel Sanctæ Eccleſiæ tabernaculum & in præſenti & in futuro æternâ ſoliditate communitur. *Septem crines capitis cum licio plectuntur*, cùm ſeptiformem Sancti Spiritûs gratiam in Chriſto habi-
tantem, Iſaias Propheta ſuæ Prophetiæ Iſa. XI. 1. 2.
deſcriptione complectitur. *Egreditur*, inquit, *virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spi-*

ritus Domini, Spiritûs ſapientiæ & intellectûs, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritu timoris A.

Ibid. IV. 1. *Domini.* Et item: *Apprehendent ſeptem mulieres virum unum in die illa dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum. Dicit ergo Samſon Dalilæ*, dicit Filius Dei Synagogæ vel humanæ naturæ: *Si ſeptem crines capitis mei cum licio plexueris, & clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero:* quia in Prophetia humanitatis meæ infirmitatem demonſtrabo. De qua infirmitate B.

Ibid. LIII. 2. 3. 4. 5. dicit Iſaias Propheta: *Non eſt ei ſpecies neque decor: & vidimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus. Unde nec reputavimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Et nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum; & livore ejus ſanati ſumus.*

C. *Dalila facit*, quæ Samſon oſtendit, quia Synagoga præfigurationes Propheticas myſterio redemptionis obtendit. Proinde *dicit ad eum*, quia Synagoga vel humana natura exclamat ad DEI Filium. *Philiſtiim ſuper te Samſon*, quod in præcedenti litera eſt expoſitum. Samſon *de ſomno conſurgit*, cùm Chriſtus à morte reſurgit. Unde dicit Pſalmiſta in ejus perſona:

Pſal. III. 6. *Ego dormivi & ſoporatus ſum, & exſurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.* Samſon *clavum cum crinibus & licio extrahit*, cùm Chriſtus myſterium redemptionis ſuæ cum ſeptiformi Sancti Spiritûs gratia & D. Prophetiæ declaratione ſua Reſurrectione mundo producit, cùm ad cœlos aſcendens, Sanctum Spiritum diſcipulis ſuis mittit, qui omnia Prophetiæ arcana expandit. Sequitur:

℣. XV. *Dixitque ad eum Dalila: quomodo dicis, quòd amas me, cùm animus tuus non ſit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, & noluiſti dicere, in quo ſit maxima fortitudo tua.*

℣. XVI. *Cumque moleſta eſſet ei, & per multos dies jugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, & ad mortẽ uſque laſſata eſt.*

℣. XVII. *Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum, qui Nazaræus, id eſt: conſecratus DEO ſum de utero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eróque ſicut cæteri homines.*

Dalila ad Samſon dicit, cùm Synagoga vel humana natura Filio Dei exſpectationis vehementiâ inſiſtit. *Quomodo dicis, quòd ames me?* Quomodo in lege & Prophetis atteſtaris, quòd amori meo innectaris? *Cùm animus tuus non ſit mecum*, cùm Redemptionis tuæ mihi nolis ferre præſidium. *Per tres vices mihi es mentitus*, quia in præfigurationibus legis naturalis, ſcriptæ legis & Prophetiæ falſa promiſſione mihi es blanditus. *Noluiſti dicere*; quia cùm tu ſis Verbum Dei Patris, verbum redemptionis mundo non vis edicere. *In quo ſit tua maxima fortitudo*, quô Crucis tuæ myſteriô pereat mortis amaritudo.

Dalila Samſon *eſt moleſta*, quia Synagoga vel humana natura Filio Dei precum ſuarum inſtantia nimis eſt infeſta. *Per multos dies jugiter adhæret*, cùm ante legem, ſub lege, ſub Prophetis continuis ſuſpiriis & gemitibus inhæret. *Spatium ad quietem non tribuit*, cùm die noctuque redemptionis præſidium expetit. Proinde *anima ejus deficit*, quia Filius Dei amoris ſui nimietate contabeſcit. *Uſque ad mortem laſſatur*, dum pro humani generis redemptione uſque ad mortem Crucis fatigatur.

Tunc veritatem rei aperit, cùm ſe ipſum, qui eſt veritas, per aſſumptionem carnis humanis conſpectibus ingerit. *Ad eam dicit*, cùm ſuæ Paſſionis myſterium ingerit. *Ferrum ſuper caput meum nunquam aſcendit*, quia peccati macula me hominem Deum nunquam attigit. *Quia Nazaræus, id eſt, conſecratus ſum DEO*, conceptus de Spiritu Sancto. *De utero Matris meæ*, quia natus de Virgine matre, quaſi liber inter mortuos innocentiæ meæ reſplendeo decore. *Si raſum fuerit caput meum*, ſi per aſſumptæ humanitatis habitum denudatum fuerit divinitatis meæ myſterium. *Recedet à me fortitudo mea*, cùm ego indeficiens vita in humanitate aſſumpta ſolvam mor-

Digitized by Google

mortis debita. *Deficiam*, cùm per mor-A. tem crucis pro ovibus meis ponam animam meam. *Ero ùt cæteri homines*, qui ſunt mortales & paſſibiles.

℣.XVIII. *Videnſq; illa, quòd confeſſus ei eſſet omnem animum ſuum, miſit ad Principes Philiſthinorum ac mandavit: aſcendite adhuc ſemel, quia nunc mihi aperuit cor ſuum. Qui aſcenderunt, aſſumpta pecunia, quam promiſerant.*

℣. XIX. *At illa dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput. Vocavitq; tonſorem, & raſit ſeptem crines ejus, & cœpit abigere eum & à ſe repellere: ſtatim enim ab* B. *eo fortitudo receſſit.*

℣.XX. *Dixitq;: Philiſthiim ſuper te Samſon. Qui de ſomno conſurgens, dixit in animo ſuo: Egrediar, ſicut ante feci, & me excutiam, neſciens, quòd receſſiſſet ab eo Dominus.*

Videt Dalila, cùm in ſimilitudine carnis peccati Filium Dei conſpicit Synagoga. *Quòd omnem animum ſuum ei ſit confeſſus*, quòd in redemptionem gentium ſe veniſſe ſit profeſſus. Proinde *ad Principes Philiſthinorum mittit*, dum concilium Pontificum & Phariſæorum cogit. *Mandat*, C. dum per Judam ſacrilegum Chriſti traditorem ordinat. *Adhuc*, inquit, *ſemel aſcendite*, in mundi veſpera Chriſtum crucifigite. Quòd enim per *ſemel* Paſſio Chriſti deſignetur, ſuperiori expoſitione docetur, ubi Gedeon *ſemel adhuc* in vellere ſignum dari ſibi precatur. *Quia nunc mihi cor ſuum aperuit*, quòd Evangelii ſui inſtitutione omnem legis noſtræ cultum ſubvertere velit. *Principes aſcendunt*, cùm D. Pontifices & Phariſæi concilium colligunt. *Aſſumptâ pecuniâ, quam promiſerant*, triginta argenteis, quibus traditorem remunerant. *Aſſumptâ pecuniâ, quam promiſerant*, quia Synagogæ perfidiam pretiô hæreeos remunerant.

DalilaSamſon *ſuper genua ſua dormire facit*, cùm humana natura Filio Dei habitum humanitatis in Beata Virgine MARIA tribuit, in cujus utero ipſe ùti ſponſus in thalamo ſuo requieſcit. Quia enim in genibus ſuperiora corporis inferioribus continuantur, rectè per genua B. V. MARIA deſignatur, in qua cœleſtibus terreſtria ſociantur, dum in ejus utero divinitas & humanitas Redemptoris copulantur. *Facit eum in ſinu ſuo caput reclinare*, dum in forma humanitatis ſpeciem ſuæ divinitatis facit eum humiliando ſe occultare. *Dalila tonſorem vocat*, dum humana natura judicium mortis Chriſto intentat. Quod enim per *tonſorem* judicium mortis exprimatur, Amos Propheta (Amos. VII. 1.) proteſtatur: *Hæc oſtendit mihi Dominus Deus. Et ecce fictor locuſtæ in principio germinantium ſerotini imbris, & ecce ſerotinus poſt tonſorem gregis. Hæc mihi Dominus Deus oſtendit*, dum redemptionis myſterium oculis mei cordis expandit. *Et ecce fictor locuſtæ*, Creator incarnatæ ſapientiæ, quæ de ſe loquitur voce Pſalmiſtæ: (Pſal. CVIII. 23) *Sicut umbra cùm declinat, ablatus ſum, & excuſſus ſum ſicut locuſta.* Locuſta enim matutina luce ſaltus conſuevit dare, quæ Chriſti Reſurrectionem exprimit, qui diluculò de ſepulchro reſurgit. *Principium germinantium* eſt illud exordium primorum humani generis parentum. In quo nimirum principio locuſta deſcribitur, dum in creatione hominis Sancta Trinitas loquitur: (Gen. I. 26.) *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Per *ſerotinum imbrem* ſacrificium illud veſpertinum exprimitur, de quo ipſe Redemptor per Pſalmiſtam loquitur: (Pſal. CXL. 2.) *Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Quod nimirum ſacrificium veſpertinum ſerotino imbri rectè comparatur, quia effuſione ſanguinis Chriſti humani generis ſiccitas irrigata fœcundatur. *Serotinus poſt tonſorem gregis fieri* deſcribitur, quia Paſſio Chriſti judicium mortis ſequitur, quæ per *tonſorem gregis* exprimitur. Sicut enim grex, dum tondetur veſtitu ſuo, ſpoliatur: ſic genus humanum per judicium mortis amictu immortalitatis denudatur. Dalila ergo *per tonſorem ſeptem crines Samſon radit*, dum per judicium mortis decorem illū quodammodo obducit, qui in Chriſti humanitate ex ſeptiformi Sancti Spiritus gratia refulſit. *Incipit eum abjicere, & à ſe repellere*, de cruce eum deponendo, & in ſepulchro reponendo. Qui enim moritur, ab humanæ cohabitationis ſocietate repellitur. *Statim enim ab eo fortitudo diſceſſit*, cum humanitate moriente divinitas illæſa permanſit.

Stai

Statim ab eo fortitudo diſceſſit, cùm anima Chriſti à corpore receſſit. Dalila *dicit*, cùm humana natura Chriſto judicium mortis indicit. *Philiſthiim ſuper te Samſon*, quod in præcedenti litera eſt expoſitum. Samſon *de ſomno conſurgit*, cùm Chriſtus oratione trina deſudans in agonia diſcipulos ſuos de ſomni torpore expergefacit. *In animo ſuo dicit*, cùm Deo Patri in oratione trina dicit :
Lucæ. XXII. 42. *Pater ſi fieri poteſt, transfer à me calicem iſtum. Egrediar ſicut ante feci*, cùm in ſupercilio mortis per medium eorum tranſivi, cùm in templo de lapidantium manibus exivi. *Me excutiam*, cùm ſolo verbo B. Jeſum Nazarænum me dicendo, in terram eos projiciam. Samſon *neſcit, quòd Dominus ab eo receſſiſſet*, quia humana natura, à Dei Filio aſſumpta, in illo veteri Adam non intelligit, quòd eam poſt guſtum vetiti ligni divinitatis protectio reliquerit. Sequitur:

℣. XXI. *Quem cùm apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.*

℣. XXII. *Iamque capilli ejus renaſci cœperant.* C.

℣. XXIII. *Et Principes Philiſthinorum convenerunt in unum, ut immolarent hoſtias magnificas Dagon Deo ſuo, & epularentur dicentes : Tradidit Deus noſter inimicum noſtrum Samſon in manus noſtras.*

℣. XXIV *Quod etiam populus videns, laudabat Deum ſuum, eademq; dicebat: Tradidit Deus noſter adverſarium noſtrum in manus noſtras, qui delevit terram noſtram, & occidit plurimos.* D.

Philiſthiim Samſon apprehendunt, cùm vel maligni hoſtes, vel Judæi, vel cohors & Tribunus venientes à gentibus, Chriſti Paſſioni malitiæ ſuæ conatus impendunt, quâ eum in horto Gethſemani capiunt. *Statim oculos ejus eruunt*, cùm ipsô captô & vinctô, diſcipulos ejus omnes in fugam convertunt. Philiſthiim *oculos ejus eruunt*, cùm maligni hoſtes primos illos humani generis parentes in paradiſo pec-A.cati delectatione æternæ lucis claritate deſtituunt. *Philiſthiim ejus oculos eruunt*, cùm maligni hoſtes in Chriſti Paſſione vel Petrum negatione, vel Judam traditione ſubvertunt. *Ducunt eum Gazam vinctum catenis*, cùm ad fortitudinem Paſſionis trahunt eum vinculis humanæ prævaricationis. Unde ipſe per Pſalmiſtam loquitur: *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Pſal CXVIII. 61. *Claudunt eum in carcere*, dum eum undique vallant Paſſionis aggere, ſputis faciem ejus liniendo, colaphis eum cædendo, ſpinis eum coronando, chlamyde coccinea eum ſubſannando, flagellis dorſum ejus diſſecando. De hoc carcere in libro Regum ſcribitur, cùm Rex Iſraël Achab ſuis fidelibus loquitur: III. Reg. XXII. 26. & 27. *Tollite Michæam, & mittite eum in carcerem, & ſuſtentate eum pane tribulationis, & aquâ anguſtiæ, donec ego revertar in pace.* *Philiſthiim* Samſon *molere faciunt*, cùm Judæi Chriſtum Dominum molam crucis ſuis humeris ferre compellunt. Sicut enim granum molâ conteritur, unde farina egreditur: ita granum frumenti molâ crucis conteritur, unde farinâ redemptionis conſpergitur.

Capilli ejus renaſci jam incipiunt, cùm omnes electi, qui ipſi ſunt decori ùti capilli capiti, ſalutari, qui de ejus latere profluxit, cruore ad æternæ vitæ beatitudinem reviviſcunt.

Principes Philiſthinorum in unum convenerunt, cùm vel maligni hoſtes, vel Sacerdotum principes pari impietate Chriſto in cruce ſuſpenſo ſubſannantes ajunt: Matth. XXVII. 42. *Alios ſalvos fecit, ſe ipſum non poteſt ſalvum facere. Chriſtus Rex Iſraël deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Talia cùm inſaniendo oblatrant, *hoſtias magnificas Dagon Deo ſuo immolant*, quia Filium Dei blaſphemare, eſt illum auctorem totius mali collaudare. *Dagon* enim *piſcis triſtitiæ* interpretatur, quô ille figuratur, qui æternæ mortis triſtitiam per peccatum operatur. Principes Philiſthinorum *epulantur*, cùm Scribæ & Phariſæi in illo lethali paſcha ſuo, Chriſti ſanguine contaminato, cibis & potibus ingurgitantur. *Tradidit* inquiunt, *Deus noſter inimicum noſtrum Samſon in manus noſtras*, quia Deus Abraham magnum illum ſeductorem, legis Moyſaicæ deſtructorem, Jeſum Nazarenum ſubjecit pedibus noſtris.

Quod

Digitized by Google

Pſal. LXVII. 31. Pſal. XVIII. 3. *Quod etiam populus videns, laudat* Deum *ſuum*, quia *congregatio taurorum in vaccis eſt populorum.* Populus *eadem dicis*, quia *nox nocti ſcientiam indicat.* Deus *noſter adverſarium in manus noſtras tradidit*, qui ſe Legiſlatori Moyſi conferre ſuperba præſumptione non timuit. *Qui terram noſtram delevit*, cùm totam legis ſanctimoniam ſuis novitatibus abolevit. *Qui plurimos occidit*, quos ſuæ prædicationis falſitate peremit.

℣. XXV. *Lætantesq́ per convivia, ſumptis jam epulis, præceperunt, ut vocaretur Samſon, & ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntq́ eum ſtare inter duas columnas.*

℣. XXVI. *Qui dixit puero regenti greſſus ſuos: dimitte me, ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & recliner ſuper eas, & paululum requieſcam.*

℣. XXVII. *Domus autem erat plena virorum ac mulierum, & erant ibi omnes Principes Philiſthinorum, ac de tecto & ſolario circiter tria millia utriusque ſexus ſpectantes ludentem Samſon.*

Per convivia lætantur, dum ſibi invicem principes ac populus Synagogæ de morte Redemptoris congratulantur. *Sumunt epulas*, felle draconum & veneno aſpidum mortiferas. *Præcipiunt, ut Samſon veniat, & ante eos ludat*, dum vel ante Paſſionem, vel in Paſſione per Herodem efflagitant, ut ſua eis Chriſtus ſigna faciat. *Qui de carcere adducitur*, cùm vel de domo Caiphæ Sacerdotis, vel de prætorio D. Pilati Præſidis, ubi utrobique vel à Judæis, vel à militibus deluditur, ad Paſſionem Crucis ante portam civitatis deducitur. *Ante eos ludit*, dum vel ante Paſſionem ſigna eis innumera oſtendit, vel in Paſſione cœlum & terram concutit, ſolem tenebris induit, ſaxa diſrumpit. *Inter duas columnas eum ſtatuunt*; dum duobus lignis ſanctæ Crucis veſtimentis ſuis exutum, vinctum & flagellatum exponunt.

Dicit Samſon *puero greſſus ſuos regenti*, dicit Chriſtus Spiritui Sancto omne redemptionis ſuæ myſterium diſponenti. A. *Dimitte me*, divinitatem & humanitatem meam beneficio Paſſionis meæ gentibus innoteſce. *Ut columnas tangam*, ut ligna illa Sanctæ Crucis contingam. *Quibus omnis domus imminet*; quia cœlum terramque ſua virtute Crux Chriſti continet. *Ut ſuper eas recliner*, ne mundi perditione flendo & laborando diutiùs contriſter. *Ut ſuper eas paululum requieſcã*, ut totius humani generis ſalvatione dolori meo per eas ſatisfaciam.

Domus plena eſt virorum ac mulierum, quia Synagoga eſt plena Doctorum & infideli- B. um ſubditorum. *Sunt ibi omnes Principes Philiſthinorum*, quia in Chriſti Paſſione conſpirant omnes Principes Sacerdotum. *De tecto & ſolario ſunt circiter tria millia*, quia vel in doctrina, vel in legis juſtitia ſunt tripartita eorum agmina, Sacerdotum, Scribarum & Phariſæorum examina. Qui *utriusque ſexûs* eſſe referuntur: quia vel animoſitate virili, vel levitate muliebri circumferuntur. *Qui ludentem Samſon expectant*, quia vel ante Paſſionem ſigna facientem, vel in Paſſione cœlum & terram concutientem, Chriſtum Dominum C. quaſi David alterum ipſi quaſi Michol ſuperba deſpiciendo ſuggillant. Sequitur:

℣. XXVIII. *At ille invocato Dòmino ait: Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc priſtinam fortitudinem Deus meus, ut ulciſcar me de hoſtibus meis, & pro amiſſione duorum luminum unam ultionem recipiam.*

℣. XXIX. *Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramq́ earum dextera, & alteram læva tenens, ait:*

℣. XXX. *Moriatur anima mea cum Philiſthiim. Concuſſisq́ fortiter columnis; cecidit domus ſuper omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat: multosq́ plures interfecit moriens, quàm ante vivus occiderat.*

℣. XXXI. *Deſcendentes autem fratres ejus & univerſa cognatio tulerunt corpus ejus, & ſepelierunt inter Saraa & Eſthaol in ſepulchro patris ſui Manue: judicavitq́ Iſraël viginti annis.*

Samſon *Dominum invocat*, cùm A. Chriſtus pro totius mundi ſalute ſe Paſſioni crucis & mortis dedicat. *Ait*, cùm pro humano genere mortis debitum ſolvit. *Domine DEus memento mei*, qui propter me primum hominem de limo terræ formâſti. *Redde nunc mihi priſtinam fortitudinem*, reddens per mortem meam electis meis libertatem perditam. *Ut ulciſcar me de hoſtibus meis*, cùm pro extinctione duorum populorum Judæorum & gentium unam electorum meorum ſalvationem à te Deo Patre accipiam.

Samſon ambas columnas apprehendit, cùm B. Chriſtus ſuas in Cruce manus extendit. *Quibus domus innititur*, quia Sancta Eccleſia ſolatio crucis innititur. *Alteram earum dexterâ, alteram levâ tenet*, cùm triſtitiam Paſſionis ſuæ & mortis, quam *leva* innuit, lætitiâ ſuæ Reſurrectionis comutat, quam *dextera* exprimit. *Ait*, cùm voce magna clamans ſpiritum emittit.

Moriatur anima mea cum Philiſtiim, quia in ea cruce, ubi ipſe auctor vitæ moritur, auctor quoque mortis configitur. *Columnæ fortiter concutiuntur*, cùm per virtutem Crucis in Paſſione Redemptoris cœlum & terra tremore conquatiuntur. *Cadit* C. *domus ſuper omnes Principes & omnem multitudinem, quæ ibi erat*, cùm Synagoga in Chriſti Paſſione corruit, & tam Principes quàm reliquum populum æternæ mortis caſu obruit. *Samſon multò plures moriens interficit*, quia Chriſtus morte ſuâ hoſtes malignos, Judæos, hæreticos, Paganos omnes ſuâ morte proſternit. *Quàm ante vivus occiderat*, quos Evangelii ſui prædicatione mortis auctori ſubduxerat.

Fratres ejus deſcendunt, cùm Sancti Prophetæ & Apoſtoli conditores utriusque teſtamenti in typo Joſeph & Nicodemi Paſſioni Chriſti debitæ compaſſionis & D. venerationis affectu condeſcendunt. *Univerſa cognatio* eſt illa fidelium multitudo, de qua ipſe Chriſtus loquitur in Evangelio : Matth. XII. 50. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, ſoror & mater eſt.* Fratres & univerſa cognatio *ejus corpus tollunt*, dum Sancti Prophetæ & Apoſtoli & omnes electi imitationem Paſſionis ejus & mortis attollunt. *Inter Saraa & Eſthaol eum ſepeliunt*, dum in veteris & novi teſtamenti memoria eum reponunt. *In ſepulchro patris ſui Manue*, in Sanctorum Patriarcharum fide & dilectione. *Viginti annis Iſraël judicat*, quia Chriſtus ſuos electos, vel duorum teſtamentorum cognitione, vel gemina dilectione, vel activæ & contemplativæ vitæ perfectione gubernat. Sequitur :

Cap. XVII.

FUit eo tempore vir quidam de ℣. I.
monte Ephraim nomine Michas.

Qui dixit matri ſuæ : mille & ℣. II.
centum argenteos, quos ſeparaveras
tibi, & ſuper quibus me audiente ju-
raveras, ecce ego habeo, & apud me
ſunt. Cui illa reſpondit : benedi-
ctus filius meus Domino.

Reddidit ergo eos matri ſuæ, quæ ℣. III.
dixerat ei : conſecravi & vovi hoc
argentum Domino, ut de manu mea
ſuſcipiat filius meus, & faciat ſculp-
tile atque conflatile : & nunc trado
illud tibi.

Reddidit igitur eos matri ſuæ : ℣. IV.
quæ tulit ducentos argenteos, & de-
dit eos argentario, ut faceret ex eis
ſculptile atque conflatile, quod fuit
in domo Michæ.

Qui ædiculam quoque in ea Deo ℣. V.
ſeparavit, & fecit ephod, & thera-
phim, id eſt : veſtem ſacerdotalem,
& idola : implevítque unius filiorum
ſuorum manum, & factus eſt ei Sa-
cerdos.

In diebus illis non erat rex in Iſ- ℣. VI.
raël, ſed unusquisque, quod ſibi re-
ctum videbatur, hoc faciebat.

Vir quidam nomine Michas vocatur, per quem hæreticorum ordo figuratur. *Michas* enim *qui hic*, vel *quis iſte* interpretatur : quâ interpretatione hoc denotatur, quod hæreticorum ordo à divinæ cognitionis gratia alienatur. Qui enim ignorat, ignorabitur. Qui *de monte Ephraim* eſſe ſcribitur, qui *frugifer*, vel *creſcens* dicitur, quia de illa ſuperbia hæreticorum præſumptio generatur, qua de abundantia virtutis & eruditionis falsò gloriantur.

Michas matri ſuæ dicit, cùm perverſitas hære-

Digitized by Google

hæreticorum matri ſuæ, carnalitati, ſuis figmentis alludit. *Mille*, inquit, *centum argenteos, quos tibi ſeparaveras*, ſuperabundantiam ſcilicet hæreſcos, quam de millenaria veræ ſcientiæ perfectione, carnalis intelligentiæ præſumptione, tu tibi detraxeras. *Et ſuper quibus me audiente juraveras*, cùm ſcilicet me per vanam gloriam auditum tibi accommodante, ſingulari ſcientiâ te Deo complacere putaveras. *Ecce ego habeo*, qui carnali intelligentiæ ſervio, *& apud me ſunt*, quæ Spiritui vivificanti obſiſtunt. *Cui illa reſpondet*, dum carnalitas hæreticorum perverſitati favet. *Benedictus filius meus Domino.* Hinc Propheta dicit, dum hæreticorum benedictiones à Deo improbari oſtendit: *Maledicam benedictionibus veſtris, benedicam maledictionibus veſtris.* Malach. II, 2.

Reddit eos ſuæ matri, quia perverſitas hæreticorum in ignorantia Dei ſuperfluitatem ſapientiæ ſuggerit matri ſuæ carnalitati. *Quæ ei dixerat*, dum eum ſpiritu ſuperbiæ & vanæ gloriæ inflaverat. *Conſecravi* in ignorantia Dei, *& vovi* in ignorantia mei *hoc argentum* reprobum creatori *DEO* pro illo Prophetæ Iſaiæ teſtimonio: *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: vinum tuum mixtum eſt aquâ.* (Iſaïa. I. 22.) *Ut de manu mea filius meus ſuſcipiat*, ut qui ſe mihi filium fecit per ſuperbiam & vanam gloriam, à me carnalem excipiat intelligentiam. *Et faciat ſculptile* adinventionum carnalium, *atque conflatile* ſermonum inanium. *Et nunc illud tibi trado*, quia ego nox nocti ſcientiam indico.

Reddidit ergo matri ſuæ, carnalitati in ignorantia ſui, argentum reprobum intellectus perverſi. *Quæ * tollit ducentos argenteos*, ſcientiam veteris ac novi teſtamenti. *Dat eos argentario*, magiſtro carnalis prudentiæ ſpiritui contrario. *Ut faciat ex eis ſculptile* adinventionum carnalium, *atque conflatile* diſputationum inanium. *Quod eſt in domo Michæ*, quæ eſt collectio ſocietatis hæreticæ.

* Cod. qui

Qui ædiculam quoque in ea Deo ſeparat, dum ab unitate Catholica diſcordat, quaſi pro eo, quòd Eccleſia non rectè de DEO ſentiat. *Facit Ephod ac Theraphim, id eſt, veſtem ſacerdotalem*, quia veſtis ſacerdotalis eſt ſcientia prædicationis. Quam ſibi Michas facit, dum ordo hæreticorum ſuarum adinventionum doctrinâ ſe præcingit. Facit *idola*, quæ ſunt falſitatis figmenta, & avaritiæ argumenta, quam idolatriæ adſcribit Apoſtolica ſententia. *Implet manum unius filiorum ſuorum*, dum ſpiritu ſuperbiæ & vanæ gloriæ collectionem inflat uniformem ſuorum ſectatorum. Proinde *fit ei Sacerdos*, non ſacrum, ſed ſacrilegum dans ei ducatum hæreſeos.

In diebus illis Rex in Iſraël non eſſe ſcribitur, quia in diebus hæreticorum regnum Catholicorum periclitatur, quod per Regem Iſraël denotatur. *Unusquisque quod ſibi rectum videtur, hoc facit*: quia hæreticorum perverſitas ſtatum & ordinem Eccleſiæ ſua perturbatione valde confundit. Sequitur:

Fuit quoque alter adoleſcens de ℣. VII.
Bethlebem Juda, ex cognatione ejus:
eratque ipſe Levites, & habitabat ibi.
Egreſſúsque de civitate Bethle- ℣. VIII.
bem, peregrinari voluit, ubicumque
ſibi commodum reperiſſet. Cumque
veniſſet in montem Ephraim, iter
faciens, & declinâſſet parumper in
domum Michæ,
Interrogatus eſt ab eo, unde ve- ℣. IX.
niſſet. Qui reſpondit: Levita ſum
de Bethlebem Juda, & vado, ut ha-
bitem ubi potuero, & utile mihi eſſe
perſpexero.
Dixitque Michas: mane apud me, ℣. X.
& eſto mihi parens ac Sacerdos: da-
bóque tibi per annos ſingulos decem
argenteos, ac veſtem duplicem, &
quæ ad victum ſunt neceſſaria.
Acquievit, & manſit apud homi- ℣. XI.
nem, fuitque illi quaſi unus de filiis.
Implevitque Michas manũ ejus, & ℣. XII.
habuit puerum Sacerdotem apud ſe.
Nunc ſcio, dicens, quòd benefa- ℣. XIII.
ciet mihi DEus habenti Levitici ge-
neris Sacerdotem.

Alter adoleſcens eſt ordo hæreticorum; rectè quidem Sanctæ Scripturæ intelligentiâ floreſcens, ſed ſimoniâ vel ſchiſmate à ſocietate Catholicæ Eccleſiæ deſipiſcens. Qui *de Bethlebem Juda & ejus cognatione* eſſe ſcribitur: quia Eccleſiæ Catholicæ recta fide ſanoque intellectu Scripturæ jungitur. Qui *Levites* exſtat, quod *aſſumptus* ſonat: quia quaſi aſſumptum ſe à

DEO demonſtrat, quod fidei Catholicæ concordat. Per hoc quaſi *ibi habitat*, quod à ſano intellectu Scripturæ non diſcordat.

Sed *de civitate Bethlehem egreditur*, cùm vel ſimonia vel ſchiſmate ab unitate Catholica disjungitur. *Vult peregrinari*, in fervore tentationis, *ubicunque ſibi commodum repererit*, pro voluptate mundi vel carnis. *In montem Ephraim venit, iter faciens*, quia in præſumptionem ſuperbiæ vel vanæ gloriæ pervenit, inſtabilitati ſe ſubjiciens. *Parumper in domum Micha declinat*, dum hæreticorum contagione ſe paulatim contaminat.

Interogatur ab eo, unde veniat, quia ſanguis ſanguinem tangit, dum error errori ſe jungit. *Adoleſcens reſpondet*, dum ſimoniæ vel ſchiſmati deditus, ordini hæreticorum ſe jungit. *Levita ſum de Bethlehem Juda*, quia fide recta ſanáque Scripturæ intelligentia ſum de ſocietate Catholica, ſed *vado* in ſimoniæ vel ſchismatis devio, ut *habitem, ubi potuero, & utile mihi proſpexero*, quia in Eccleſiæ Catholicæ gremio nihil mihi honoris temporalis, vel commodi carnalis eſſe video.

Micha dicit, cùm ordo hæreticorum per ſimoniam & ſchiſma ſtultum ad ſe attrahit, cujus inſipientiam adoleſcentiæ nota exprimit. *Mane apud me*, qui in catholica ſocietate nihil honoris vel comodi poteſt habere. *Eſto mihi parens ac Sacerdos*, in fide perverſa, & in Scripturæ intelligentia reproba. *Dabo tibi per ſingulos annos*, per veræ fidei ſanæque intelligentiæ errores diviſos, *decem argenteos*, interiores & exteriores ſenſus reprobos: *Ac veſtem duplicem*, ignorantiam Dei & tui biformem. *Et quæ ad victum ſunt neceſſaria*, quæque veræ fidei rectæque ſcientiæ ſunt contraria.

Prov. VII. 7. & ſeq. Adoleſcens *acquieſcit*, cùm juxta Salomonem *vecordem juvenem* ſub ſpecie *mulieris* hæreſis *decipit*. *Manet apud hominem*, dum ſtultus ſequitur carnalitatis errorem. *Fit illi quaſi unus de filiis*, qui Eccleſiæ Matris ſe ſubtrahit alimoniis.

Micha manum ejus implet, cùm ordo hæreticorum totum eum poſſidet, qui Catholicæ Eccleſiæ unitatem non tenet. *Habet apud ſe puerum Sacerdotem*, per levitatem puerilem non ſacrum, ſed ſacrilegum ducatum præſtantem.

Nunc ſcio, Michas dicit, quòd benè faciat mihi DEus, habenti Levitici generis Sacerdotem: quia ordo hæreticorum magno gaudio ſe attollit, cùm ſuo gregi rapuerit aliquem Catholicæ profeſſionis Sacerdotem. Sequitur:

Cap. XVIII.

IN diebus illis non erat Rex in Iſ- ℣. I.
raël, & tribus Dan quærebat poſ-
ſeſſionem ſibi, ut habitaret in ea: uſ-
que ad illum enim diem inter cæteras
tribus ſortem non acceperat.
Miſerunt ergo filii Dan ſtirpis & ℣. II.
familiæ ſuæ quinque viros fortiſſimos
de Saraa & Eſthaol, ut explorarent
terram, & diligenter inſpicerent:
dixerúntque eis: ite, & conſiderate
terram. Qui cùm pergentes veniſ-
ſent in montem Ephraim, & intrâſ-
ſent domum Michæ, requieverunt ibi.
Et agnoſcentes vocem adoleſcentis ℣. III.
Levitæ, utentésque illius diverſorio
dixerunt ad eum: quis te huc addu-
xit? quid hìc agis? quam ob cauſam
huc venire voluiſti?
Qui reſpondit eis: hæc & hæc præ- ℣. IV.
ſtitit mihi Michas, & me mercede
conduxit, ut ſim ei Sacerdos.

In diebus illis Rex Iſraël non eſſe ſcribitur, quia hæreticorum tempore regnum Eccleſiæ perturbatione confunditur. *Tribus Dan poſſeſſionem ſibi quærit, ut in ea habitet*: quia Synagoga mundi carniſque delectationem requirit, ut eam perſeveranter inhabitet, quæ Dei amore caret. *Dan* enim *judicium* dicitur, quo nomine Synagoga exprimitur, quæ per *judicium* Dominicæ Paſſionis ſuæ perfidiæ meritô à ſorte fidelium repellitur. *Uſque ad illum enim diem*, cùm plenitudo gentium introierit, & ſic omnis Iſraël ſalvus erit, *inter cæteras tribus ſortem non acceperat*, quia à ſorte fidelium Synagoga nunc exulat.

Mittunt filii Dan ſtirpis & familiæ ſuæ quinque viros fortiſſimos, legis Moſaicæ Doctores, ùt ipſi putant, eruditiſſimos. Mittunt eos *de Saraa & Eſthaol*, de cognitione legis & Prophetarum. *Ut terram explorent, & diligenter inſpiciant*, ut mundi carniſque voluptatem ſibi ſtudioſè provideant. *Dicunt eis*: cùm eruditionem intelligentiæ carnalis requirunt ab eis. *Ite* per carnalem intelligentiam, *& conſiderate terram*, veteris teſtamen-

ſtamenti ſcripturam. *Qui cùm pergunt*, cùm A. ſoli carnalitati intendunt. *In montem Ephraim veniunt*, dum in præſumptione veræ ſcientiæ rectæque vitæ ſe erigunt. *In domum Michæ intrant*, dum hæreticorum perverſitati ſe copulant. *Ibi requieſcunt*, dum in delectatione mundi vel carnis deſperata ſecuritate torpeſcunt.

Vocem adoleſcentis Levitæ agnoſcunt, dum avaritiæ vanæque gloriæ blandimenta recognoſcunt. *Utuntur illius diverſorio*, quò, quia Chriſtus locum habere nec voluit,
Luc. II. 7. nec potuit, natus de Virginis utero poſitus eſt in præſepio. In hoc enim diverſorio poſitum Moyſen vult DEus occidere, B. niſi Sephora præveniens petrâ feſtinet circumcidere. Moyſes enim in itinere eſt & in diverſorio, cùm quilibet prædicationis functus officiô, mundanæ voluptatis oblectatur refrigeriô. Pro quo DEus eum vult occidere, cùm prædicatorem pro mundi vel carnis voluptate condemnationi vult addicere. Sephora feſtinat, & præputium filii ſui acutiſſimâ petrâ circumcidendo reſecat, cùm fidelis Doctoris anima, quæ ad æterna gaudia feſtinat, carnis ſuæ voluptatem continentiæ diſtrictione mortificat. *Sephora* enim *pulchritudo*, ſive *placens* dicitur: quia illa anima C. pulchritudine DEO placita componitur, quæ carnis ſuæ voluptatem continentiæ diſtrictione inſequitur. Proinde pedes ejus tangit, cùm Chriſti humanitatem continua Paſſionis ſuæ imitatione apprehendit. *Sponſus*, inquit, *ſanguinum tu mihi es*: quia idcirco tu mihi vera dilectione uti ſponſus cohæres, quia me tui ſanguinis imitatione reſpergi vides. Sic Moyſes ob circumciſionem dimittitur, quia ſic quiſque fidelis prædicator per continentiæ diſtrictionem judiciô condemnationis abſolvitur. *Filii ergo Dan adoleſcentis Levitæ diverſoriô utuntur*, cùm Syna- D. gogæ filii avaritiæ vel terrenæ gloriæ voluptate perfruuntur. *Dicunt ad eum*, cùm ab ipſo eruditionis mortiferæ requirunt magiſterium. *Quis te huc adduxit? Quid hic agis? Quam ob cauſam huc venire voluiſti?* Iſta interrogatio tripartita tripartitæ illius perverſitatis eſt nota, quæ ſchiſmate vel ſimoniâ hominem præcidit ab unitate Catholica. Eſt enim munus à manu, munus à lingua, munus ab obſequio, quô ſcilicet triplici contagio polluitur, qui terrenæ gloriæ ambitione involvitur.

Unde rectè hic adoleſcens Levita *reſpondere* deſcribitur, quo ipſe terrenæ gloriæ cupidus ſui proditor efficitur. *Hæc & hæc mihi Michas præſtitit*: quia ordo hæreticorum voluptatis vel terrenæ gloriæ lucrum mihi præbuit. *Me mercede conduxit*, dum pro mundi avaritia ſimoniacum vel ſchiſmaticum me fecit. *Ut ſim ei Sacerdos*, non ut ſacrum, ſed ſacrilegum dem ipſi ducatum hæreſeos.

Rogaverunt autem eum, ut con- ℣. V.
ſuleret Dominum, ut ſcire poſſent,
an proſpero itinere pergerent, & res
haberet effectum.

Qui reſpondit eis: ite in pace: ℣. XI.
Dominus reſpicit viam veſtram, &
iter, quò pergitis,

Euntes igitur quinque viri vene- ℣. VII.
runt Lais: viderúntque populum habitantem in ea abſque ullo timore juxta conſuetudinem Sidoniorum, ſecurum & quietum, nullo ei penitus reſiſtente, magnarumque opum, & procul à Sidone atque à cunctis hominibus ſeparatum.

Rogant, ut conſulat Dominum, dum Synagogæ filii per ſuorum Doctorum vel * hæreticorum interceſſionem divinam quærunt habere propitiationem. *Ut ſcire valeant, ſi proſpero itinere pergant*, cùm eorum votis adverſa nulla reſiſtant. *Si res effectum habeat*, cùm eis mundi vel carnis voluptas arrideat.

* *Cod.* velut

Levita reſpondet, cùm hæreſis Moyſaicæ legis cultoribus favet. *Ite cum pace*, fruentes ſecuritate voluptatis terrenæ. *Dominus reſpicit viam veſtram*, qui vobis rerum terrenarum ſuggerit copiam. *Et iter quò pergitis*, quia perenni felicitate gaudebitis.

Quinque viri eunt, & Lais veniunt, cùm Moſaicæ legis cultores ſuperbiæ & vanæ gloriæ ſe dedunt. *Lais* enim *leo* vel *ſibimet vir* dicitur; quo nomine præſumptio ſecuritatis exprimitur, unde ſuperbia & vana gloria exoritur. *Vident populum habitantem in ea abſque ullo timore*, quia dediti avaritiæ & terenæ gloriæ nullô mortis vel gehennæ concutiuntur horrore. *Juxta conſuetudinem Sidoniorum*, qui *venantes* interpretantur, quia qui mundi vel carnis concupiſcentias venantur, nullô mortis metu refrenantur.

Digitized by Google

A. *Vident populum ſecurum & quietum*, *ſecurum* ab incurſu dæmonum, *quietum* ab impetu vitiorum. De qua ſecuritate vel quiete Job dicit, cùm hypocritarum proſperitatem deſcribit ? *Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conſpectu eorum. Domus eorum ſecuræ ſunt & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos. Bos eorum concepit, & non abortivit, vacca peperit, & non eſt privata fœtu ſuo. Egrediuntur quaſi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus. Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* (Job. XXI, 8.) Unde rectè hìc ſubditur: *Nullo ei penitus* B. *reſiſtente*, qui non eſt paratus Leviathan ſuſcitare. *Nullo ei penitus reſiſtente*, DEO eum in ſuis voluptatibus dimittente. *Magnarum opum*, quia contemptores cœleſtium bonorum ſunt poſſeſſores terrenorum. *Procul à Sidone, atque à cunctis hominibus ſeparatum*, quia qui ſe mundi vel carnis oblectant voluptate, procul ſunt *à Sidone*, à veritatis prædicatione. *Procul* ſunt *à cunctis hominibus*, mortis timore & virtutum amore in futurum ſibi proſpicientibus.

℣. VIII. *Reverſique ad fratres ſuos in Saraa & Eſthaol, & quid egiſſent,* C.
ſciſcitantibus, reſponderunt:

℣. IX. *Surgite, aſcendamus ad eos: vidimus enim terram valde opulentam & uberem: nolite negligere, nolite ceſſare. Eamus, & poſſideamus eam, nullus erit labor.*

℣. X. *Intrabimus ad ſecuros, in regionem latiſſimam, tradétque nobis Dominus locum, in quo nullius rei eſt penuria, eorum, quæ gignuntur in terra.*

D. Quinque viri *in Saraa & Eſthaol ad fratres ſuos revertuntur*, dum Moſaicæ legis Doctores per eruditionem legis & Prophetarum in Synagoga quaſi ſus in volutabro luti reverſantur. *Sciſcitantibus, quid egerint, reſpondent*, dum Doctores Synagogæ carnalitatis doctrinam proponunt.

Surgite, in ſuperbia & vana gloria, *& aſcendamus ad eos*, in carnis luxuria. *Vidimus enim terram valde opulentam & uberem*, cunctorum vitiorum & voluptatum carnalium feracem. *Nolite negligere* mundi vel carnis gaudia, quæ ſunt certa & præſentia; *nolite ceſſare* à carnis luxuria propter futura incerta vel ſupplicia vel gaudia. *Eamus* in ſuggeſtionibus, *poſſideamus eam* in delectationibus. *Nullus erit labor*, ubi nullus erit timor, ubi continuæ voluptatis eſt decor.

Intrabimus ad ſecuros, in regionem latiſſimam, latam & ſpatioſam hujus ſæculi viam, quia multi ambulant per eam. *Tradet Dominus nobis locum*, per collatum libertatis arbitrium dans nobis totius voluptatis refrigerium. *In quo nullius rei eſt penuria*, ubi mater carnalitatis regnat luxuria. *Eorum, quæ in terra gignuntur*, cunctorum vitiorum, quæ ex carne oriuntur. Sequitur:

Profecti igitur ſunt de cognatio- ℣. XI.
ne Dan, id eſt, de Saraa & Eſthaol, ſexcenti viri accincti armis bellicis,

Aſcendentesque manſerunt in Ca- ℣. XII.
riathiarim Judæ: qui locus, ex eo tempore, caſtrorum Dan nomen accepit, & eſt poſt tergum Cariathiarim.

Inde tranſierunt in montem Eph- ℣. XIII.
raim Cumque veniſſent ad domum Michæ,

Dixerunt quinque viri, qui priùs ℣. XIV.
miſſi fuerant ad conſiderandam terram Lais, cæteris fratribus ſuis: nôſtis, quòd in domibus iſtis ſit ephod, & theraphim, & ſculptile atque conflatile: videte, quid vobis placeat.

Et cùm paululum declinâſſent, in- ℣. XV.
greſſi ſunt domum adoleſcentis Levitæ, qui erat in domo Michæ: ſalutaveruntque eum verbis pacificis.

Sexcenti autem viri ita, ùt erant ℣. XVI.
armati, ſtabant ante oſtium.

At illi, qui ingreſſi fuerant domum ℣. XVII.
juvenis, ſculptile & ephod, & theraphim, atque conflatile tollere nitebantur, & Sacerdos ſtabat ante oſtium, ſexcentis viris fortiſſimis haud procul expectantibus.

Tule-

Digitized by Google

℣.XVIII *Tulerunt igitur, qui intraverant, ſculptile, ephod, & idola atque conflatile. Quibus dixit Sacerdos: quid facitis?*

℣. XIX. *Cui reſponderunt: tace, & pone digitum ſuper os tuum: veniq; nobiſcum, ut habeamus te patrem ac ſacerdotem. Quid tibi melius eſt, ut ſis ſacerdos in domo unius viri, an in una tribu & familia in Iſraël.*

℣. XX. *Quod cùm audiſſet, acquievit ſermonibus eorum, & tulit ephod, & idola, ac ſculptile, & profectus eſt cum eis.*

Sexcenti viri de cognatione Dan, id eſt, de Saraa & Eſthaol proficiſcuntur, cùm ſex ordines Synagogæ, ſcilicet Pontificum, Sacerdotum, Levitarum, Scribarum, & Phariſæorum & Saducæorum de eruditione legis & Prophetarum egrediuntur. *Armis bellicis cinguntur*, dum ſcientia legis & Prophetarum accinguntur.

Aſcendentes manent in Cariathiarim Juda, quæ *civitas* vel *villa ſylvarum* interpretatur, qua novum teſtamentum vel Eccleſia figuratur: quia dum Synagoga in Patriarchis exoritur, fide & dilectione venturi Redemptoris in novi teſtamenti coloniam tranſponitur. *Qui locus ex eo tempore caſtrorum Dan nomen accipit*: quia veteris teſtamenti inſtitutio Synagogæ vocabulo ſervit. Qui *poſt tergum Cariathiarim* eſſe ſcribitur: quia veteris teſtamenti inſtitutio excellentiæ novi teſtamenti poſtponitur.

Inde in môntem Ephraim tranſeunt, cùm in ſuperbiam & vanam gloriam per præſumptionem ſanctitatis ſe erigunt. *Ad domum Micha veniunt*, cùm per ſuperbiam & vanam gloriam in ſortem hæreticorum decurrunt.

Dicunt quinque viri cæteris fratribus ſuis: quia cultores Moſaicæ legis ſuggerunt reliquis Synagogæ filiis. *Nôſtis*, qui eruditionem legis & Prophetarum habetis. *Quòd in domibus iſtis* à Catholica ſocietate diviſis, *ſit Ephod & Theraphim*, veſtis ſacerdotalis, *& ſculptile* erroris, *atque conflatile* falſitatis. *Videte*, ex collata vobis arbitrii libertate. *Quid vobis placeat*: utrum Catholicorum veritas, an hæreticorum falſitas.

A. Quinque viri *paululum declinant*, cùm Moſaicæ legis Doctores carnali intelligentiæ ſe mancipant. *Ingrediuntur domum adoleſcentis Levitæ, qui eſt in domo Micha*: cùm avaritiam & terrenam gloriam ſectantur, quibus vel hæreſeos falſitas inſtituitur, vel ſimoniæ vel ſchiſmatis perverſitas obſequitur. *Salutant eum verbis pacificis*, quia Doctores Moſaicæ legis in cunctis quærunt lucrum terrenæ gloriæ & voluptatis.

Sexcenti viri, ita ut ſunt armati, ſtant ante oſtium: quia ordines Synagogæ in ſola legis eruditione non habent veræ ſalutis B. introitum.

Quinque viri *domum juvenis ingrediuntur*, dum Doctores Moſaicæ legis avaritiæ & terrenæ gloriæ obſequuntur. *Sculptile erroris, Ephod, & Theraphim* id eſt, ſcientiam prædicationis, *atque conflatile* falſitatis *tollere nituntur*, dum per omnia, quæ loquuntur, erroris & falſitatis doctrinam exſequuntur. *Sacerdos ſtat ante oſtium*, qui habens clavim ſcientiæ, nec ipſe ingreditur, nec alios intrare patitur. *Sexcenti viri fortiſſimi haud procul expectant*: quia ordines Synagogæ à ſocietate Eccleſiæ, cùm veteris teſtamenti ſcientiam habe- C. ant, fidei perverſitate diſcordant.

Quinque viri, *qui intraverant, Ephod, & idola atque conflatile exportant*, dum Doctores Moſaicæ legis erroris doctrinam & falſitatis figmenta comportant. *Quibus dicit Sacerdos, quid facitis?* Cùm ille non ſacer, ſed ſacrilegus ducatus ſuæ eruditionis de ſuis eos objurgat factis.

Illi *reſpondent*, cùm acumen eruditionis ſua perverſitate obtundunt. *Tace & pone digitum ſuper os tuum*, quia ori digitus ſuperponitur, cùm eruditio doctrinæ vi- D. tæ perverſitate retunditur. *Veni nobiſcum, marſupium ſit unum omnium noſtrûm.* Prov. I. 14
Ut habeamus te Patrem in erroris propagatione, *& Sacerdotem* in falſitatis eruditione. *Quid tibi eſt meliùs*, cui mundi vel carnis voluptate nihil eſt dulciùs. *Ut ſis Sacerdos in domo unius viri, an in una tribu & familia in Iſraël?* Ut ſis princeps in una domo hæreticorum, aut in tota Synagoga Judæorum?

Ille ſermonibus eorum acquieſcit, quia qui mundi carniſque voluptatem diligit, avaritiæ & terrenæ gloriæ inſervit. *Ephod & idola, atque ſculptile tollit*, dum ſcripturæ carnalem intelligentiam, & erroris

atque

Digitized by Google

atque falſitatis doctrinam extollit. *Cum eis proficiſcitur*, qui à cognitione Dei & ſui in regione longinqua peregrinatur. Sequitur:

℣. XXI. *Qui cùm pergerent, & ante ſe ire feciſſent parvulos ac jumenta, & omne quod erat pretioſum,*

℣. XXII. *Et jam à domo Michæ eſſent procul, viri, qui habitabant in ædibus Michæ, conclamantes ſecuti ſunt,*

℣. XXIII. *Et poſt tergum clamare cœperunt. Qui cum reſpexiſſent, dixerunt ad Micham: quid tibi vis? cur clamas?*

℣. XXIV *Qui reſpondit: Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & ſacerdotem & omnia, quæ habeo, & dicitis: quid tibi eſt?*

℣. XXV. *Dixerúntque ei filii Dan: Cave, ne ultra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipſe cum omni domo tua pereas.*

℣. XXVI *Et ſic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas, quòd fortiores ſe eſſent, reverſus eſt in domum ſuam.*

Filii Dan *pergunt*, cùm Synagogæ filii in carnali legis obſervantia ſe extendunt. *Parvulos ante ſe ire faciunt*, cùm circumciſionis ritum cuſtodiunt. *Jumenta ante ſe ire faciunt*, cùm ceremoniis legalibus inſiſtunt. *Omne quod eſt pretioſum* ante ſe ire faciunt, cùm Sabbati obſervantiam ſummopere excolunt.

Jam procul ſunt à domo Michæ, cùm hæreticorum perfidiam ſua vincunt impietate. *Viri, qui in ædibus Michæ habitant, conclamant*, cùm vitia omnia, quæ hæreticos inſequuntur, ſuo furore exclamant. Filios Dan *ſequuntur*, cùm vitia omnia Synagogam inſequuntur.

Poſt tergum clamare incipiunt, cùm extremitatem vitæ ejus ſua contagione omnia vitia confundunt. Filii Dan *reſpiciunt*, cùm Synagogæ Filii tandem in fine mundi reſpiciunt. *Ad Micham dicunt*, cùm hæreticorum perfidiæ contradicunt. *Quid tibi vis*, qui, quæ Dei ſunt, non ſapis? *Cur clamas*, qui in avaritia & terrena gloria te dilatas?

A. Michas *reſpondet*, cùm ordo hæreticorum Synagogæ contradicenti ſibi imminet. *Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis*, cùm Sanctæ Trinitatis fidem rectam habere noluiſtis. *Sacerdotem & omnia, quæ habui, tuliſtis*, cùm carnalem Scripturæ intelligentiam & omnem profeſſionis meæ ſectam vobis attraxiſtis. *Et nunc quid tibi eſt dicitis*, cùm meæ profeſſionis inſtitutioni per omnia contradicitis.

Filii Dan ei dicunt, cùm Synagogæ filii ad Deum converſi hæreticorum furori fortiter contradicunt. *Cave ne ultrà ad nos loquaris*: ne tuæ deceptionis laqueos nobis intentare ulteriùs moliaris. *Et veniant ad*
B. *te viri animô concitati*, prædicatores noſtri divini zeli fervore incitati. *Et ipſe cum omni domo tua pereas*, cùm eorum prædicationi Evangelicæ reſiſtere omninò non vales.

Sic *cœpto itinere pergunt*, quia Synagogæ filii ad Deum converſi, & ab omni errore liberi, rectâ viâ ad cœleſtia contendunt. Michas *videt eos ſe eſſe fortiores*, cùm hæretici Synagogæ filios ad Deum converſos veræ fidei profeſſione conſpiciunt ſe eſſe ſuperiores. Michas *in domum ſuam revertitur*, cùm hæreticorum ordo in ſuæ perfidiæ cœno. quaſi ſus in volutabro luti reverſatur. Sequitur:

Sexcenti autem viri tulerunt Sacerdotem, & quæ ſuprà diximus, ve- ℣. XXVII,
C. *neruntq́ in Lais ad populum quieſcentem, atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladii, urbemque incendio tradiderunt,*

Nullo penitus ferente præſidium, ℣. XXVIII.
eò quòd procul habitarent à Sidone, & cum nullo hominum haberent quidquam ſocietatis, ac negotii. E-
D. *rat autem civitas ſita in regione Rohob: quam rurſum extruentes habitaverunt in ea,*

Vocato nomine civitatis Dan iux- ℣. XXIX.
ta vocabulum patris ſui, quem genuerat Iſraël, quæ priùs Lais dicebatur.

Poſueruntq́ ſibi ſculptile, & Jo- ℣. XXX.
natham filium Gerſan filii Moyſi, ac filios ejus ſacerdotes in tribu Dan, usque ad diem captivitatis ſuæ.

Man-

℣. XXXI. *Manſitq; apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat rex in Iſraël.*

Sexcenti viri Sacerdotem tollunt, cùm Synagogæ filii ad Deum converſi veram legis ſcientiam extollunt. *In Lais veniunt*, cùm in plenitudinem gentium perranſeunt. *Lais* enim *leo* vel *ſibimet vir* dicitur, quo nomine plenitudo gentium exprimitur, quæ nullo timore mortis concutitur, ac proinde vanâ ſui confidentiâ & mundi gloriâ extollitur. Unde rectè hic ſubditur: *ad populum acquieſcentem &* B. *ſecurum.* Plenitudo enim gentium quieſcit, cùm fortis ille armatus atrium ſuum in pace cuſtodit. *Securè* dormit, cùm Behemoth ille ſub umbra ſua in ſecreto calami, in locis humentibus requieſcit. *Percutiunt eos in ore gladii*, quia configunt eos gladiô Spiritûs, quod eſt verbum Dei. *Urbem incendio tradunt*, cùm plenitudinē gentium veræ pœnitentiæ flam̃is ſubjiciunt.

Nullo penitus præſidium ferente, illo, qui nullius nomine cenſetur, quia nec Angelus, nec homo dici meretur, propriô arbitriô in diabolum commutatus ex Ar- C. changelo, prædicationi Evangelicæ reſiſtere non valente. *Eò quòd procul habitent à Sidone*: quia plenitudo gentium procul eſt ab Evangelii prædicatione. *Et cum nullo hominum habent quidquam ſocietatis ac negotii*: quia plenitudo gentium in ignorantia Dei & ſui nihil habet Eccleſiaſticæ ſocietatis. *Nihil habet negotii.* De quo negotio in Libro Regum ſcribitur, ubi

II. Reg. XV. 2. de Abſalon agitur: *Et omnem virum, qui habebat negotium, ut veniret ad Regis judicium, vocabat Abſalon & dicebat: de qua civitate es tu?* Per *omnem virum* deſignatur univerſitas linguarum. Univerſitas gentium per hoc, quòd vitæ habet Spiritum, *habet & negotium, ut veniat ad Regis* Chriſti *judici-* D. *um. Omnes enim*, inquit Apoſtolus, *ante*

Rom. XIV. 10. *tribunal Chriſti ſtabimus, ut referat unusquisque prout geſſit, ſive bonum ſive malum.* Omnem ergo virum Abſalon vocat, quia univerſitatem gentium populus Judæorum, cujus Abſalon typum gerit, ad timorem jam jamque propinquantis judicii clamore & tonitruo ſuæ prædicationis per mundi latitudinem excitat. *De qua civitate ſit, interrogat*, dum univerſitati gentium cœleſtis Jeruſalem participationem denuntiat. *Civitas in regione Rohob ſita eſt*, quæ interpretatur *lata*, quia via illa lata eſt & ſpatioſa, qua plenitudo gentium in infidelitate poſita carnis fruitur luxuriâ. *Quam rurſum exſtruunt*, dum deſtructam vitiis virtutibus reædificant. Sic *in ea habitant*, dum eam prædicationis continuæ vomere ſulcant.

Nomen civitatis Dan vocant, cùm plenitudinem gentium Chriſtianitatis nomine dedicant: *juxta vocabulum patris ſui* Chriſti Domini, cujus ipſi per fidem Abrahæ facti ſunt filii. *Dan* enim *judicium* dicitur, per quem ille exprimitur, cui omne judicium à Patre traditur. *Quem Iſraël genuerat*, cùm Abraham in ſuo ſemine cunctas gentes benedicendas eſſe Deus promiſerat. *Quæ priùs Lais dicebatur*, quando nullo Dei timore conſtringebatur.

Filii Dan *ſculptile ſibi ponunt*, cùm Synagogæ filii ad Deum converſi imaginem Redemptoris crucifixi ſibi proponunt. *Jonathan ſibi Sacerdotem ponunt*, dum ordinem prædicatorum, Evangelio ſervientium, ſibi proponunt. *Jonathas* enim *Dei donum* dicitur: quia ex Dei dono ordo Doctorum fidelium tribuitur. Jonathas *filius Gerſan* ſcribitur, qui *advena* dicitur, per quem ordo Sanctorum Apoſtolorum exprimitur, qui ſe hujus mundi exulem & peregrinum eſſe reminiſcitur, de cujus prædicatione fidelium Doctorum ordo gignitur. Gerſan *filius Moyſi* eſſe ſcribitur, quia ordo Sanctorum Apoſtolorum de Synagoga generatur, quæ legi Moyſaicæ famulatur. *Gerſan filii* ſunt Prædicatores ſancti, Apoſtolorum prædicatione generati: qui *in tribu Dan Sacerdotes* ponuntur, dum in converſa Synagoga Evangelii Prædicatores diſponuntur. *Usque ad diem captivitatis ſuæ*, usque ad diem vocationis ſupremæ.

Idolum Michæ apud eos manet omni tempore, quo domus Dei eſt in Silo: quia quamdiu Synagoga carnali legis obſervantiæ inhæret, lepra hæreticæ pravitatis ei adhæret. *Silo* enim *avulſio* vel *excalceatio* dicitur: per quam vetus lex exprimitur, quæ per Evangelii prædicationem avellitur, cujus litera per allegoriam vel per moralitatem *excalceatur.* In hujus rei præfiguratione Dominus ad Moyſen dicit, cùm eum ad liberationem ejusdem populi Judaici in Ægyptum dirigit: *Mitte manum in ſinum tuum. Quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit le-* Exod. IV. 6.

Digitized by Google

proſam inſtar nivis. *Retrahe*, ait, *manum tu-* A. *am in ſinum. Retraxit, & protulit iterum, & erat ſimilis carni reliquæ.* Moyſes qui ad liberationem populi in Ægyptum dirigitur, Chriſti Redemptoris typum exequitur, qui ad Redemptionem totius humani generis à Deo Patre in hunc mundum mittitur. Qui *manum in ſinum ſuum mittit*, dum Synagogam ſpecialis gratiæ prærogativâ ſibi adjungit. *Quæ inſtar nivis lepra incandeſcit*, dum gelu perfidiæ & malitiæ cor ejus adverſus Redemptorem ſuum induratum contabeſcit. Proinde *de ſinu manus ejicitur*, cùm Synagoga meritô ſuæ perfidiæ B. ab omni divinæ cognitionis & gratiæ familiaritate excluditur. Sed *manus* quandoque *in ſinum retrahitur*, cùm Synagoga in fine mundi ad Chriſti cognitionem perducitur. *Quæ ſimilis carni reliquæ* efficitur, dum ipſa in vera Chriſti dilectione
Num. XII. 10. Sanctæ Matris Eccleſiæ ſocietati adjungitur. Sic Maria Soror Moyſi, detrahendo eidem Moyſi leprâ perfunditur, & à caſtris ſeptem diebus excluditur: quia Synagoga pro eo, quòd Chriſtum novi teſtamenti Mediatorem, ùti Moyſen Legislatorem inſequitur, toto hujus ſæculi tempore, quod ſeptem diebus volvitur, à ſo- C. cietate fidelium repellitur. Maria in caſtra revocatur, cùm Synagoga tandem in fine mundi in confeſſione fidei Eccleſiæ Catholicæ incorporatur. *Rex in Iſraël in diebus illis non eſſe* ſcribitur, & forſitan per hanc literam latenter innuitur, quòd ordo ſedis Apoſtolicæ, qui à Chriſto Rege Rex in Eccleſia conſtituitur, ut totius Eccleſiæ negotia audiat, ut judicium & juſtitiam in terra faciat, imminente mundi fine, & jam jamque propinquante judicii die deſtituetur vel pro abundantia iniquitatis, pro qua mundus abſorbebitur, vel pro nimietate timoris, qua mundus D. omnis involvitur, ut ejus deſtitutio mundi jam jamque perituri quodammodo ſit aperta ſignificatio.

* Ita hoc loco codex. ** Explanatio hujus Hiſtoriæ deſcripta à Sorore Regilinde.*

Caput XIX.

℣. I. *Fuit quidam vir Levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de Bethlehem Juda:*

℣. XII. *Quæ reliquit eum, & reverſa eſt in domum patris ſui in Bethlehem, manſitq; apud eũ quatuor menſibus.*

Secutusq; eſt eam vir ſuus, vo- ℣. XIII.
lens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere, habens in comitatu puerum & duos aſinos: quæ ſuſcepit eum, & introduxit in domum patris ſui. Quod cùm audiſſet ſocer ejus, eumq; vidiſſet, occurrit ei lætus,
Et amplexatus eſt hominem. ℣. IV.
Manſitq; gener in domo ſoceri tribus B. *diebus, comedens cum eo & bibens familiariter.*

Per *virum Leviten*, quod interpretatur *aſſumptus*, accipi poteſt quilibet homo in ſancta converſatione virilibus pollens actibus. Qui non incongruè *Levites* nuncupatur, eò quòd ad ſerviendum Deo *aſſumptus* eſſe videatur. Sed notandum, quòd idem vir Levites *in latere montis Ephraim* habitâſſe deſcribitur. *In latere* quidem *montis*, non in ipſo monte *Ephraim*, quod interpretatur *frugifer*, habitaculum habuit: quia plenum perfectionis culmen C. needum contingere meruit. *Qui accipit uxorem de Bethlehem Juda.* Per *Bethlehem* quæ *domus panis*, & *Judam* quæ *confeſſio* interpretatur, licèt ſpiritalis quælibet converſatio, in qua verè Deum confitentes congregati ſunt, accipiatur; nihilominus tamen per eandem *Bethlehem* regnum cœlorum, in quo verus ille *panis*, panis ſcilicet Angelorum Chriſtus inhabitat, intelligi valet. *Uxor* autem, quam ille vir Levites de Bethlehem accepit, ſapientia divinitùs ſibi collata accipi poterit. Sed quia *in latere montis Ephraim* habitavit, hoc eſt, quia ad Deo placitam bonorum operum perfectionem necdum fructificavit:

D. *Reliquit eum* uxor, id eſt, ſapientia, *& reverſa eſt in domum patris ſui. Pater* ſapientiæ Deus omnipotens eſt: *domus* verò ejus, in qua manet, Scriptura Sacra intelligi valet. Ex eadem igitur domo, id eſt, ex ſedulitate Scripturæ Sacræ quia uxor hæc, de qua loquimur, id eſt, ſapientia accipitur, rectè relictô virô imperfectè gradiente corã Domino, *reverſa in domum patris, quatuor apud eum menſibus manſiſſe* deſcribitur. In *quatuor his menſibus*, quibus in domo patris ſui ſapientia manſiſſe dicitur, quadriformis Sacræ Scripturæ ſenſus, hiſto-

ſtoricus videlicet, allegoricus, moralis & tropologicus non incongruè accipitur.

Sed *vir ſuus*, homo videlicet, qui ſemel eam Deo propitio accipere meruit, dolens ex ſui eam negligentia amiſiſſe, *ſequitur illam, volens ei reconciliari atque blandiri, & ſecum reducere.* Quærit ſanè, qualiter per dignam pœnitentiam *reconcilietur*, quomodo per humilem ſatisfactionem *blandiatur*, quomodo per bonam operationem *ſecum*, id eſt, in cor ſuum *reducere* eam mereatur. Ideoque *habet in comitatu puerum, & duos aſinos.* Per *puerum* ſpiritus, per *duos aſinos* anima illius accipi poteſt & corpus, cum quibus certatim laborat, ut ad recipiendam uxorem, amiſſam videlicet ſapientiam pertingere valeat. Sapientia autem hôc modô ſe ſequentem, tali, inquam, ſpiritu, corporis & animæ laboribus ad dulces ejus amplexus tendentem, nequaquam deſpicit, quemadmodum ſequens litera manifeſtè innuit. *Qua ſuſcepit*, inquit, *eum, & introduxit in domum patris ſui.* Qualiter autem fiat, ut ſuſceptum eum in domum patris ſui introducat, apertiùs eadem nobis ſapientia exprimit,
Cant. VIII, a. ubi per Salamonem dicit: *Dilecte mi apprehendam te, & ducam te in domum patris mei, & in cubiculum genetricis meæ. Quod cùm audiſſet ſocer ejus, eumque vidiſſet, occurrit ei lætus, & amplexatus eſt hominem. Socer* iſte Deus Pater eſt, Pater videlicet æternæ ſapientiæ: nuncii verò, qui ei adventum generi ſui indicant, timor eſt & amor, qui fervens pro recipienda ſapientia deſiderium hominis non ſolum uſque ad auditum DEI Patris deferunt, ſed uſque ad viſionem ejus ipſum etiam hominem ſublevant. Unde convenienter ſatis ſubjungitur: Cumque *eum vidiſſet*, hoc eſt, ſic eum feciſſe in oculis omnipotentiæ ejus placuiſſet, *occurrit ei lætus* per auxilium gratiæ ſuæ: quia ſicut ille, qui ſui negligentiâ præcipitium prædicationis incidit, magnam quodammodo triſtitiam Deo ingerit; ſic ille, qui pro ſalute ſua ſolicitatur, lætum eum & jucundum efficit: ſicque *amplexibus* divinis dignus homo efficitur, inter quos uxor deſiderabilis, amiſſa videlicet ſapientia miſericorditer ei reſtituitur.

Sicque fit, ut *maneat gener in domo ſoceri tribus diebus.* Quaſi *tribus diebus vir Levites in domo ſoceri commoratur*, quando ipſius Dei, qui per ſocerum intelligitur, præventus gratiâ, cunctos interioris hominis ſui ſen-

A. ſus Sacrâ Scripturâ præmuniendo, triplici obſervantia cogitationum, verborum & operum oculis divinæ majeſtatis placere conatur, eò ùſque proficiens, ut *manducare cum eo atque bibere familiariter* promereatur. Dulciter quodammodo homo beatus *cum Deo manducat*, quando ipſius gratiâ illuminatus, fortiora & difficiliora Sacræ Scripturæ ſecreta capaci mentis intellectu diſcutit & penetrat. *Bibere* verò cum eo non incongruè dicitur, quando levioribus & ſuavioribus ejuſdem Sacræ Scripturæ medullis delectabiliter intrinſecus paſcitur & reficitur. Et benè dicitur: B. *manducans atque bibens familiariter*, quia maxima eſt familiaritas, incomparabilis eſt ſuavitas, quando ex commanentis Dei miſericordia abſconditus fons ſcripturarum ſic homini manifeſtatur, ut cognoſcere in eo ipſum, quem ſitit, Deum promereatur. Sed niſi ſumma mentis humilitate ſibimet homo attendat, ex magno Dei dono magna interdũ præſumptio naſcitur, quemadmodum in ſequentibus ſubjungitur.

Die autem quarto de nocte conſur- ℣. V.
gens, proficiſci voluit. Quem tenuit
ſocer, & ait ad eum: guſta priùs pau-
xillum panis, & conforta ſtoma-
C. *chum, & ſic proficiſceris.*
Sederuntq́ ſimul, ac comederunt ℣. VI.
& biberunt. Dixítque pater puellæ
ad generum ſuum: Quæſo te, ut ho-
die hìc maneas, paritérque lætemur.
At ille conſurgens, cœpit velle pro- ℣. VII.
ficiſci. Et nihilominus obnixè eum
ſocer tenuit, & apud ſe fecit manere.
Mane autẽ facto, parabat Levites ℣. VIII.
iter. Cui ſocer rurſum: Oro te, inquit,
ut paululum cibi capias, & aſſumptis
D. *viribus, donec increſcat dies, poſtea*
proficiſcaris. Comederunt ergo ſimul.
Surrexítque adoleſcens, ut perge- ℣. IX.
ret cum uxore ſua & puero. Cum rur-
ſum locutus eſt ſocer: conſidera, quòd
dies ad occaſum declivior ſit, & pro-
pinquat ad veſperum: mane apud me
etiam hodie, & duc lætum diem, &
cras proficiſceris, ut vadas in do-
mum tuam.

Die autem quarto de nocte conſurgens, proficiſci volebat. Per *diem quartum* intempe-

rantiã vel immoderatum & indiſcretum
accipere poſſumus virtutum appetitũ. Eſt
autem immoderatus virtutum appetitus ,
quando eâ, de qua jam diximus, gratiâ mi-
nimè quis contentus , ſupra menſuram à
Deo ſibi poſitam , ad nimiam & injuſtam
ſanctitatem pertingere ſatagit, quæ nec
Deo placet, nec ſibimet ipſi expedit. Sed
unde hoc niſi *de nocte* tentationis, de nocte
ignorantiæ & injuſtæ præſumptionis, quæ
eum *ſurgere* , id eſt , corpore ſimul & ani-
mâ ad interitum ſuum compellit tendere?
Pſal. *Homo enim*, ait Pſalmiſta, *homo cùm in hono-*
XLVIII. *re eſſet , non intellexit, comparatus eſt jumen-*
13. *tis & inſipientibus , & ſimilis factus eſt illis.*
Quater, ùt legimus, Levites iſte, ut profici-
ſceretur, ſurrexit, ſed toties retinente eum
ſocero præpeditus, quintò tandẽ invitô eô
perrexit. Sed quid rectiùs quatuor his vici-
bus, quàm ſuggeſtio, delectatio, conſenſus
peccati, & effectus operis iniqui valet in-
telligi? In his omnibus occulta inſpiratio-
nis ſuæ manu tenet hominem Deus, of-
ferénsque ei ſalutis conſiliũ, dicit ad eum:

*Guſta priùs pauxillum panis , & confortatô
ſtomachô ſic proficiſceris.* In *pane* Scriptura
Sacra, ſive interna Dei dulcedo exprimi-
tur , qua confortatum convaleſcit cor
hominis, quod per *ſtomachum* hoc in loco
accipitur. Talis profectò panis guſtu con-
fortatus homo ſecurè *proficiſcetur*, quia ejus
virtute ad ſalutis proſperitatem dirigetur.
Pſal. XXXIII. Unde Pſalmiſta: *guſtate*, inquit, *& videte ,*
9. *quoniam ſuavis eſt Dominus.*

*Sederuntque ſimul , & comederunt , atque bi-
berunt.* Aſſida æterni Regis homo efficitur,
ſi ſic fortiora Sacræ Scripturæ *comedat*, at-
que ſic leviora *bibat* , ut nihil in eis , niſi
quæ ad Deum , vel ad proximorum ſa-
lutem pertinent, quærere ſtudeat. *Dixit-
que pater puellæ ad generum ſuum.* Hæc , ùt
IV. Reg. æſtimo , *puella* illa erat , quæ Naaman in
V. 3. & Judæam ad Eliſæum Prophetam pro re-
ſeq. cipienda ſanitate proficiſci fecerat. *Quæſo,*
inquit, *te , ut hodie hìc maneas. pariterque læ-
temur.* Ac ſi dicat: Quæſo , ne pulſanti te
peccati ſuggeſtioni conſentiendo me de-
ſeras, ſed quamdiu *hodie* cognominatur ,
quamdiu præſens hoc tempus volvitur ,
mecum maneas , pariterque lætemur, quia mea
lætitia eſt ſalus tua.

*At ille conſurgens, cœpit velle proficiſci. Con-
ſurgit quippe* per peccati delectationem, in-
cipitque *velle proficiſci* ad infelicitatem ſu-
am atque perditionem. Perverſam igitur
hanc proficiſcendi in pejus voluntatem,
A. dum ſocer , Deus ſcilicet Pater, occulto-
rum cognitor inſpexerit , nihilominus eâ-
dem, qua & ſuprà, miſerationis ſuæ manu
tenet, & *apud ſe*, id eſt ſecum *manere* eum
hortatur , nè pereat.

*Manè autem factô, parabat Levites iter. Ma-
ne* tempus illud appellatur, quando luce-
ſcentis diei ortus incumbentis adhuc no-
ctis tenebris obſcuratur , & decedentis
jam noctis umbrâ orientis diei aurora ali-
quantulum illuminatur. Tale nimirum
mane quaſi tunc in corde hominis fit,
quando divinæ ſplendor gratiæ ſurrepen-
B. tis umbrâ tentationis obſcurari incipit,
quia tunc homo quaſi in quodam eſt cre-
puſculo, nec plenam divinæ cognitionis
lucem, nec plenam peccatorum, quæ nec-
dum opere complevit habens caliginem.
Hoc *manè* intrinſecùs *factô*, *parat Levites
iter*, ad peccati conſenſum cor ſuum incli-
nando. *Cui rurſum ſocer*, Deus videlicet Pa-
ter, *oro, inquit, ut paululum cibi accipias, & aſ-
ſumptis viribus, donec increſcat dies, poſtea pro-
ficiſceris.* Ac ſi dicat: internis viribus pau-
latim te deficere video, ideoque ut *paulu-
lum cibi* accipias , ut Sacram Scripturam ,
C. quæ cibus eſt animæ, oculis cordis tui pro-
ponas, *oro*, quatenus deficientes jam vires
tuæ recreentur: *donec dies increſcat* , donec
lumen interni ſplendoris, quodjam ex par-
te obnubilatum eſt , rurſum tibi reſplen-
deat. Hoc ſi feceris, ſecurus tandem *pro-
ficiſci* poteris. *Comederunt ergo ſimul.* In præ-
cedenti litera *comediſſe & bibiſſe* cum ſoce-
ro legitur ; hìc tantummodo *comedit* , & ſi
biberit , non additur: quia fortiora Sacræ
Scripturæ adhuc tantùm intelligit , inte-
riorem autem dulcedinis ſaporem, quem
haurire ex ea conſueverat , jam amiſit.

*Surrexitque adoleſcens, ut pergeret cum uxo-
re ſua & puero. Surgit* quintò demum die ,
qui eſt perſeverantia peccati , *cum uxore*
D. *ſua* , quod eſt ſapientia , *& puero*, quod eſt
puerilis ſenſus, *ut vadat* hoc eſt, ut ea, quæ
per delectationem & conſenſum intrinſe-
cùs concepit, opere perficiat. *Cui rurſum lo-
cutus eſt ſocer: Conſidera, quòd dies ad occaſum
declivior ſit, & propinquet ad veſperam.* Quaſi
dicat: attende tibimet ipſi , & conſidera,
quia ſi à cœpto conſummandi operis ini-
qui itinere reſipiſcere nolueris , lumen
gratiæ ſpiritalis, quod accepiſti , omnino
amittere habebis. *Mane apud me etiam ho-
die, & duc lætum diem, & cras proficiſceris, ut va-
das in domum tuam.* Si *hodie*, id eſt, dies huic
vitæ conceſſos mecum permanſeris ,
cras,

Digitized by Google

eras, id eſt, poſt hujus vitæ terminum *profi-* A. *ciſceris, ut vadas in domum tuam*, domum videlicet æternitatis, ubi de perpetua mea viſione ſine fine gaudebis.

℣. X. *Noluit gener acquieſcere ſermonibus ejus: ſed ſtatim perrexit, & venit contra Jebus, quæ altero nomine vocatur Jeruſalem, ducens ſecum duos aſinos onuſtos & concubinam.*

℣. XI. *Jamque erant juxta Jebus, & dies mutabatur in noctem: dixítque puer ad Dominum ſuum: veni, obſecro, declinemus ad urbem Jebuſæorum,* B *& maneamus in ea.*

℣. XII. *Cui reſpondit Dominus: non ingrediar oppidũ gentis alienæ, quæ non eſt de filiis Iſraël, ſed tranſibo uſq; Gabaa.*

℣. XIII. *Et cùm illuc pervenero, manebimus in ea, aut certè in urbe Rama.*

Noluit gener acquieſcere ſermonibus ejus, ſed ſtatim perrexit in conceptis intrinſecùs deſideriis non bonis perſiſtendo, ſicque pravæ conſuetudinis itinere *venit contra Jebus*, quod interpretatur *calcata*, cuncta opera ſua priora in conculcationẽ & in nihilum redigendo. Unde Dominus in Evangelio: Matth. V. 13.
ſal, inquit, *ſi infatuatum fuerit, ad nihilum* C. *valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quid nobis his Domini verbis innuitur, niſi quòd homo, cùm ſic, ùt diximus, infatuatus fuerit, ad nihilum valet coram Domino, ſed eſt tantummodo conculcatio dæmonũ atque illuſio? Unde benè ſubjungitur, quòd duxerit ſecum *duos aſinos onuſtos & concubinam.* In *duobus aſinis onuſtis*, ſicut jam diximus intelliguntur corpus hominis & anima, diverſo malarum pondere delectationum prægravata. Ducit ſecum etiam *concubinam*, id eſt, ſapientiã, quam nondum ex toto amiſit, quæ *concubina* ejus ideo dici creditur, quia licèt ſe- D. cum adhuc eam habeat, nequaquã tamen ad ſalutem ſuam ea utitur. Unde ſequitur:

Jámque *aderat juxta Jebus, & dies mutabatur in noctem*, quia cùm ſic ſemetipſum & opera ſua in conculcationem perduxerit, *dies*, id eſt, ſplendor internæ claritatis paulatim deficere, & *in noctem* ignorantiæ *mutari incipit. Dixítque puer ad Dominum: Veni obſecro, declinemus ad urbem Jebuſæorum, ut maneamus in ea.* *Puer* iſte, ùt ſuprà diximus, puerilis eſt ſenſus, qui miſero ſuggerit homini *ad urbem Jebuſæorum declinare*, id eſt, ea, quæ caro concupiſcit, vitia opere conſumare.

Cui reſpondit Dominus: Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non eſt de filiis Iſraël, ſed tranſibo uſque Gabaa: Dominus quidem, qui eſt ſpiritus, quia adhuc ſecum habet concubinam, id eſt, ſapientiam, non conſentit carnalitati, ad aperta flagitia conſenſum ejus expetenti: quia ſicut caro deorſum, ea quæ terræ ſunt, quærendo tendit; ita ſpiritus ea, quæ ſurſum ſunt, affectando ſemper aſcendit: *tranſibo*, inquiens, *uſque Gabaa, & cùm illuc pervenero, manebimus in ea aut certè in urbe Rama.* Gabaa *ſublimitas*, Rama *excelſa* interpretatur. Et non incongruè eiſdem nominibus injuſta ſanctitatis præſumptio figuratur. Eſt autẽ injuſta ſanctitatis præſumptio, quando immoderatè jejunando, indiſcretè vigilando, aliiſque laboribus inconſultè inſiſtendo ultra ſe, id eſt, ultra menſuram ſuam homo tendit, & per hoc, quo ſe aſcendere putat, in miſerabile perditionis præcipitium deſcendit. *Cùm illuc*, inquit, *pervenero*, id eſt, cùm eam, quæ ſupra reliquos homines eſt, perfectionẽ meritis meis adeptus fuero, *in ea manebo*, quia tunc demum à laboribus meis quieſcere habebo. Hoc eſt enim, de quo Scriptura Prov. VII. 19. 20.
dicit: *Non eſt vir in domo, in die plenæ lunæ revertetur*; quia homo dum injuſtæ ſanctitatis præſumptione ſupra ſe ſuperbè elatus fuerit, non priùs in domum cordis ſui revertitur ad cognoſcendam ſtultitiam ſuã, donec veniat plenilunium, id eſt donec conſummetur omne, ad quod ſuperbiâ eum intrinſecùs agitante feſtinat, infortunium. Unde appertè ſubjungitur:

Tranſierunt ergo Jebus, & cœptum carpebant iter, occubuítq; eis ſol juxta Gabaa, quæ eſt in tribu Benjamin: ℣. XIV.

Diverterúntque ad eam, ut manerent ibi. Quò cùm intrâſſent, ſedebant in platea civitatis, & nullus eos recipere voluit hoſpitio. ℣. XV.

Tranſierant igitur Jebus, & cœptum carpebant iter. Quaſi *cœpto itinere* homo pergit, quando nullô rectè ſapientium conſiliô à ſtultitiã & vanitate intrinſecùs concepta revocari poterit. Sanctiùs enim & utiliùs eſſe judicat in ſuæ præſumptionis pertinacia perſiſtere, quam eis, qui ſanioris ſunt conſilii, humiliter acquieſcere. Unde inviſibiliter ei intrinſecùs accidit, quod de miſero illo homine ſequens litera convenienter innuit, *Occubuítque ei ſol*,

 inquit,

Digitized by Google

inquit, *juxta Gabaa, quæ eſt in tribu Benjamin,* A. *diverterúntque ad eam, ut manerent ibi*, quando ad *Gabaa*, id eſt, ad ſuperbiam & vanam gloriam, *quæ eſt in tribu Benjamin*, hoc eſt, quæ de iniqua ſanctitatis fiducia naſcitur, greſſibus mentis tendere incipit, verum ſolem juſtitiæ miſerabiliter ſibimet ipſi occumbere facit. *Benjamin* námque *filius dexteræ* interpretatur: ſed hæc *dextera* hoc in loco non in bono, ſed in malo eſt accipienda. Filius dexteræ quodammodo tunc miſer homo eſt, quando ſuimet dexteræ, ſuimet, inquam, virtuti, non divinæ bonitati attribuit, ſi quid lau- B. dabile vel virtuoſum in ſe ipſo invenerit, complacens ſibimet in ſuis meritis, quibus ſe cæteris præminere, in quibus familiariùs reliquis hominibus Deo ſe æſtimat complacere. *Diverteruntque ad eam, ut manerent ibi. Divertit ad urbē Gabaa, ut ibi maneat*, quando inſipientiæ ſuæ errorem homo non conſiderans, in eadem vanitate ſua & ſuperbia perſeverat. Unde & ſubditur:

Quò cùm intráſſent, ſederunt in platea civitatis, & nullus eos recipere volebat hoſpitio. Platea civitatis publica via dicitur, quæ intrantium & exeuntium pedibus ſemper teritur. Sed quid rectiùs per *plateam civitatis*, C. quàm hominis illius, qui hujusmodi eſt, miſerum cor deſignatur, quod tunc platea ingredientium & egredientium dæmonum fit, quando poſt veri ſolis occaſum, diverſis & inedicibilibus malarum immiſſionibus cogitationum miſerabiliter conculcatur. Sicque fit, ut *nullus eum hoſpitiô recipere* velit. Per *hoſpitium*, quod idcirco homo ingreditur, ut in eo requieſcere valeat, non immeritò interna requies deſignatur, quam cùm homo amittit, extra hoſpitium quodammodo manet, quia in eo, qui vera eſt requies, requieſcere non valet. Hanc ſanè requiem ſe amiſiſſe dolebat S. D.
Pſal. LXXVII. 4. Propheta David, cùm dicebat: *Renuit conſolari anima mea*. Ex hujus requiei amiſſione fit, ut nonnulli in ſpiritali converſatione poſiti, injuriari ſe, duriusque tractari à quibusdam interdum cauſentur, qui nihil mali adverſus eos cogitare vel machi-
Prov. XXVIII. 1. nari videntur. Unde Scriptura; *Fugit*, inquit, *impius, nemine perſequente.*

℣. XVI. *Et ecce, apparuit homo ſenex, revertens de agro & de opere ſuo veſperi, qui & ipſe de monte erat Ephraim, & peregrinus habitabat in Gabaa. Homines autem regionis illius erant filii Jemini.*

℣. XVII. *Elevatisque oculis, vidit ſenex ſedentem hominem cum ſarcinulis ſuis in platea civitatis: & dixit ad eum: unde venis, & quò vadis?*

℣. XVIII. *Qui reſpondit ei: profecti ſumus de Bethlehem Juda, & pergimus ad locum noſtrum, qui eſt in latere montis Ephraim, unde ieramus in Bethlehem: & nunc vadimus ad domum Dei, nullùsque ſub tectum ſuum nos vult recipere,*

℣. XIX. *Habentes paleas, & fenum in aſinorum pabulum, & panem ac vinum in meos & ancillæ tuæ uſus, & pueri, qui mecum eſt: nulla re indigemus niſi hoſpitio.*

Et ecce apparuit homo ſenex, revertens de agro & de opere ſuo veſperi. Per *hominem ſenem* iſtum, qui de agro revertitur, vetus noſter homo, qui corrumpitur, & aggravat animam, non incongruè accipitur, per *agrum* verò exercitium mali cordis, quòd à diabolo exaratur, per *opus* autem injuſta quælibet operatio deſignatur. Et benè dicitur; *revertens de agro*, quia quemadmodum canis ad vomitum ſuum, ſic ille ad malum mali cordis ſui ſemper revertitur exercitium. Nec prætereundum, quod additur; *veſperi*, quia malam cordis cogitationem & iniquam corporis operationem univerſa mox vitia ſequuntur, quæ per *veſperum* hoc in loco convenienter exprimuntur. Unde & aptè ſubjungitur; *Qui & ipſe erat de monte Ephraim, & peregrinus habitabat in Gabaa*: quia vetus homo, vetuſta, inquam carnalitas hominis de *monte Ephraim*, de frugifero monte virtutum ſemper ad ima tendit vitiorum. Un-
de Propheta; *Ephraim*, inquit, *factus eſt ſub-* Oſeæ VII. 8.
cinericius panis, qui non reverſatur. Et iterum:
Ephraim educit ad interfectorem filios ſuos. Sed Ibid. 13.
unde tale ei infortunium, niſi pro eo, quòd *peregrinus* ab amore Dei, à deſiderio vitæ cœleſtis, ſive virtutum *habitat in Gabaa*, in antiqua cordis ſui delectando præſumptione & ſuperbia. *Homines autem regionis illius filii erant Jemini.* Senſus hominis *filii Jemini*, quod interpretatur *dextera mea*, quodam̃odo fiunt, quando eum non in Dei, ſed in propria ſui virtute confidere faciunt.

Elevatisque oculis vidit ſenex ſedentem hominem cum ſarcinulis ſuis in platea civitatis.
Hoc in loco, ùt ait Pſalmiſta: *Nox nocti* Pſal. XVIII. 3.
indi-

Digitized by Google

indicat ſcientiam. Spiritus enim erraverat, A. caro occurrit, cernénſque eundem Spiritum ſedentem in ignobilitate ſui, *& ſarcinulis*, id eſt, innumerabilibus malis cogitationibus oppreſſum, *dicit ad eum: Unde venis? Aut quò vadis?* Quaſi dicat: A celſitudine intellectûs venis, & ad corruptionem vadis.

Qui reſpondet, & quaſi periculum ex hoc itinere ſibi futurum prænoſcens, nec tamen declinare volens, *dicit; Profecti ſumus de Bethlehem Juda, & pergimus ad locum noſtrum, qui eſt in latere montis Ephraim.* Ac ſi dicat; In magna dignitate conſtituti fuimus, quam diu *Bethlehem Juda*, ea quæ Dei B. ſunt, deſiderando inhabitavimus; ſed jam inde *profecti ſumus*, id eſt, cognitionem Dei & ſcientiam Sacræ Scripturæ reliquimus. *Et* nunc vadimus *ad domum Dei*, hoc eſt, ut ventri, qui jam Deus noſter factus eſt, ſatisfaciamus, & carnis deſideria pro velle & libitu noſtro explere valeamus.

Sed *nullus nos ſub tectum ſuum vult recipere, habentes paleas & fænum in aſinorum pabulum.* Deſiderata nobis carnis quies ad votum non ſuppetit, licèt ad reficiendos *aſinos*, interiores videlicet & exteriores ſenſus noſtros inutilibus cogitationibus, quæ per *paleas*, & gloriâ vel de- C. lectatione carnis, quæ per *fænum* accipitur, abundare videamur. Habemus etiam *panem & vinum in meos*, qui jam corruptus ſum, *& ancillæ tuæ*, id eſt, animæ meæ *uſus*, quæ ultrà dominationi tuæ ſubjacebit, *& pueri* qui mecum eſt, id eſt, puerilis ſenſus mei, qui ad omnia tibi ultrà obedire habebit. *Panis* iſte, quo miſer ſpiritus & anima hominis, & ſenſus puerilis ad explenda carnis deſideria feſtinans utitur, qualis & quàm inſanabilis ſit, ex

Job. XX. 14. verbis B. Job colligitur, qui ait: *Panis ejus in utero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus.* D. Huic tali pani vinum illud ſatis conve-

Deut. XXXII. 33. nit, de quo Moyſes in Cantico ſuo dicit: *Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* Nam quòd omnis interna ſanitas tunc in homine illo omnino interierit, ex ſequentibus ejus verbis ſatis intelligi poterit: *Nullâ*, inquit, *re indigemus, niſi hoſpitio tantùm.* Ac ſi dicat: Nihil quærimus, nihil deſideramus, niſi ut ſecun-

℣. XX. dùm carnis deſideria vivere valeamus.

Cui reſpondit ſenex: pax tecũ ſit, ego præbebo omnia, quæ neceſſaria ſunt: tantùm, quæſo, ne in platea maneas.

℣. XXI. *Introduxítque eum in domum ſuam, & pabulum aſinis præbuit: ac poſtquam laverunt pedes ſuos, recepit eos in convivium.*

℣. XXII. *Illis epulantibus, & poſt laborem itineris cibo & potu reficientibus corpora, venerunt viri civitatis illius, filii Belial, id eſt: abſque jugo, & circumdantes domum ſenis, fores pulſare cœperunt, clamantes ad Dominum domus, atque dicentes: educ virum, qui ingreſſus eſt domum tuam, ut abutamur eo.*

Cui reſpondit ſenex: Pax tecum. Pax iſta, quã miſera tunc carnalitas miſero ſpiritui offert, pax eſt deteſtabilis, pax inimica Deo, inimica virtutibus, amica diabolo & vitiis. *Ego*, inquit, *præbebo omnia, quæ neceſſaria ſunt.* Ad omnia quæ deſiderat anima tua, fidam me comitem, fidam adjutricem habebis: *tantùm quæſo, ne in platea maneas*, hoc eſt, ne ſolis cogitationibus immoreris.

Introduxitque eum in domum ſuam, & pabulum aſinis præbuit. Domum ſuam caro ſpiritum *introducit*, quando magis ac magis delectationibus ſuis eum illicit: *præbet etiam pabulum aſinis*, ſacietatem videlicet interioribus ſenſibus & exterioribus, ut quocunque ſe homo vertat, nihil præter delectationem carnis ei occurrat. Sicque fit, quod ſequitur: *Poſtquam laverunt pedes ſuos, recepit eos in convivium. Pedes* quippe *lavare*, eſt priora merita ſubſequentibus malis operibus delere & evacuare. Sicque *in convivium ſuum* hominem interiorem caro *recipit*, quando eum nihil præter ea, quæ carnis ſunt, ſapere vel quærere permittit.

Illis epulantibus, & poſt laborem itineris cibô ac potu reficientibus corpora, venerunt viri civitatis illius filii Belial. Benè quidem dicitur: *poſt laborem itineris*, quia magnum laborem homo patitur, antequam ea, quæ delectatio ſuggerit, opere conſummare poſſit. Sed poſtquam in malis operibus, quæ per *cibum*, & turpibus cogitationibus, quæ per *potum* deſignari poſſunt, delectari incipit, *mox filii Belial veniunt*, per quos inordinati motus corporis & animi non incongruè valent intelligi. *Belial* enim *abſque jugo* interpretatur. Iſti namque, ut

credo,

Digitized by Google

credo, ſunt viri illi, de quibus in Geneſi A.
Gen. VI. 4. legimus: *Poſtquam ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi.* Per viros iſtos potentes & famoſos gravia quælibet & criminalia vitia accipere poſſumus, quibus rectè convenit, quod ſubſequens litera dicit: *Et circumdantes domum ſenis, fores pulſare cœperunt.* Poſſunt per *fores* ſenſus intelligi hominis exteriores, per quos delectationum introitus fit ad interiores. *Clamant* filii Belial per hujusmodi fores *ad Dominum domûs*, quod eſt ratio hominis, *dicentes: Educ virum, qui ingreſſus eſt in domum tuam, ut abutamur eo. Educ* iniquum *virum*, quod eſt Spiritus, operibus noſtris B.
adhuc contrarius, *ut abutamur eo*, hoc eſt,
Ierem. II. 16. ut proſtituamus eum. *Filii Menpheos*, ait Propheta, *conſtupraverunt te usque ad internecionem.*

℣. XXIII *Egreſſusq́; eſt ad eos ſenex, & ait: Nolite fratres, nolite facere malum hoc, quia ingreſſus eſt homo hoſpitium meum, & ceſſate ab hac ſtultitia.*

Ac ſi dicat: Vos delectationes, quas propter ſocietatem vitiorum *fratres* appello, vos, inquam, carnales & mortales eſtis: ſpiritum verò, cùm immortalis ſit, corrumpere non poteſtis. Oſtendam autem vobis, ubi poſſitis ſatisfacere C.
concupiſcentiis veſtris.

℣. XXIV *Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, ut humilietis eas.*

Quod eſt dicere: *Habeo* carnem adhuc incorruptam, *& hic homo*, id eſt, ſpiritus, *habet concubinam*, quod eſt ſapientia, *educam eam ad vos*, educam, inquam, vobis carnem meam maculandam, & ſapientiam corrumpendam,

ut humilietis eas,

Id eſt, ut ab altitudine incorruptionis eas dejiciatis,

veſtramq́; concupiſcentiam adimpleatis:

Quia hæc eſt tota concupiſcentia diaboli & vitiorum, ut ſpiritum & animam hominis proſtituant. Quod autem ſequitur:

Tantùm obſecro, ne ſcelus hoc contra naturam operemini in virum.

Per hoc, ut æſtimo, dignitas ſpiritûs, qui eſt in homine, nobis denotatur, qui cùm ita conditus ſit, ut ſemper carni dominetur & præſideat; *contra naturam* eſt, ut eum vel ad momentum caro ſuæ dominationi ſubjiciat. Sed quia non ſufficit diabolo, ut carnem per malarum immiſſionem delectationum corrumpat, quin & ſpiritum hominis proſtituat, rectè ſubjungitur: *Nolebant acquieſcere ſermonibus ejus.* Quicunq́ue ergo huic diaboli & vitiorum importunitati reſiſtere noluerit, malis, quæ ſequens innuit litera, ſinè dubio ſubjacebit. Sequitur enim, quod idem homo cernens eorum obſtinaciam, concubinam ſuam ad eos eduxerit, eisque illudendam eam tradiderit.

Nolebant acquieſcere ſermonibus ℣. XXV.
illius. Quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam ſuam, & eis tradidit illudendam: qua cùm tota nocte abuſi eſſent, dimiſerunt eam mane.

At mulier recedentibus tenebris, ℣. XXVI.
venit ad oſtium domus, ubi manebat dominus ſuus, & ibi corruit.

Mane facto, ſurrexit homo, & a- ℣. XXVII.
peruit oſtium, ut cœptam expleret viam: & ecce concubina ejus jacebat ante oſtium ſparſis in limine manibus.

Per *concubinam*, ùt ſuprà diximus, ſapientiam hominis accipimus, quam miſer homo miſerabiliter *educere* dicitur, quando præceps ad omnia, quæ caro & carnalis delectatio ſuggerit, illuſio dæmonum efficitur. *Educere* namque *concubinam*, eſt amittere ſapientiam. Sequitur: *Quâ cùm tota nocte abuſi eſſent, dimiſerunt eam manè. At mulier recedentibus tenebris, venit ad oſtium domus, ubi manebat dominus ſuus, & ibi corruit.* Per *oſtium domus*, ad quod
D. *mulier venit, ſtatimque corruit*, delectatio carnalis non immeritò exprimi poterit, quia mox ut interioris virtus hominis ex delectatione carnis emollitur, perit ſapientia, quemadmodum aliunde Sacra teſtatur Scriptura: *Mors* inquit, *ſecus introitum delectationis poſita eſt.*

Mane factò ſurrexit homo, & aperuit oſtium, ut cœptam expleret viam. In Scriptura Sacra ſolet *mane* plerumque in bono, plerumque accipi in malo. De *mane* malo dicit Salamon: *Væ terræ, cujus Rex puer eſt, & cujus Principes mane comedunt. Mane* malum & omnino ſalutis ſuæ contrarium homo habet,

habet, quando in peccatis proſperatur, quando ad votum omnia occurrunt, in quibus miſera caro miſerabiliter delectatur. In hac ſanè infelici peccatorum proſperitate *ſurgit homo, aperitque oſtium, ut cœptam expleat viam, ſurgit*, inquam, ad conſummationem mali, ad quod maledulci carnis delectatione, quæ per *oſtium* accipitur, ut captivus ſuique per omnia impotens effectus miſerabiliter impellitur. Mox igitur ut hôc modô contra Deum propriamque ſui ſalutem homo *ſurgit*, magnum ei infortunium occurrit, ſicut ex ſubſequenti ordine verborum colligitur, ubi *jacentem ante oſtium ſparſis in limine manibus concubinam inveniſſe* deſcribitur. Si per *oſtium* delectationem intelligendam diximus, non incongruè introitum delectationis per *limen* accipimus. Nam cùm teſte ſcriptura, ſicut præmiſimus, ſecus introitum delectationis mors ſit poſita, miſerabiliter *concubina jacet in limine*, quando ſapientia ex multitudine malarum delectationum annihilata perit in homine. Jacet etiam *ſparſis manibus*, quia omnia tranſactæ vitæ merita, quæ per *manus* accipimus, miſerè quodammodo *ſparguntur*, quando ex ſuccedentibus vitiis annullata, quaſi nihilum & inane coram Deo reputabuntur. Sed cùm totum hoc, quod diximus, inviſibiliter intus in homine agatur, propriam ſui infelicitatem haud facilè miſer homo agnoſcit, ſicut ſequentibus ſatis verbis demonſtratur. Sequitur enim, quòd quieſcere concubinam putaverit, quando mortuam in limine jacentem eam conſpexerit.

℣. XXVIII. *Cui ille putans eam quieſcere loquebatur: ſurge, & ambulemus. Qua nihil reſpondente, intelligens, quòd erat mortua, tulit eam, & impoſuit aſino, reverſúsque eſt in domũ ſuam.*

℣. XXIX. *Quam cùm eſſet ingreſſus, arripuit gladium, & cadaver uxoris cum oſſibus ſuis in duodecim partes ac fuſtra concidens, miſit in omnes terminos Iſraël.*

℣. XXX. *Quod cùm vidiſſent ſinguli, conclamabant: nunquam res talis facta eſt in Iſraël ex eo die, quo aſcenderunt patres noſtri de Ægypto, uſque in præſens tempus: ferte ſententiam, & in comune decernite, quid facto opus ſit.*

Putat infelix homo *concubinam quieſcere*, quia vitalem ſibi adhuc motum ſapientiæ, quá jam amiſit, ſperat ineſſe, ideoque quia ſociam itineris mali, itineris nefandi eam habere deſiderat, admonet illam, *ut ſurgat, & eat. Surge*, inquit, *& ambulemus. Quâ nihil reſpondente, intellexit, quòd eſſet mortua. Nihil reſpondet* homini ſua ſapientia, quando malum, quod nihil eſt niſi privatio boni, in ſua operatur inſipientia. Quòd autem poſt negatum reſponſum tandem eam eſſe *mortuam* intellexit, quid per hoc nobis innuitur, niſi quòd quisque inſipiens inſipientiam ſuam vix aut nullô modo agnoſcit, quoad usque amiſsô bonô, quod habuit, tribulationibus & adverſitatibus tundi & vexari cœperit? Unde Iſaias: *Sola* Iſa. XXVIII, 9. *tantummodo*, inquit, *vexatio intellectum dabit auditui.* Sed ſi ab æterna vexatione liberari deſiderat, faciat, neceſſe eſt, ſicut ſæpè dictum hunc Levitam cum mortua uxore ſua feciſſe, hiſtoria narrat. *Tulit*, inquit, *eam & impoſuit aſino, reverſusque eſt in domum ſuam.* Aſino mortuum ſuum imponit, quando corpus ſuum, quod per *aſinum* intelligitur, pro multimodis exceſſibus multimodis affligere incipit laboribus: ſicque demũ *in domum ſuam revertitur*, quando intus in corde ſuo & conſcientia digná pro comiſſis pœnitentiá afficitur. Unde Propheta: *Redite*, inquit, *prævaricatores ad cor.* Iſa. XLVI, 8.

Mox ergo ut hôc modô in domum ſuá, quod eſt cor ſuum, reverſus fuerit, *arreptô gladiô* ſpiritûs, quod eſt verbum Dei, *cadaver uxoris cum oſſibus ſuis in duodecim partes ac fruſta concidens, mittit in omnes terminos in Iſraël.* Per *exanimatum cadaver uxoris* vita exanimata ſive deſtituta vigore ſapientiæ, per *oſſa* verò fortia quælibet opera poſſumus intelligere. *Cadaver cum oſſibus concidit*, quando non ſolùm inſipientiam cogitationum, verborum & operum in amaritudine animæ ſuæ recogitat, ſed etiam bonum quod fecit, quâ intentione fecerit, diligenter diſcutit & examinat. Sicque fit, ut exanimata & infatuata hominis illius vita *in duodecim partes & fruſta*, quod eſt perfectio Decalogi, & gemina dilectio Dei & proximi, ſalubriter *dividatur, & in omnes terminos Iſraël*, in omnes videlicet terminos virtutum tranſmittatur. Quod tunc revera agitur, quando juxta inſtitutionem præceptorum Dei vitam ſuam ſtudet diſponere, & totum quod poteſt ſolummodo pro dilectione Dei & proximi incipit facere.

Quod videntes ſinguli conclamabant. Per *ſingulos* iſtos, qui hoc in loco *conclamâſſe* referuntur, ſingulos hominis ſenſus non incongruè poſſumus intelligere, qui ſingulares, id eſt, ſoli quodammodo ſunt ſine cohabitatione ſapientiæ. Qui cùm hominem infatuatam vitam ſuam in duodecim has, de quibus diximus, partes concidiſſe conſpiciunt, mirùm in modum *clamare* incipiunt. *Clamant* ſenſus interiores pro multiplici evagatione cogitationum, *clamant* ſenſus exteriores pro diſſolutione operationum, fitque clamor ingens & magnus in corde hominis intrinſecus, quando ſingulariter deplorare incipit, quòd ſingulis contra Deum ſenſibus ſe deliquiſſe meminit. Et eſt quodammodo, quaſi ſinguli tunc ſenſus hominis conclament atque dicant: *Nunquam res talis facta eſt in Iſraël, ex eo die, quo aſcenderunt patres noſtri de Ægypto, uſque in præſens tempus. Ex eo die*, id eſt, ex illo ſupernæ viſitationis tempore, *quo patres noſtri*, corpus videlicet & anima, & ſpiritus noſter, ex tenebroſa converſatione ſæculi, quod eſt *Ægyptus, aſcenderunt*, tantæ miſeriæ, tantæque infelicitati nunquam ſubjacuerunt. Nam tunc demum homo cognoſcit, nihil deteriùs, nihil unquam excogitari poſſe infeliciùs, quàm DEum Creatorem ſuum ſpernere, & poſt vanitates & concupiſcentias carnis incedere, teſte Propheta qui ait: *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* (Pſal. XLVIII. 13.) Unde nihil ſibi meliùs, nihil ſaluti ſuæ viciniùs æſtimat, quàm ut totum ſe cum omnibus ſenſibus ſuis ad dignam pœnitentiæ ſatisfactionem humiliter conferat. Et ideo mox eoſdem ſenſus ſuos affatur, & agnoſcere quid faciendum ſit, non ſegniter cohortatur. *Ferte*, inquit, *ſententiam, & in commune decernite, quid facto opus ſit.* Quaſi dicat: Quia ſic miſerabiliter cecidimus, quia ad tantam calamitatis miſeriam devoluti ſumus; *ferte ſententiam* per timorem futuri judicii, *in commune decernite* per amorem Dei, *quid facto opus ſit.* Opus eſt itaque, ut impleantur vaſa oleo, & creditori reddatur, & vidua liberetur.

Cap. XX.

℣. I. *EGreſſi itaque ſunt omnes filii Iſraël, & pariter congregati, quaſi vir unus, de Dan uſque Berſabee, & terra Galaad, ad Dominũ in Maſpha:*

℣. II. *Omnéſque anguli populorum, &* A. *cunctæ tribus Iſraël in Eccleſiam populi Dei convenerunt, quadraginta millia peditum pugnatorum.*

Egreſſi ſunt itaque omnes filii Iſraël, & pariter congregati, quaſi vir unus, de Dan uſque Berſabee, & terra Galaad, ad Dominum in Maſpha. Omnes ſenſus hominis interiores & exteriores, quos per *filios Iſraël* intelligere valemus, feliciter egrediuntur, quando relicta inutilium multiplicitate ſive duplicitate cogitationum, verborum & operum, conſentiendo ſpiritui, *quaſi vir unus* efficiuntur. Sed notandũ eſt, unde *egrediantur*, vel quare tam unanimi conſenſu ſpiritui aſſociari elegerint, vel quò eodẽ conſenſu ſuo pertingere diſpoſuerint. B. *Egrediuntur* ſanè *de Dan uſque Berſabee, & terra Galaad*, ut venire mereantur *ad Dominum in Maſpha. Dan*, quod *judicium* ſonat, fidem non incongruè ſignificat: quia propter timorem tremendi judicii, quod ſuperventurum univerſo orbi credit, à peccatorum voragine ſublevare ſe ipſũ homo, & temperare incipit. Per *Berſabee* autem, quod *puteus ſeptimus* interpretatur, ſpes non inconvenienter deſignatur: quia ſpes æternæ remunerationis erigit hominẽ & confortat, ut præſentis vitæ anguſtias & tribulationes æquanimiter tolerare pro Domino valeat. C. Sed per *Galaad*, quod *acervus teſtimonii* dicitur, charitas non immeritò exprimitur: quia qui perfectam Dei charitatem perfectè poſſederit, huic nullus pro Domino labor ſufficit, ſed ſemper bonum bono coacervat, quatenus Dominum *in Maſpha*, id eſt, in ſpeculativa dulcedine mundo corde videre valeat. *Maſpha* enim interpretatur *ſpecula*.

Sed & aliô modô per *Dan*, quod interpretari *judicium* diximus, judicium illud quô ſeipſum hac in vita ſalvandus quiſque dijudicat, ſignatur: D. per *puteum* verò *ſeptimum*, juſtitia, quam ſeptiformis S. Spiritûs gratia in homine operatur: per *acervum* autem *teſtimonii* Sacra Scriptura poteſt intelligi. His tribus verbis rectè convenit, quod aliàs per Prophetam Dominus dicit: (Mich. VI. 8.) *Indicabo tibi homo, quid ſit bonum, aut quid Dominus requirat à te, facere judicium & juſtitiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* Omnis qui ad Dominum in Maſpha venire deſiderat, ex acervo teſtimonii, ex acervo, inquam, Sacræ Scripturæ, colligat, quàm cautè, quàm ſolicitè ambulare cum Deo debeat. *Solicitè* quidem cum Deo ſuo graditur,

Digitized by Google

tur, qui opere implet, quod ſubſequenti A. ordine verborum myſticè exprimitur.

Omnes, inquit, anguli & cuncta tribus Iſraël in Eccleſiam populi Dei convenerunt, quadringenta millia peditum pugnatorum. Omnes anguli populorum omnia ſunt ſecreta cogitationum, *cuncta* autem *tribus Iſraël* cunctæ ſunt diſpoſitiones ſenſuum interiorũ ſive exteriorum, qui dum *ſimul in Eccleſiam*, id eſt, in collectionem bonorum cogitationum, bonorum verborum, bonorum operum, quod eſt *populus Dei, conveniunt*, numerô quaſi *quadringenta millia peditum pugnatorum* fiunt. Sub numero *quadringentorum millium* quatuor cardinales virtutes intelli- B. gi poſſunt cum univerſis ſimul virtutibus, quæ ex ipſis procedunt. *Pedites* verò *pugnatores* fortes quoſque activæ vitæ deſignant labores, qui ſemper eos debent præire, qui in *Maſpha*, id eſt, qui ad incomparabilem ſpeculativæ dulcedinis gratiam cupiunt tranſire: quia niſi quis in activa primùm vita, quaſi pedeſtri exercitatus certamine, pugnare contra vitia didicerit, ad nobilem ſpeculativæ vitæ militiam venire non poterit. Sed ſicut ſubſequens litera oſtendit, nobilis iſte filiorum Iſraël aſcenſus filios Benjamin latere non poterit,

℣. III. *Nec latuit filios Benjamin, quòd aſ- C. cendiſſent filii Iſraël in Maſpha. Interogatúſque Levita, maritus mulieris interfecta, quomodo tantum ſcelus perpetratum eſſet,*

℣. IV. *Reſpondit: veni in Gabaa Benjamin cum uxore mea, illucque diverti:*

℣. V. *Et ecce homines civitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, & uxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua eſt.* D.

℣. VI. *Quam arreptam, in fruſta concidi, miſique partes in omnes terminos poſſeſſionis veſtra: quia nunquam tantum nefas, & tam grande piaculum factum eſt in Iſraël.*

℣. VII. *Adeſtis omnes filii Iſraël, decernite, quid facere debeatis.*

Nec latuit, inquit, *filios Benjamin, quòd aſcenderint filii Iſraël ad Dominum in Maſpha.* Filios Benjamin, filios, inquam, ſuperbiæ, quod ſunt maligni ſpiritus, nec non & univerſa vitia, quæ ex malignis eorum naſcuntur immiſſionibus, nullô modô poterit celari, quando filii Iſraël per veram cordis humilitatem ad inæſtimabilẽ contemplativæ dulcedinis aſcendere incipiunt dignitatem: quia quantò hominem in virtutibus & virtuoſis actibus aſcendere conſpiciunt; tantò duriùs inſanire contra eum diverſis tentationibus incipiunt. Sed has eorum inſanias facilè homo declinare poterit, ſi conſtans in humilitatis aſcenſu diligenter ſemetipſum attendere intrinſecus ſtuduerit, transgreſſiones ſuas humiliter agnoſcendo, agnitas verò flebili cordis voce divinæ bonitati jugiter confitendo. Nam hoc eſt quod ſequentibus nobis verbis iñuitur, ubi Levita, maritus mulieris interfectæ, de perpetrato in ea ſcelere & interrogatus, & ad interrogata quaſi cõfeſſionis verba reſpondiſſe deſcribitur.

Veni, inquit, *in Gabaa Benjamin cum uxore mea.* Hæc ſanè interrogatio eſt ſubtilis & ſolicita diſcuſſio cogitationum inter ſe invicem accuſantium, aut etiam defendentium in die, cùm judicabit DEus occulta hominum: quia cùm ex timore futuri judicii ad ſe intra ſe homo reverſus recogitare cœperit, quid factis, quid dictis, quid cogitationibus illicitis contra Deum Creatorem ſuum deliquerit, totius infortunii ſui initium & cauſam ſolam eſſe conſiderat ſuperbiã. Initium enim peccati omnis ſuperbia. Unde graviter afflictus in ſemetipſo, quaſi coram omnibus filiis Iſraël humiliter confitetur Domino: *Veni*, inquit, *in Gabaa Benjamin cum uxore mea, illucque diverti.* Acſi dicat: Ad ſuperbiã proh dolor! corde & animo pronus eram, injuſtâ deceptus fiduciâ ſocietatis, illucque diverti relicta anguſta via humilitatis.

Et ecce homines civitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, & uxorem meam incredibili libidinis furore vexantes. Homines civitatis illius, irrationabiles videlicet motus cordis ſive corporis præcedentes, nec ampliùs ſe occultare valentes, *circumdederunt nocte* tentationum *domum, in qua manebam*, id eſt, ſecuritatem, quæ eſt mater negligentiæ, in qua malè ſopitus requieſcebam, me ſpiritum, qui incorruptibilis ſum, gladiô Regis Babylonis, qui eſt gladius perverſæ concupiſcentiæ, *occidere* deſiderantes, *& uxorem meam incredibili libidinis furore*, qui ex delectatione ſuperbiæ & vanæ gloriæ procedit, *vexantes.* Incredibilis enim eſt furor dæmonum, vitiorum, peccatorum, quo anima illa vexatur,

Digitized by Google

tur, quæ à ſapientia Dei alienatur. Qui furor benè *libidini* comparatur: quia ſola animæ pollutione & perditione diabolus paſcitur & delectatur. Sed unde diabolus paſcitur & vivit, inde miſera anima moritur & perit, ſicut ex ſubſequentibus verbis ſæpè dicti Levitæ manifeſtè poſſumus intelligere: *Denique*, inquit, *mortua eſt.* Moritur anima miſerabiliter in ſemetipſa, quando relicto Deo Creatore ſuo, in quo & per quem vivere debuit, ſuggerente diabolo, qui eſt mors animæ, vitiis & concupiſcentiis delectabiliter inſiſtere non metuit. Vita enim animæ Deus & virtutes: B. mors verò diabolus & vitia.

Omnis igitur homo, cujus anima miſerabili huic morti ſuccubuit, vel ſuccubuerit, neceſſe habet, ut Levitam iſtum imitetur, & animali vitâ ſuâ in *duodecim fruſta & partes conciſâ*, id eſt, ad obſervantiam decem præceptorum & dilectionem Dei & proximi feliciter, ſicut præmiſimus, diviſa, *omnes filios Iſraël*, omnes videlicet ſenſus ſuos interiores & exteriores, ſolicitè ad ſe intra ſe colligat, conſilium quærens ab eis & auxilium, quomodo dignè pro commiſſis Deo ſatisfacere debeat.

Adeſtis, dicat, *omnes filii Iſraël, decernite quid facere debeatis.* Quaſi dicat: Omnes C. vos ſenſus mei, quos ad me intra me collectos calamitatibus meis unanimiter jam adeſſe video, *decernite, quid facere debeatis*, conſtanter, inquam, inſiſtite, ut miſeram animam meam, quæ vigore ſapientiæ deſtituta quaſi mortua apparet, internæ vitæ & ſanctitati laboribus veſtris reſtituatis. Mox ergo ut ſpiritus, qui eſt in homine, ſenſus ſuos interiores & exteriores in hunc modum alloquitur, fit procul dubio quod ſequitur:

℣. VIII. *Stansq; omnis populus, quaſi unius hominis ſermone reſpondit: non recedemus in tabernacula noſtra, nec* D. *ſuam quisquam intrabit domum:*

℣. IX. *Sed hoc contra Gabaa in commune faciamus.*

℣. X. *Decem viri eligantur è centum ex omnibus tribubus Iſraël, & centũ de mille, & mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, & poſſimus pugnare contra Gabaa Benjamin, & reddere ei pro ſcelere, quod meretur*

Stansque omnis populus, quaſi unius hominis ſermone reſpondit. Sub nomine *omnis iſtius populi*, ſpiritum, corpus & animam hominis credo non incongruè poſſe deſignari. De hoc enim populo alibi dicitur: *Et aures totius populi erant erectæ ad librum.* Stare quidem omnis populus, & erectas ad librum aures habere dicitur, quando homo totus ad timorem & amorem Dei erectus ea, quæ ex teſtimonio Sacræ Scripturæ facienda didicit, operibus efficaciter implere non refugit. Sic ſic cùm ex timore & amore Dei ſtare in virtutibus incipit, quaſi unius ſermone hominis reſpondet: *Non recedemus in tabernacula noſtra.* Spiritus & anima & corpus hominis unus homo fiunt, quando unum, quod ſolum eſt neceſſarium, tota intentione requirunt. Ad hoc unum conſequendum totus intrinſecus ardebat incomparabilis homo ille, Propheta ſcilicet David, qui dicebat: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Sed quis eſt ſermo iſte, quem jam dictus ille populus reſpondere incipit, quando ad quærendum unum illud neceſſarium ſic unitus in ſemet ipſo fuerit? Eſt revera ſermo idem, quem & filii Iſraël reſponderunt, quando audito ſcelere perpetrato in muliere unanimiter dixerunt: *Non recedemus in tabernacula noſtra, nec ſuam quisque intrabit domum.* Qualiter homo ſalvandus in tabernacula ſua non recedere, propriæque domûs introitum negare ſibimet ipſi poſt prævaricationem debeat, prædictus Propheta David verbis ſuis evidenter nobis inſinuat: *Si aſcendero in lectum ſtrati mei, ſi dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis: donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Ergo *in tabernacula non recedere, neque in propriam domũ intrare*, ſignificat hominem pœnitentẽ debere totius quietis carnalis dulcedinem ſibimet denegare. Et eſt, quaſi ſpiritus, anima hominis, & corpus ad pœnitentiam & ſatisfactionẽ ſe invicem cohortentur & dicant: omni quiete carnis & dulcedine poſtpoſita, in tabernacula noſtra non recedemus, *ſed hoc contra Gabaa in cõmune faciemus.*

II. Eſdr. VIII. 3.

Pſal. XXVI. 4.

Pſal. CXXXI. 3.

In commune populus jam præmiſſus *contra Gabaa* inſurgit, quando contritione cordis, afflictione animi, & labore corporis ea, quæ ſuperbè commiſit, per humilem pœnitentiam punire in ſemetipſo incipit.

Decem, inquiunt, *viri eligantur è centum ex omnibus tribubus Iſraël, & centum de mille, & mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria.* Per *decem*, ùt æſtimo, Decalogus, per *centum* perfectio Evangelii, per *mille* univerſa virtutum perfectio non incon-

Digitized by Google

congruè intelligitur, ad quæ præmiſſus A. ille populus transferre ſe ipſum nititur, quando pro multimoda tranſactæ vitæ imperfectione veraciter intrinſecùs pœnitendo compungitur. Et eſt, quaſi dicat: Eligamus Decalogum ex omni perfectione veteris teſtamenti, *centum de mille* ex omni perfectione Evangelii, *mille de decem millibus*, quidquid perfectionis poteſt inveniri in ſcripturis, ſive univerſis virtutibus, *ut comportent exercitui cibaria.* Quod dicitur: *ut comportent*, per hoc ſatis oſtenditur, quàm communi ſtudio bonorum operum, cogitationum & verborum homo providere debeat, ne exercitus ſenſuum B. interiorum ad ſumam perfectionis tendentium fame pereat. Nutrimenta namque ſpiritûs ſunt lectio divina, orationes aſſiduæ, & ſermo doctrinæ. His ſanè *cibariis* ſi homo interior jugiter cibatus fuerit, viriliter *pugnando* contra Benjamin *reddere ei pro ſcelere quod meretur poterit.* Sed quæ ſint arma, quibus Benjamin, Gabaa, quod eſt injuſta ſanctitatis præſumptio, expugnata, exterminari valeat, egregius Doctor gentiũ Paulus evidenter nobis inſinuat: *Arma*, inquit, *militiæ noſtræ non carnalia*, C. *ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.*

II. Corinth X. 4. &c.

℣. XI. *Convenitq́ univerſus Iſraël ad civitatem quaſi homo unus eadem mente, unoq́ conſilio.*

℣. XII. *Et miſerunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent: cur tantum nefas in vobis repertum eſt?*

℣. XIII. *Tradite homines de Gabaa, qui hoc* D. *flagitium perpetrârunt, ut moriantur, & auferatur malum de Iſraël. Qui noluerunt fratrum ſuorum filiorum Iſraël audire mandatum.*

℣. XIV. *Sed ex cunctis urbibus, quæ ſortis ſuæ erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, & contra univerſum populum Iſrael dimicarent.*

Convenitque univerſus Iſraël ad civitatem quaſi unus homo eadem mente, unoque conſilio. Univerſus Iſraël, ſicut præmiſimus, ſignificat ſpiritum, animam hominis & corpus, qui ad civitatem *quaſi unus homo conveniunt*, quando ſenſus interiores & exteriores ſe ad ſe intra ſe colligunt, illud unum, quod ſolum, teſte Domino, eſt neceſſarium, requirentes, *eadem mente*, id eſt, eadem intentione, *unoq́ conſilio* ſerviendi atque placendi Domino.

Hoc itaque modo convenientes, mittunt nuncios ad omnem tribum Benjamin, ad præſumptionem ſcilicet ſanctitatis, hujuſmodi legatione * fungentes. *Cur tantum nefas in vobis repertum eſt?* Iſti ſiquidem nuncii ſunt timor & amor Dei. Qui dum de ſupernis ad cor hominis mittuntur, in hunc modum illud alloquuntur: *Cur tantum nefas inter vos repertum eſt?* Ac ſi dicant: Cur homo, cùm ſis pulvis & cinis, in ſublime erigeris?

* Cod. legationem.

Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrârunt, ut moriantur, & auferatur malum de Iſraël. Tradite, inquiunt, per pœnitentiam & confeſſionem ſenſus animales alta ſapientes, *ut moriantur* diabolo & vitiis, & vivant Deo & virtutibus, *& auferatur malum de Iſraël*, malum ſcilicet ſuperbiæ, de qua germen pullulat totius malitiæ & nequitiæ. *Qui noluerunt audire fratrum ſuorum filiorum Iſraël mandatum, ſed ex cunctis urbibus, quæ ſuæ ſortis erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, & contra populum Iſraël dimicarent.* Non vult præſumptio ſanctitatis audire præcepta humilitatis, *ſed ex cunctis urbibus* cogitationum, verborum, operationum, *in Gabaa*, in altitudine videlicet cordis, *conveniunt*, & *ut contra univerſum populum Iſraël*, id eſt, ut contra univerſas virtutes dimicare valeant, *auxilium* eis ſuperbiæ & vanæ gloriæ unanimiter conferunt.

℣. XV. *Inventiq́ ſunt viginti quinque millia de Benjamin educentium gladium præter habitatores Gabaa,*

℣. XVI. *Qui ſeptingenti erant viri fortiſſimi, ita ſiniſtra ut dextra prælиantes, & ſic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.*

℣. XVII. *Virorum quoque Iſrael, abſque filiis Benjamin, inventa ſunt quadringenta millia educentium gladios, & paratorum ad pugnam.*

℣. XVIII. *Qui ſurgentes venerunt in domum Dei, hoc eſt, in Silo: conſulueruntque Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu noſtro prin-*

Digitized by Google

ceps certaminis contra filios Benja- A. *min? Quibus reſpondit Dominus: Judas ſit Dux veſter.*

Inventique ſunt viginti quinque millia de Benjamin educentium gladium. De præſumptione ſanctitatis naſcitur omnis abundantia iniquitatis, quæ de carnalibus quinque ſenſibus procedit, per quam amor Dei & proximi, qui per *viginti* deſignatur, in homine refrigeſcit. Sed quid eſt quod dicitur: *educentium gladium?* Gladius iſte idem eſt, de quo ſuperiùs diximus, gladius videlicet Regis Babylonis, quem gladium perverſæ concupiſcentiæ appellari poſſe B. prænotavimus.

Sed & *habitatores Gabaa ſeptingenti erant viri fortiſſimi.* Per *habitatores Gabaa* filios ſuperbiæ accipimus, qui benè *ſeptingenti* fuiſſe deſcribuntur; quia per hunc numerum deſignatur univerſus exercitus vitiorum, editus ex ſeptem principalibus vitiis, de matre ſuperbia generatis. Et iſti ſeptingenti viri ſunt *fortiſſimi*, ad exterminandas virtutes violentiſſimi, *ità ſiniſtrâ ùt dexterâ prælïantes. Siniſtrum* eſt omne, quod eſt vitiorum. *Siniſtra quidem ùt dextera præliantur*, qui ita de malefactis ſicut de benefactis
Prov. II. 14. gloriantur. De talibus Salamon: *lætantur*, inquit, *cùm malefecerint, & exultant in rebus* C. *peſſimis.* Sed quid eſt quod ſubjungitur, quia *ſic fundis ad certum jactarent lapides, ut capillum quoque percutere poſſent?* Per *fundam*, quæ quantò ſæpiùs immiſſo lapide manu tenentis circumfertur, tantò duriùs ferit, quem ferire quærit, rotatus ſive decurſus cogitationum convenienter accipi poterit. Ex hujus fundæ rotatu, quam mala ſuperbia mala manu ſua circumfert, jactantur lapides, miſerum cor hominis miſerabiliter ferientes. Lapides iſti, ſunt inſenſati motus animi, qui dum ſuperbia D. agitante rotari & circumferri interiùs incipiunt, durum & lapideum cor hominis
Pſal. XI. 9. efficiunt. Hinc dicit Pſalmiſta: *In circuitu impii ambulant.* Et iterum: *Audivi vi-*
Pſal. XXX 14. *tuperationem multorum commorantium in circuitu.* Ex his igitur fundis ſeptingenti illi ſic *ad certum* inevitabiles hos lapides jactant, *ut capillum* quodammodo *percutere valeant.* Capillus ſiquidem capitis, qui ex multis, ſed minutis crinibus conſtat, minutiſſimarum collectionem cogitationum non incongruè ſignificat, quam ita exercitus ille vitiorum percutere nititur, *ut nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferatur.* Rectè quidem ictus lapidis *nequaquam in alteram partem deferri* dicitur, quia rotatus inanium cogitationum nunquam in corde hominis ſine læſura peccati agitur.

Sed & *virorum Iſraël abſque filiis Benjamin*, filiis ſcilicet præſumptionis, *inventa ſunt quadringenta millia educentium gladium, & paratorum ad pugnam.* Per *quadringenta millia* accipi poſſunt quatuor cardinales virtutes cum univerſis virtutibus ex ipſis procedentibus.

His quadringentis millibus, ſi viri Iſraël, interiores videlicet & exteriores ſenſus conſtipati fuerint, & *educentes gladium* ſpiritus, quod eſt verbum Dei, ad pugnandum contra ſpiritales nequitias paratos ſemetipſos exhibuerint, *ſurgere* tandem & *venire in domum Dei*, hoc eſt, *in Silo poterunt.* Feliciter quippe *ſurgunt*, cùm à ſomno torporis & negligentiæ viriliter ſemetipſos excutiunt. *Veniunt* autem *in domum Dei*, quod eſt proprium cor eorum, quæ non inconvenienter *Silo*, id eſt, *avulſio* ſive *excalceatio* interpretatur, cùm ipſius adjutorio abjectis peccatis vetus homo feliciter excalceatur. In hanc ſanè domum cùm pervenerint, à peccatis ſemetipſos, quantùm poſſunt, avellentes, *conſulere* tandem *Dominum* incipiunt dicentes: *Quis erit in exercitu noſtro princeps certaminis contra filios Benjamin? Conſulunt* orando, *dicunt* auxilium Majeſtatis ejus ſolicitè quærendo: *quis erit in exercitu noſtró princeps certaminis?* Ac ſi dicant: Quô duce, Domine, exercitus virtutum præſumptionem ſanctitatis debellare poterimus? *Quibus reſpondit Dominus: Judas ſit dux veſter.* Judas cùm *confeſſio* interpretetur, quid rectiùs per talẽ ſui reſponſionẽ quàm perfectam confeſſionẽ miſericors Dominus, ſemper ad indulgendũ paratus, nobis commendare videtur? *Judas*, inquit, *ſit dux veſter.* Vera, inquit, confeſſio peccatorum ſpiritalis vobis militiæ præbeat ducatum.

Statimq́; filii Iſrael ſurgentes ma- ℣. XIX.
nè, caſtrametati ſunt juxta Gabaa.

Mane quippe *ſurgunt*, dum in fervore ſpiritûs militiam ſpiritalem arripiunt. *Juxta Gabaa* verò, quod eſt altitudo cordis, *caſtràmetantur*, quando de meritis ſuis non Dei, ſed propriam ſui gloriam quærentes, incautè intrinſecus extolluntur.

Et inde procedentes ad pugnã cõtra ℣. XX.
Benjamin, urbẽ oppugnare cæperunt.

Inde quippe, id eſt, in eadem cordis ſui altitudine, *procedentes ad pugnam* ſpiritalem *contra Benjamin, urbem*, id eſt, munitionem cogi-

cogitationum, verborum & operum *oppugnare incipiunt.* Sed tamen quia Gabaa in confinio adhuc habent, quia ſuperbiæ malô intrinſecùs non carent, nihil pugnando proficiunt. Quod ſequens ordo verborum patenter innuit, qui egreſſos filios Benjamin de Gabaa occidiſſe de filiis Iſraël illo die viginti duo millia virorum dicit.

✝. XXI. *Egreſſiq́; filii Beniamin de Gabaa, occiderunt de filiis Iſraël die illo viginti duo millia virorum.*

✝. XXII. *Rurſum filii Iſraël & fortitudine & numero confidentes, in eodẽ loco, in quo priùs certaverant, aciem direxerunt:*

✝. XXIII *Ita tamen, ut priùs aſcenderent & flerent coram Domino uſq; ad noctem: conſulerentq́; eum, & dicerent: debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratres meos, an non? Quibus ille reſpondit: aſcendite ad eos, & inite certamen.*

✝. XXIV. *Cumq́; filii Iſraël altera die contra filios Beniamin ad præliũ proceſſiſſent,*

✝. XXV. *Eruperunt filii Beniamin de portis Gabaa: & occurrentes eis, tanta in illos cæde bacchati ſunt, ut decem & octo millia virorum educentium gladium proſternerent.*

Per duos dies pugnâſſe filios Iſraël, hoſtibusque ſuccubuiſſe legimus, tertia tandem die pugnaverunt, hoſtibusque ſuperiores extiterunt. *Prima* quippe *dies* eſt converſio, ſive laudabilis vitæ inchoatio. *Secunda dies* medietas, vel probatio. *Tertia dies* perfectio, ſive remuneratio. Egreditur namque præſumptio ſanctitatis de altitudine cordis, & occidit de filiis Iſraël, de numero videlicet virtutum, *illo die*, qui eſt dies inchoationis, *viginti duo millia*, id eſt, cogitationum & operationum ſtudia ad amorem Dei & proximi pertinentia.

Rurſum filii Iſraël & fortitudine & numero confidentes, in eodem loco in quo prius certaverant, aciem direxerunt. Exercitus virtutum *rurſum* fortitudine religionis ſuæ *& numero* bonorum operum *confidentes, in eodem loco, in quo priùs certaverant*, juxta Gabaa videlicet, quæ eſt altitudo cordis, *aciem* contra vitia *dirigunt, ità tamen*, ut, quemadmodum ſequitur, *priùs aſcendant & fleant coram Domino uſque ad noctem, conſulentes eum*

A. *atque dicentes: Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Benjamin fratres noſtros, an quieſcere?* Aſcendunt ſanè, quando aſcenſiones aliquantulas in corde ſuo diſponunt in convalle lachrymarum, ſicque *aſcendentes & flentes coram Domino uſque ad noctem*, uſque ad deſideratam videlicet peccatorum recognitionem, pertingere ſatagunt. In hac quippe nocte *conſulunt Dominum, utrum contra filios Benjamin*, filios ſcilicet præſumptionis, ampliùs debeant procedere, an quieſcere. Quibus reſpondit Dominus: *Aſcendite ad eos, & inite certamen.* Miſericors miſericordis Domini reſponſum eſt inviſibile humilitatis conſilium, B. ad quam eos intrinſecùs hortatur: quia niſi dux belli humilitas adſit, exercitus vitiorum exterminari non poterit. *Aſcendite ad eos*, inquit, *& inite certamen.* Ad pugnandum contra vitia eos hortatur, nec tamen victoriam pollicetur, quia necdum eos ex corde humiliatos intuetur. Unde licèt aſcenderint, licèt fleverint coram Domino, perfecta tamen humilitate quia intrinſecùs carent, inimicum vitiorum gladium necdum evadere valent. Unde ſequitur:

C. *Cumque filii Iſraël altero die contra filios Benjamin ad prælium proceſſiſſent, eruperunt filii Benjamin de portis Gabaa. Alter dies*, in quo filii Iſraël, exercitus ſcilicet virtutum contra præſumptionem ſanctitatis, quam per Benjamin intelligimus, ad prælium procedit, dies eſt probationis, quia in tempore medietatis tanta interdum certamina *occurrunt* tentationis, ut *erumpentes filii Benjamin de portis Gabaa, eiſque occurrentes, tanta in eis cæde bacchari* videantur, *ut decem & octo millia virorum educentium gladium proſternere* D. credantur. Per *portas Gabaa* accipi poſſunt ſenſus interiores & exteriores ad altitudinem tendentes. Ex his nimirum portis *erumpunt filii Benjamin*, ſæpè dicta videlicet præſumptio ſanctitatis, occurrensque virtutum exercitibus *tanta in eis cæde bachatur, ut decem & octo millia*, id eſt, quidquid boni in activa vita ex Decalogo & octo beatitudinibus haberi poteſt, miſerabiliter per eam proſternatur. Nam decalogum cum octo beatitudinibus ſub numero *decem & octo millium* intelligimus. Quòd autem additur: *virorum educentium gladium*, per hoc magna quælibet & virilia intelliguntur opera, gladiô ſpiritûs, quod eſt verbum Dei, præmunita.

Quam-

Digitized by Google

℣. XXVI. *Quamobrem omnes filii Iſraël ve-*
nerunt in domum Dei, & ſedentes
flebant coram Domino: jejunave-
runtq́ die illo uſque ad veſperam, &
obtulerunt ei holocauſta atque paci-
ficas victimas,
℣. XXVII. *Et ſuper ſtatu ſuo interrogave-*
runt. Eo tempore ibi erat arca fœde-
ris Dei,
℣. XXVIII. *Et Phinees filius Eleazari filii Aa-*
ron præpoſitus domûs. Conſuluerunt
igitur Dominum, atq́ dixerunt: exi-
re ultra debemus ad pugnam contra
filios Beniamin fratres noſtros, an
quieſcere? Quibus ait Dominus: a-
ſcendite, cras enim tradam eos in
manus veſtras.
℣. XXIX. *Poſueruntq́ filii Iſraël inſidias*
per circuitum urbis Gabaa:
℣. XXX. *Et tertia vice, ſicut ſemel & bis, con-*
tra Beniamin exercitũ produxerunt.

Quamobrem omnes filii Iſraël venerunt in domum Dei, & ſedentes flebant coram Domino. Omnes filii Iſraël, ſpiritus ſcilicet, anima & corpus hac neceſſitate compulſi, *in domum* C. *Domini*, quod eſt cor hominis, *veniunt*, & *ſedentes* in humilitate, *flent* pœnitentiam agentes *coram Domino*, cui dicit Propheta: Pſal. L. 6. *Tibi ſoli peccavi & malum coram te feci. Jejunaveruntque die illo usque ad veſperam.* Dies iſte tertius dies eſt perfectionis, in quo tandem eruditi tentationibus filii Iſraël *jejunant uſque ad veſperam*, quando uſque ad finem vitæ ab omni cogitatione ſuperbiæ omnimodam habere ſatagunt continentiam. Sicque fit, ut *holocauſta & pacificas Domino victimas offerant, & ſuper ſtatu ſuo ſuppliciter eum interrogare* incipiant. Per *holocauſtum* ſacrificium ſpiritûs contribula- D. ti, per *victimas* verò ſacrificium laudis & jubilationis intelligi valet, quorum unum homo offert, quando pro commiſſis veraciter intrinſecus compungitur; alterum verò, dum poſt compunctionis lachrymas ſpe æternæ beatitudinis animatus pro multimodis miſericordiis ſuis laudare Deum & honorificare incipit.

Per geminam igitur hanc ſacrificiorum oblationem *ſuper ſtatu ſuo Dominum interrogant*, quia finem ſuum, qui per ſtatum exprimitur, divinæ pietati die noctuque A. commendare non ceſſant. *Eo tempore ibi erat arca fœderis Domini, & Phinees filius Eleazari filii Aaron præpoſitus domûs.* Ubicunque *arca fœderis Domini* fuerit, quod eſt ſcientia & memoria Sacræ Scripturæ, in qua ſola fœdus amicitiæ Dei conſiſtit, ibi procul dubio *Phinees*, quod interpretatur *os requievit*, per quem interna requies deſignatur, *Præpoſitus domus*, id eſt, cuſtos cordis erit. Et non ſupervacuè idem Phinees *filius* fuiſſe deſcribitur *Eleazari*, quod in noſtra lingua ſonat *adjutorium Dei*, *filii Aaron*, quod *mons fortitudinis* interpretatur; quia interna requies ex ſolius adjutorio Dei, qui verè eſt mons fortitudinis, in corde hominis B. generatur.

Sub talis igitur præpoſiti cuſtodia conſtituti filii Iſraël, translato luctu, finitô jejuniô *conſulunt Dominum*, ſicut & ſuprà, ſi contra filios Benjamin iterum ineunda ſit pugna. *Quibus ait Dominus: Aſcendite, Cras enim tradam eos in manus veſtras.* Ac ſi dicat: Quamdiu in præſenti vivitur, ſemper *aſcendere*, ſemper contra vitia contendere habetis, quia nunquam perſectam in hac vita victoriam conſequi, nunquam inimicam vitiorum incurſionem ad plenum declinare valetis. *Sed* dum *cras* illud optabile illuxerit, in quo noviſſima inimica C. mors deſtruetur, in quo corruptibile hoc incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem cœperit, tunc *tradam eos in manus veſtras*, tunc omnes adverſarii, maligni videlicet ſpiritus cum univerſis vitiis ditioni veſtræ ita ſubjacebunt, quòd nulla ſui incurſione ultrà vos impetere audebunt. Mox ergo ut filii Iſraël hanc Domini exhortationem, hanc paternam ejus conſolationem intrinſecus audire merentur, ad expugnanda vitia magis ac magis provocantur. Hoc enim ſequentia verba ſatis teſtantur, ubi *inſidias per circui-* D. *tum urbis Gabaa poſuiſſe, & tertia vice, ſicut ſemel & bis, contra Benjamin exercitum* dicuntur *produxiſſe.* Per *circuitum urbis Gabaa* accipere poſſumus cogitationes, dicta & facta ad altitudinem tendentia: *inſidiæ* verò quibus idem urbis Gabaa circuitus circumdatur, humilitas eſt & pœnitentia. Quibus poſitis ad inſidiandum vitiis, tandem filii Iſraël *tertia vice*, id eſt, in perfectione *contra Benjamin exercitum* virtutum producunt, *ſicut ſemel & bis*, id eſt, ſicut in inchoatione & medietate fecerunt.

Sed

℣. XXXI. *Sed & filii Benjamin audacter eruperunt de civitate, & fugientes adverſarios longiùs perſecuti ſunt, ita ut vulnerarent ex eis, ſicut primò & ſecundò die, & cæderent per duas ſemitas vertentes terga, quarum una ferebatur in Bethel, & altera in Gabaa, atque proſternerent triginta circiter viros.*

Filii autem præſumptionis, quia tantò difficilius exterminari poſſunt, quantò diutiùs ſedem mentis occupaverunt, audacter de civitate interiorum & exterio-
B. rum ſenſuum *erumpentes*, *fugientes adverſarios longiùs perſequuntur*, ita ut in ipſo etiam tempore perfectionis *vulnera* vitiorum eis infligant, *ſicut primo die* inchoationis, *& ſecunda die* probationis, *cædantque per duas ſemitas terga vertentes, quarum una ferebatur in Bethel & altera in Gabaa, atque proſternant triginta circiter viros.* Per unam ſemitam, *quæ tendit in Bethel*, quod interpretatum *domus DEI* dicitur, cuſtodia cordis convenienter intelligitur: per alteram verò ſemitam, *quæ in Gabaa ferebatur*, cuſtodia vitæ deſignatur. Talis quippe eſt for-
C. titudo vitiorum ex ſuperbia & vana gloria prodeuntium, ut in ipſis etiam his duabus ſemitis, arcta videlicet cuſtodia interioris exteriorisque hominis poſitos filios Iſrael inſequendo non deſerant, ſed etiam *triginta* adhuc ex eis *viros*, per quos cogitationes, locutiones & opera intelligi poſſunt, *proſternant.*

℣. XXXII. *Putaverunt enim ſolito eos more cædere. Qui fugam arte ſimulantes, inierunt conſilium, ut abſtraherent eos de civitate, & quaſi fu-*
D. *gientes ad ſupradictas ſemitas perducerent.*

℣. XXXIII. *Omnes itaque filii Iſraël ſurgentes de ſedibus ſuis, tetenderunt aciem in loco, qui vocatur Baalthamar. Inſidiæ quoque, quæ circa urbem erant, paulatim ſe aperire cœperunt,*

℣. XXXIV. *Et ab occidentali urbis parte procedere. Sed & alia decem millia virorum de univerſo Iſraël habitatores urbis ad certamina provoca-*
A. *bant. Ingravatumque eſt bellum contra filios Benjamin: & non intellexerunt, quòd ex omni parte illis inſtaret interitus.*

Putaverunt enim ſolito eos more cædere. Putant vitia virtutes coram ſe fugere, cùm non intelligunt eas rigorem ſuum ex conſilio ad tempus remittere, quemadmodum ſequens ordo verborum inſinuat, qui eos *fugam arte ſimulantes iniſſe conſilium* deſignat, *ut abſtraherent eos de civitate quaſi fugientes, & ad ſupra dictas ſemitas perducerent.* Filii
B. quidem Iſraël, ſpiritus ſcilicet anima & corpus, dum ex ipſis laboribus ſuis, quibus ad viſionem Dei, quam Iſraël ſignificat, tendunt, tantam importunitatem ſuperbiæ & vanæ gloriæ ſe ſuſtinere perpendunt, conſilium quodammodo ineunt, ut propoſiti ſui rigorem interdum amittendo laxius vivant, ſi vel ſic elationis vitia à civitate cordis abſtracta comprimantur, & hòc modô ad prædictas ſemitas, arctam videlicet cordis vitæque cuſtodiam, perducta evincantur.

Omnes igitur filii Iſraël ſurgentes de
C. *ſedibus ſuis tetenderunt aciem in loco, qui vocabatur Baalthamar.* Confeſtim ut filii Iſraël de ſedibus ſuis interioribus & exterioribus ſenſibus ſurgentes, id eſt, à ſomno torporis & negligentiæ ſe viriliter excutientes in locum *Baalthamar*, quod *amaritudo vetuſtatis* interpretatur, aciem tendunt, dum contractas ex vetuſtate peccatorum maculas interna cordis amaritudine abluere contendunt: *inſidiæ circa urbem* cordis poſitæ, quas humilitatem & pœnitentiam diximus, non ſubitò, ſed *paulatim ſe incipiunt aperire, & ab occidentali urbis parte*
D. *procedere.* Ab orientali parte procedit innocentia. Si illa non poteſt haberi, procedat *ab occidentali parte* pœnitentia. *Sed & alia decem millia virorum de univerſo Iſraël habitatores urbis ad certamina provocabant.* Univerſitas itaque virtutum ex Decalogi obſervantia procedentium, *habitatores* urbis, id eſt, ſeptingentos viros fortiſſimos, quod eſt univerſitas vitiorum, *ad certamen provocant*, quia omnimodis laboribus de civitate cordis omnino eos extirpare laborant. *Ingravatumque eſt bellum contra*

filios Benjamin. Diſpoſitis inſidiis hu- A.
militatis & pœnitentiæ *ingravatur bellum* ſpiritale contra præſumptionem ſuperbiæ. *Et non intellexerunt, quòd ex omni parte illis inſtaret interitus.* Humilitatis enim & pœnitentiæ profectus eſt præſumptionis & vanæ gloriæ interitus.

XXXV. ℣. *Percuſſitque eos Dominus in conſpectu filiorum Iſraël, & interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia & centum viros, omnes bellatores & ducentes gladium.*

Percutit divina clementia peccata & B.
vitia, cùm per eam roboratur virtutum & bonorum operum potentia, *interfecitque ex eis in illo die*, qui eſt dies perfectionis & victoriæ, *viginti quinque millia*, omnem carnalitatem quinque ſenſuum, amori DEI & proximi repugnantium, *& centum viros*, id eſt, omnem abundantiam animoſitatis & arrogantiæ, *bellatores*, id eſt, bellum ſpiritui & carni commoventes, *& educentes gladium*, gladium ſcilicet Regis Babylonis, de quo ſuprà narravimus.

℣. XXXVI. *Filii autem Benjamin, cùm ſe* C.
inferiores vidiſſent, cœperunt fugere.

Vitia, cùm ſe vident virtutibus non poſſe prævalere, incipiunt à ſenſibus hominis fugere.

Quod cernentes filii Iſraël, dederunt eis ad fugiendum locum, ut ad præparatas inſidias devenirent, quas juxta urbem poſuerant.

Dant filii Iſraël hoſtibus ſuis locum ad fugiendum, quia palma virtutum eſt expulſio vitiorum. Student ſanè *ad præ-* D.
paratas eos *inſidias* perducere, quia inſidiis humilitatis & pœnitentiæ ſuffocantur currus præſumptionis & arrogantiæ.

℣. XXXVII. *Qui cùm repentè de latibulis ſurrexiſſent, & Benjamin terga cædentibus darent, ingreſſi ſunt civitatem, & percuſſerunt eam in ore gladii.*

Ex inſperato per Dei gratiam de occulto cordis procedunt humilitas & pœnitentia, quibus *terga dant* ſuperbia & vana gloria: *ingredientesque civitatem* hominis, id eſt, cogitationes, verba & opera, *percutiunt eam in ore gladii*, cum diſtrictione verbi Dei quæque malè cogitata, malè dicta, malè facta dijudicant.

Signum autem dederunt filii Iſraël his, quos in inſidiis collocaverant, ut poſtquam urbem cepiſſent, ignem accenderent, ut aſcendente in altum fumo, captam urbem demonſtrarent. ℣. XXXVIII

Signum eſt humilitatis & pœnitentiæ, *ut poſtquam urbem ceperint*, id eſt, poſtquam ſenſus interioris & exterioris hominis ſubjugaverint, *ignem* compunctionis & divini timoris in corde hominis *accendant*, ut *aſcendente* de imo cordis *in altum* perfectionis *fumo* compunctionis, qui ſolet excutere lachrymas ex oculis, *captam urbem demonſtrent*, id eſt, plenam victoriam virtutum denuntient in ſpiritu & anima & corpore hominis.

Quòd cùm vidiſſent filii Benjamin, in fugam converſi ſunt, ℣. XLI.

Et ad viam deſerti ire cœperunt, illuc quoque eos adverſarii perſequentibus. ℣. XLII.

Videns præſumptio ſanctitatis captivitatem ſuæ urbis, incipit *fugere*, id eſt, à ſenſu hominis recedere, *& ad viam deſerti ire*, id eſt, ad cor hominis, quod deſertum eſt à Deo & à virtutibus, redire, *illuc quoque eos adverſariis perſequentibus*, id eſt, in corde hominis virtutum ſenſibus vanitatem elationis inſequentibus.

Sed & hi, qui urbem ſuccenderant, occurrerunt eis.

Atque ita factum eſt, ut ex utraque parte ab hoſtibus cæderentur, nec erat ulla morientium requies. ℣. XLIII.

Virtutum ſenſibus elationem cordis à tergo ferientibus, *occurrunt* in conſcientia humilitas & pœnitentia, ſicque fit, ut utrinque fiat virtutum victoria, & ex præcedente malorum pœnitentia, & ex ſequente bonorum cuſtodia. Unde omnia corruunt vitia, *nec erit ulla morientium requies*, niſi in ſola ſpe & pœnitentia.

Cecide-

Digitized by Google

Ceciderunt, atque proſtrati ſunt A.
ad orientalem plagam urbis Gabaa.

Ab occidentali urbis parte, quod eſt cognitia ſui, homini venit humilitas & pœnitentia: *ad orientalem plagam*, id eſt, ad infuſam cœlitus lucem in cognitione Dei proſternitur omnis arrogantia.

℣. XLIV. *Fuerunt autem, qui in eodem loco interfecti ſunt, decem & octo millia virorum, omnes robuſtiſſimi pugnatores.*

In eodem loco, id eſt, in cognitione B. Dei, proſternuntur *decem & octo millia virorum*: quia omnis altitudo ſenſuum incurvatur ex conſideratione Decalogi & octo beatitudinum.

℣. XLV. *Quod cùm vidiſſent, qui remanſerant de Benjamin, fugerunt in ſolitudinem, & pergebant ad petram, cujus vocabulum eſt Remmon.*

Videns defectum ſuum, *fugit in ſolitudinem* elatio, dum diſcuſſa cæcitate, ad cor ſuum revertitur homo: *pergitque ad petram, cujus vocabulum eſt Remmon*, quod interpretatur *ſublimitas*, quæ eſt profunda cordis humilitas. Nunquam C. cadit humilitas, & ideo magna eſt homini in ea ſpei ſublimitas.

In illa quoque fuga palantes & in diverſa tendentes, occiderunt quinque millia virorum.

Fugientem elationem virtutum exercitus fortiter inſequitur, & *quinque millia virorum occiduntur*, quando univerſitas ſenſuum, quæ per otia vagabatur, & in diverſa tendebatur, ad unum, quod eſt neceſſarium, mucrone verbi Dei reſtringitur.

Et cùm ultrà tenderent, perſecuti ſunt eos, & interfecerunt etiam alia duo millia. D.

Cùm homo ea, quæ retrò ſunt, obliviſcens, in ante ſe tendit, *etiam alia duo millia*, quæ ſunt cogitationes inutiles & opera mala, ab anima & corpore ſuô gladiô verbi Dei recidit.

℣. XLVII *Remanſerunt itaque de omni numero Benjamin, qui evadere potuerunt & fugere in ſolitudinem, ſexcenti viri.*

Per *ſexcentos viros, qui de omni numero Benjamin remanent*, vel ſex opera miſericordiæ, vel labores activæ vitæ intelligi non incongruè valent. Qui ſoli *in ſolitudine* ad propagandam poſteritatem ſuam ſalvantur: quia ſola bona opera in conſcientia hominis ad fructum æternæ ſpei conſervantur.

Sederuntque in petra Remmon menſibus quatuor.

Menſes quatuor ſunt perfecta converſio, ſincera peccatorum confeſſio, digna ſatisfactio, & ſubſequens morum emendatio.

Regreſſi autem filii Iſraël omnes reliquias civitatis à viris uſque ad jumenta gladiô percuſſerunt. ℣. XLVIII.

Filii Iſraël poſt cædem *regrediuntur*, quando ſenſus omnes perfectè ad DEum convertuntur: *reliquiæ civitatis à viris uſque ad jumenta* feriuntur, dum quidquid ſuperbum vel inſenſatum vivebat, gladiô verbi DEI interficitur. Sicque *cunctæ urbes & viculi* Benjamin *flammis conſumuntur*, dum cuncti ſenſus interiores & exteriores elationi ſervientes, forti pœnitentiæ ſubjiciuntur.

Caput XXI.

Juraverunt quoque Filii Iſraël in Maſpha, & dixerunt: nullus noſtrûm dabit filiis Benjamin de filiabus ſuis uxorem. ℣. I.

Juramentum iſtud filii Iſraël faciunt in baptiſmate, cùm ſe promittunt diabolo & omnibus pompis ejus abrenunciare. Qui *nullam de filiabus ſuis uxorem filiis Benjamin dare* volunt, dum propter ſacramentum, quod in baptiſmate fecerunt, omnes cogitationes ſuas à commixtione ſuperbiæ ſolicitè cuſtodiunt.

Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, & in conſpectu ejus ſedentes uſque ad veſperam, levaverunt vocem, & magno ululatu cœperunt flere. ℣. II

Sacramenti ſui memores filii Iſraël *ad domum Dei in Silo*, id eſt, in ſecretum cordis, ubi omnis malitia & nequitia diſcalcetur, in unitate ſpiritûs, ani-

Digitized by Google

mæ & corporis redeunt, *& in conſpectu* A.
Pſ. XIII. 2. *Dei*, quia *proſpicit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens aut requirens Deum*, *ſedentes uſque ad veſperam* in humilitate, quietem ſibi à peccati ſtrepitu facientes, & uſque ad conſummationem vitæ in bono perſeverantes, magnam ad DEum *vocem* magnô cordis deſideriô tranſmittunt, *& magno ululatu*, id eſt, magno pœnitentiæ rugitu, infelicitatem tranſactæ vitæ *flere* non deſiſtunt. Dicunt igitur:

℣. III. *Quare Domine DEus Iſrael factum eſt hoc malum, ut hodie una tribus auferretur à nobis?* B.

Domine DEus Creator cœli & terræ, Plaſmator & Redemptor corporis & animæ noſtræ, unde *hoc malum* proceſſit, unde iſta infelicitas in nos, qui populus tuus eſſe debuimus, devenit, ut obduratis ſenſibus noſtris fallaciâ iniquitatis, donec *hodie* cognominatur, *una tribus ex nobis auferretur*, id eſt, ſanctitas ſpiritûs, animæ & corporis noſtri tranſgreſſione cogitationum, verborum & operum violaretur?

℣. IV. *Altera autem die diluculò conſurgentes extruxerunt altare, obtuleruntque ibi holocauſta & pacificas victimas.* C.

Peractâ ſatisfactione *altera die*, id eſt, perfectæ vitæ imitatione, *diluculò*, id eſt, viſitatione divina ab alto emiſſa, *conſurgentes* ſpiritus, anima & corpus à ſomno peccati & negligentiæ, *extruxerunt altare*, id eſt, in novitate vitæ ſuæ cor ſuum præparaverunt, *obtuleruntque ibi holocauſta*, id eſt, ſacrificium ſpiritus contribulati in purgationem peccati, *& pacificas victimas*, id eſt, hoſtias laudis & jubilationis pro reconciliatione ſuæ D. immutationis. *Et dixerunt:*

℣. V. *Quis non aſcendit in exercitum Domini de univerſis tribubus Iſrael?*

Iſa. XXXVIII. 15. *Recogitabo tibi*, inquit Propheta, *omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Hoc eſt dicere: Quis de univerſis ſenſibus hominis interioribus & exterioribus non adfuit, ut creatori ſuo ſpiritaliter contra vitia carnis & peccati militaret, & opera virtutum exerceret?

Gravi enim ſe juramento conſtrinxerant, cùm eſſent in Maſpha, interfici eos, qui defuiſſent.

Gravi enim juramento homo conſtringitur in baptiſmo, quod niſi ſervare ſtuduerit, quaſi prævaricatorem eum interfici neceſſe erit.

Ductique pœnitentia filii Iſrael ſuper fratre ſuo Benjamin cœperunt dicere: Ablata eſt una tribus de Iſrael. ℣. VI.

Pœnitentia filiorum Iſraël pœnitentiam deſignat hominis ſpiritu, anima & corpore perditionem ſuam veraciter deplorantis, & ad reparationem ſalutis ſuæ acriter intendentis.

Unde, inquiunt, *uxores accipient?* ℣. VII.

Sicut per *uxorem* carnis propagatur poſteritas: ita per omnia opera propagatur vitæ æternæ hæreditas.

Omnes enim in communi juravimus, non daturos nos his filias noſtras.

Quando in baptiſmo diabolo & pompis ejus renunciavimus, præſumptioni & vanæ gloriæ nunquam nos ſervituros juravimus.

Idcirco dixerunt: Quis eſt de univerſis tribubus Iſrael, qui non aſcendit ad Dominum in Maſpha? ℣. VIII.

Dum per ſuperbiam & vanam gloriam ſe homo opera ſua in vanum expendiſſe recogitat, per quod ſibi ſpem æternæ vitæ poſſit præparare, ſolicitè retractat.

Et ecce inventi ſunt habitatores Jabes Galaad in illo exercitu non fuiſſe.

Per *Jabes*, quæ interpretatur *exſiccata*, intelligitur abſtinentia, per *Galaad*, quod interpretatur *acervus teſtimonii*, deſignantur in Sacra Scriptura aſſiduæ meditationis exercitia. Quæ quia utraque exercitui Dei defuerunt, in gravem perditionis caſum illum miſerunt.

Eo quoque tempore cùm eſſent in Silo, nullus ex eis ibi repertus eſt. ℣. IX.

Cùm homo *avulſioni* & *diſcalceationi* peccati innititur, ſi nullus ibi continentiæ

nentiæ vel meditationis Sanctæ Scripturæ fructus reperitur, virtutum exercitus ubique periclitatur. *Fruſtra enim*, ut B. Gregorius loquitur, *certamen ſpiritale arripitur, ſi non priùs venter à voracitate reſtringitur.*

℣. X. *Miſerunt itaque decem millia viros robuſtisſimos, & præceperunt eis: Ite & percutite habitatores Jabes Galaad in ore gladii, tam uxores quàm parvulos eorum.*

Mittuntur itaque de exercitu virtutum *decem millia viri robuſtiſſimi*, hoc eſt, præcepta & omnis perfectio Decalogi, per quæ *percutiuntur in ore gladii*, quod eſt verbum DEI, *viri, uxores & parvuli*, id eſt, omnis in vita hominis continentiæ & Sanctæ Scripturæ contraria ſuperbiæ vanitas, malorum fœcunditas, & cogitationum inutilitas.

℣. XI. *Et hoc erit, quod obſervare debetis. Omne generis maſculini, & mulieres, quæ cognoverunt viros, interficite, virgines autem reſervate.*

Dum ergo ſuperbia, quæ eſt initium omnis peccati in homine, interficitur, innocentia, quæ per *virginitatem* deſignátur, cuſtoditur.

℣. XII. *Inventæque ſunt de Jabes Galaad quadringentæ virgines, quæ neſcierunt viri thorum, & adduxerunt eas ad caſtra in Silo, in terram Chanaan.*

Quadringentæ virgines, quæ neſcierunt viri thorum, id eſt, diaboli commixtionem, deſignant univerſas virtutum ſpecies de quatuor cardinalibus virtutibus prodeuntes, quæ tunc *ad caſtra Dei*, id eſt, ad militiam vitæ ſpiritalis *adducuntur*, cùm peccata omnia de matre ſuperbia prodeuntia, *in Silo*, id eſt, in corde hominis, avelluntur & diſcalceantur.

℣. XIII. *Miſeruntque nuncios ad filios Benjamin, qui erant in petra Remmon, & præceperunt, ut eos in pace ſuſciperent.*

Interfecta ſuperbia, & omni vitiorum immunditia, adducta etiam vitæ innocentia *filii Benjamin*, id eſt, *filii dexteræ*, per *internuncios*, qui pœni- A. tentia & ſpes non incongruè appellantur, ab exercitu virtutum evocantur, qui tunc *in petra Remmon*, id eſt, infirmitate humilitatis commorantur.

Veneruntque filii Benjamin illo ℣. XIV. *tempore, & datæ ſunt eis uxores de filiabus Galaad. Alias autem non repererunt, quas ſimili modo traderent,*

Univerſusque Iſrael valde do- ℣. XV. *luit, & egit pœnitudinem ſuper interfectionem unius tribus de Iſraël.*

Duplex eſt ſpecies compunctionis, B. una pro peccatis & hujus vitæ miſeriis: alia pro virtutum & æternæ vitæ deſideriis. Hinc eſt, quòd virtutum exercitus lamentatur, quòd poſt peractam cædem vitiorum, copia bonorum ſibi ad æternæ vitæ jucunditatem pro voto non ſuffragatur.

Ceperuntque conſilium atque di- ℣. XIX. *xerunt: Ecce ſolennitas Domini eſt in Silo anniverſaria.*

Conſilium illud eſt gratia Spiritus Sancti, quæ poſt fletum peccatorum, poſt inundationem lachrymarum per ri- C. mas ſecreti ſuſurrii ſuaviter hæc inſtillat homini: *Ecce ſolennitas Domini eſt in Silo anniverſaria. Additus eſt*, inquit, Iſa XXIX. 1.
Propheta, *annus ad annum, ſolennitates evolutæ ſunt. In Silo*, id eſt, *in avulſione* peccati fit ſolennitas Domini anniverſaria: quia de converſione peccatoris pœnitentiam agentis fit in cœlo Deo & Angelis ejus plena lætitia.

Quæ ſita eſt ad ſeptentrionem urbis Bethel, ad orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad meridiem oppidi Lebona.

Poſt converſionem & pœnitentiam D. peccatoris ab *aquilonari* frigore iniquitatis ad *urbem Bethel*, quæ eſt *domus Dei*, id eſt, ad cor ſuum revertentis, ſequitur perfecta mutatio vitæ, quam ab *orientali parte* producit ſol juſtitiæ: & *de Bethel tenditur ad Sichimam*, quæ *humerus* interpretatur, cùm de ſecreto cordis ad inſtantiam laboris homo egreditur. Inde *ad meridiem oppidi Lebona* proficiſcitur, quod *candor* interpretatur: cùm ſicut David loquitur, *aſperſione* Pſal. L. 9.
hyſſopi, id eſt, humilitatis cor *emundatur*, & ablutione compunctionis tota

vita hominis in virtutibus *dealbatur.* A. Quem profectum cùm in ſe homo recognoſcere incipit, filiis Benjamin, id eſt, ſenſibus ſuis interioribus ad æternæ vitæ dexteram tendentibus, hæc per rationem ſuggerit:

℣. XX. *Ite, & latitate in vineis.*

Quaſi dicat: Ite de virtute in virtutem ad Dei contemplationem, & in flore virtutum vos occultate ab arbore vitiorum.

℣. XXI. *Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè de vineis, & rapite* B. *ex eis ſinguli uxores ſingulas, & pergite in terram Benjamin.*

Cùm mundatô oculô cordis *videritis filias Silo*, temeras cogitationes amoris ad quærendum DEum intentas (*Silo* enim dicitur *ubi eſt ipſe*) *ad ducendos choros*, id eſt, ad offerendas hoſtias jubilationis *ex more procedere*, id eſt, ex illuminatione Sancti Spiritus proceſſione multiformi ſpiritalium delectationum poſtpoſitis omnibus terrenis ad cœleſtia ſe extendere: *exite* de corpore mortis hujus per contemplationem ſpiritûs, *repente* factô de cœlis ſonô advenientis S. Spiritus, *de vineis*, id eſt, de florentibus ſenſibus veſtris, *& rapite* per ſpeculum & in ænigmate *ex eis*, ex teneris cogitationibus Deum ſuaviter prægustantibus, *ſinguli*, id eſt, ſingulares facti ab omni tumultu ſæculi, *uxores*, delectationes contemplativas, *ſingulas*, ab omni communione rerum carnalium ſemotas, *& pergite in terram Benjamin.*

℣. XXII. *Cumque venerint patres earum ac fratres, & adverſum vos queri cœperint, atque jurgari;*

Cumque venerint patres earum, id D. eſt, interiores ſenſus, qui quaſi patres ſementivam ſubſtantiam miniſtrant cogitationum ſoboli, *& adverſum vos* ad dolorem veſtrum *cœperint queri*, ſcilicet miſerias hujus vitæ lamentari: cumque venerint *fratres earum*, id eſt, exteriores ſenſus, qui quaſi fratres aſſiſtunt ſororibus cogitationibus, *& adverſum vos*, id eſt, ad moleſtiam veſtram *cœperint jurgari*, ſcilicet carnalibus illecebris tumultuari, quando caro reſiſtit ſpiritui: *nos* virtutum acies nos ipſas medias interponemus, & patrum quidem querelas de præſentis vitæ miſeriis ſpem futurorum ſuggerendo mitigabimus, fratrum verò jurgia pacis pactum inter ſpiritum & carnem componendo ſedabimus. Sic ergo *dicemus eis.* Dicere quippe noſtrum eſt juvare noſtrum.

Miſeremini eorum:

Vos patres & fratres, ſenſus interiores & exteriores, miſeremini Benjamitarum peregrinationem hujus vitæ plangentium. *Miſeremini eorum*, id eſt, compatimini miſeriæ miſerorum, & miſeriæ eorum compatiendo veſtri quoque miſeremini, & veſtri miſerendo miſerias miſerorum conſolamini.

Non enim rapuerunt eas jure bellantium aut victorum.

Non enim *rapuerunt eas*, ſcilicet delectationes contemplativas, *jure bellantium*, quibus eſt proprium in pugna deſudare, *neque jure victorum*, quibus eſt proprium de palma exultare: quia neque per ſudorem prælii, neque per gaudium triumphi contemplationis ſuavitas poteſt apprehendi, quippe *neque volentis, neque currentis, ſed miſerantis eſt* C. *Dei.* Sequitur: *Rom. IX. 16.*

Sed rogantibus ut acciperent, non dediſtis, & à veſtra parte peccatum eſt.

Rogantibus filiis dexteræ, id eſt, orationi acriter inſtantibus, *ut acciperent* guſtum contemplationis, vos ſenſus interiores & exteriores *non dediſtis*, quia dare non potuiſtis, *& à veſtra parte peccatum eſt* vel cogitationis, vel locutionis, vel operis, quô præpeditur vel retardatur gratia contemplationis.

Feceruntque filii Benjamin, ut fuerat ſibi imperatum, & juxta numerum ſuum rapuerunt ſibi de his, quæ ducebant choros, uxores ſingulas: abieruntque in poſſeſſionem ſuam, ædificantes urbes & habitantes in eis. ℣. XXIII.

Filii dexteræ juxta ordinem ſibi à Deo diſpoſitum muniunt introitum ſuum & exitum, & *juxta numerum ſuum*, id eſt, ſecundùm ordinem vitæ ſuæ in menſura continentiæ, in pondere gravitatis, in numero perfectionis, *rapuerunt ſibi de his,*

Digitized by Google

de his, quæ ducebant choros, uxores ſingulas juxta ſenſum ſuperius præſcriptum: *abieruntque* à regione diſſimilitudinis *in poſſeſſionem ſuam*, quæ eſt regio ſimilitudinis, *ædificantes* ſtudiô virtutum *urbes*, id eſt, quæque bona, *& habitantes*, id eſt, perſeverantes in eis.

℣.XXIV. *Filii quoque Iſraël* (ſpiritus anima & corpus hominis) *reverſi ſunt* in ſpe, fide & charitate, *per tribus*, per cogitationes, verba & opera, *per familias*, per multiplices propagationes meritorum *in tabernacula ſua*, in æterna gaudia. Sequitur:

In diebus illis non Rex in Iſrael, ſed unusquisque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.

Illis diebus, quando homo vera Dei & ſui cognitione totus illuſtratur, quando nulla vel duplicis ignorantiæ, vel vitiorum caligine cor ejus obſcuratur, *in illis*, inquam, *diebus*, in veræ ſcilicet

A. ſcientiæ perfectæque vitæ profectibus *Rex in Iſraël non eſt*: quia ibi humanæ inſtitutionis magiſteriô opus non eſt, ubi Spiritus S. Doctor adeſt. Unde dicit Joannes Apoſtolus: *Non neceſſe habetis, ut aliquis vos doceat, ſed unctio ejus docet vos de omnibus.* (*I. Joan. II. 27.*) Quisque fidelis tunc *unus* eſſe incipit, quando à ſe remotis diverſarum affectionum tumultibus, vel terrenarum ſolicitudinum diſtentionibus, hoc unum, quod ſolum eſt neceſſarium, toto corde, tota anima totaque voluntate requirit. De quo *uno* Pſalmiſta dicit: *Unam petii à*

B. *Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* (*Pſal. XXVI. 4.*) Hic ergo *unusquisque, quod ſibi rectum videtur*, hoc ſolùm tunc operatur, cùm recto corde bonum Domini meditatur, & ei ſoli ſervire, cui ſervire eſt regnare, tota mentis intentione, tota corporis devotione jugiter delectatur.

Explicit Explanatio in librumSophtym, id eſt, Judicum.

VEN.

Digitized by Google

VEN. IRIMBERTI ABBATIS ADMONTENSIS

EXPOSITIO LIBRI RUTH.

Ex Cod. avtographo inclyti Monaſterii Admontenſis in lucem data à Ven. D. P. Sebaſtiano Treger Cartuſiano Gemnicenſi in Auſtria.

INCI-

Digitized by Google

INCIPIT PROLOGUS IN LIBRUM RUTH.

LOquitur DEus ad Abraham: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.* Cujus juſſionis, vel exhortationis, vel pollicitationis virtutem Ruth in interiori cordis auditu percepit, quando relicto gentilitatis errore, ad Iſraeliticæ plebis ſocietatem tranſivit, verique Dei notitiam fideliter requiſivit. Quam *mulierem virtutis* fuiſſe, & ipſe, qui eam ſibi matrimonio copulavit, Booz proteſtatur, & libri ejus hiſtoria evidenter eloquitur. Quantæ enim fuit conſtantiæ ſolam & juvenculam cum ſola & ætate jam confecta ſocru ſuâ nativitatis ſuæ terram relinquere, & peregrinationem incertam arripere! Quantæ fuit perſeverantiæ eidem ſocrui ſuæ decrepitæ, quam in ſua terra vel in propria civitate gravi paupertate vi-

B. debat laborare, indefeſſa pietate metendo & deſudando miniſtrare! Quantæ denique fuerit humilitatis, ipſa ſuis oſtendit & factis & dictis, quæ Booz ſe ſalutantis advoluta veſtigiis, humiles ei gratiarum actiones hujusmodi rependit eloquiis: *Unde*, inquit, *mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, & noſſe me digneris peregrinam mulierem?* Proinde ſapientia Dei, quæ diligentes ſe diligere, & glorificantes ſe glorificare velle proteſtatur, ejus quoque fidem & dilectionem eatenus etiam in præſenti remunerare dignatur, ut eam non ſo-

C. lùm Iſraelitici principis matrimonio efferat, ſed etiam Chriſti Redemptoris ſecundùm carnem genealogiæ dignanter adſcribat. Hinc etiam veteris teſtamenti canonicæ ſcripturæ ejus hiſtoria intexitur, quæ etſi ſermonum brevitate conſtringitur, myſteriorum tamen immenſitate extenditur, quia cuncta Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta pleniter eloquitur.

Explicit Prologus in Librum Ruth.

INCIPIT LIBER RUTH.*

Caput I.

℣. I. *IN diebus unius Judicis, quando*
Judices praerant, facta eſt fa-
mes in terra. Abiitque homo de
Bethlehem Juda, ut peregrinaretur
in regione Moabitide cum uxore ſua
ac duobus liberis.
Ipſe vocabatur Elimelech, &
℣. II. *uxor ejus Noëmi: & duo filii, alter*
Maalon, & alter Chelion, Ephra-

** Exhibet hoc loco Codex integrum continenter Librum Ruth, manu* Sororis Irmingardis *exaratum, qui cùm per ſequentium Capitum verſus repetatur, à nobis hìc prætermiſſus eſt.*

thæi de Bethlehem Juda. Ingreſſique regionem Moabitidem, morabantur ibi.

℣. III. *Et mortuus eſt Elimelech maritus Noëmi: remanſitque ipſa cum filiis.*

℣. IV. *Qui acceperunt uxores Moabitidas, quarum una vocabatur Orpha, altera verò Ruth. Manſeruntque ibi decem annis,*

℣. V. *Et ambo mortui ſunt, Mabalon videlicet & Chelion: remanſitque mulier orbata duobus liberis ac marito.*

℣. VI. *Et ſurrexit, ut in patriam pergeret cum utraque nuru ſua de regione Moabitide: audierat enim, quòd reſpexiſſet Dominus populum ſuum, & dediſſet eis eſcas.*

Cùm primi parentes noſtri, Adam ſcilicet & Eva per inobedientiam ſuam DEO rebelles extitiſſent, & à paradiſi gaudiis excluſi debitam pœnam perſolviſſent, tunc erant quaſi *dies unius Judicis:* quia ſola ratio hominis, quæ per *Judicem unum* figurari valet, oſtendit pauciſſimis electis, qui tunc temporis erant, viam bonæ actionis. Illis etiam diebus, *quando Judices præerant,* id eſt, rationales ſenſus hominum ſe ipſos regere & dijudicare aliquantulum noverant, *facta eſt fames in terra, non fames panis, neque ſitis aquæ, ſed audiendi verbum DEI.* (Amos VIII. 11.) *Abiit homo* itaque *de Bethlehem Juda, ut peregrinaretur in regione Moabitide cum uxore ſua, & duobus liberis.* Homo namque iſte, primus videlicet parens noſter, *abiit de Bethlehem Juda,* de domo panis, hoc eſt, paradiſi, *ut peregrinaretur in regione Moabitide,* quod *tribulatio* interpretatur, quando cum omni multitudine poſteritatis ſuæ in hunc locum miſeriæ & tribulationis devenit amiſſis gaudiis & deliciis, quibus in perpetuum uti deberet, ſi Dominici præcepti prævaricator non extitiſſet.

Ipſe vocabatur Elimelech, & uxor ejus Noëmi. Per *Elimelech*, qui interpretatur *DEus meus Rex*, naturalis lex accipitur, quæ cœpit in primitiva Eccleſia Patriarcharum, Abel ſcilicet & Enoch, Noë & Abraham, & aliorum Sanctorum Patrum, quorum vita laudabilis bonam de ſe reddidit fragrantiam opinionis. Naturalis ergo lex erat, & hoc exigebat, ut, quodcunque ſibi homines fieri nollent, aliis non facerent, & quæ ſibi bona & utilia providerent, aliis libenti animo exhiberent. Per *duos* autem *filios*, quorum alter vocabatur *Chelion*, alter *Maalon*, lex ſcripta & prophetia deſignatur; quia poſt legem naturalem lex ſubintravit Moyſi, & poſt legem Moyſi oracula Prophetarum ſunt ſubſecuta. Quòd verò per *Chelion* lex ſcripta, & per *Maalon* prophetia non incongruè accipitur, ipſorum interpretatio nominum aptè innuit. *Chelion* enim *omnis dolor*, ſive *conſummatio*, vel *de principio* interpretatur. Satis quidem convenienter lex ideo *omnis dolor* dicitur, quia quid doloris, quid amaritudinis peccata afferrent, non agnoſcebatur, niſi per legem, quemadmodum Paulus ait: *Peccatum enim neſciebam, niſi per legem.* (Rom. VII. 7.) *Conſummatio* autem ideo dicitur, quia ut denuò Paulus ait: *finis legis Chriſtus eſt.* (Rom. X. 4.) *Maalon* verò interpretatur *de feneſtra.* Et quid per *feneſtram* convenientiùs quàm prophetia valet accipi? Per feneſtram namque proſpiciens, partim quædam videt, partim non videt: ſic nimirum & prophetiæ totam perfectionem viſionis, quæ eſt in Chriſto JEſu, nequiverunt comprehendere, ſed quaſi per ſpeculum & in ænigmate videntes, aliis quæ viderant, obſcuris ſententiis protulerunt. Et hi erant *Ephrathæi*, id eſt, *frugiferi*, quia fructum bonæ operationis in ſemetipſis & in aliis Domino offerre laborabant. *Ingreſſique regionem Moabitidem, morabantur ibi.* Cuncti denique qui poſt lapſum primi hominis *regionem Moabitidem*, regionem, inquam, *tribulationis* ingreſſi fuerant, diutinô confecti ſeniô, poſt longas vitæ labores longas hic patiebantur moras.

Et mortuus eſt Elimelech maritus Noëmi, remanſitque ipſa cum duobus filiis. Mortua denique & ceſſante lege natu-

naturali, *remanſit Noëmi*, quæ inter- A.
pretatur *pulchra*, id eſt, Eccleſia primitiva *cum filiis* ſuis, obſervans, quæ ex lege didicerat & Prophetis.

Qui acceperunt uxores Moabitidas, quarum una Orpha, altera Ruth vocabatur. Per *Orpham*, quæ *cervix* interpretatur, Synagoga accipitur, deſcendens de ſemine Patriarcharum, quæ ideo *cervix*, quia ſemper dura cervice & indomabili corde Spiritui S. reſtitit, & ſolam legis literam attendens, vivificantem ſpiritum ſequi contempſit. Per *Ruth* gentilitas, quæ *feſtinans* vel *deficiens* dicitur, eò quod unitatem fidei B.
non agnovit, & *deficiens* in bonis ad omnem infidelitatis errorem totâ feſtinantiâ properavit. Vel ideo *deficiens*, quia in ſalutari ſuo, quod eſt Chriſtus, anima ejus defecit: vel ideo *feſtinans*, quia poſt tenebras infidelitatis ad verum lumen, quod eſt Chriſtus, feſtinavit. Sequitur:

Manſeruntque ibi decem annis, & mortui ſunt ambo Chelion & Maalon. Omnis quippe poſteritas Adæ manſit in peregrinatione quaſi *decem annis*, dum totis ſenſibus exterioribus, ſive interioribus prona erat in malum. C.
Mortuique ſunt Chelion & Maalon, quia legem & prophetiam, quam obſervare debuerant, omnino in ſemetipſis extinxerant, *& remanſit mulier*, id eſt, Eccleſia primitiva, *orbata* & deſtituta omni gratia legis & Prophetarum.

Quæ ſic viduata & deſtituta *ſurrexit*, ſurrexit, dico, per fidem, ſpem & dilectionem, *ut in patriam pergeret cum utraque nuru ſua*, ſpem habens quandoque futuros de utroque populo, Judaico ſcilicet & gentili, qui ad fidem Chriſti convertendi eſſent & ſalvandi. D.
Audierat enim, quòd reſpexiſſet Dominus populum ſuum, & dediſſet eis eſcas. Noverat enim, quòd verbum illud, quod erat in principio apud DEum, quandoque videri deberet caro factum, & corpus ac ſanguinem ſuum in eſcam fidelium transferret animarum.

℣. VII. *Egreſſa eſt itaque de loco peregrinationis ſuæ, cum utraque nuru: & jam in via revertendi poſita in terram Juda,*

Dixit ad eas: Ite in domum matris veſtræ, faciat vobiſcum Dominus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis & mecum. ℣. VIII.

Det vobis invenire requiem in domibus virorum, quos ſortituræ eſtis. Et oſculata eſt eas. Quæ elevata voce flere cœperunt, ℣. IX

Et dicere: Tecum pergemus ad populum tuum. ℣. X.

Egreſſa itaque Noëmi, primitiva ſcilicet Eccleſia, *de loco peregrinationis*, id eſt, intendens ad ſuperna, *dixit ad* utraſque *nurus*, Synagogam videlicet & Eccleſiam, quæ ex gentibus erat futura.

Ite, inquit, *in domum matris veſtræ.* Ac ſi dicat: *Ite in domum*, id eſt, per ſpem ſurſum tendite, ubi mater veſtra eſt, *cœleſtis*, dico *Jeruſalem*, *quæ eſt mater omnium noſtrûm.* De qua David in Pſalmo: *In domum Domini lætantes ibimus.* *Faciat Dominus vobiſcum miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis & mecum: det vobis invenire requiem in domibus virorum, quos ſortituræ eſtis.* *Vir* Eccleſiæ ex gentibus Chriſtus erat, qui revera expectatio gentium fuit, per quem facta eſt gratia & veritas: *vir* verò Synagogæ Moyſes, per quem lex tantùm data eſt, non gratia. *Faciat*, inquit, *Dominus vobiſcum miſericordiam*, id eſt, mittat vobis Filium ſuum, qui ex peccatoribus efficiat juſtos, ex damnandis remunerandos.

ad Galat. IV. 26.
Pſ. CXXI. 1.

Et oſculata eſt eas. Per oſculum labiorum fit conjunctio, qua os ori imprimitur. Et benè per os Filius DEI carnem aſſumens, per *oſculum* amor Spiritus Sancti accipitur. Ergo quia non latuit ſanctos venturum quandoque, qui ſuper filios hominum cogitaret cogitationes pacis, rectè dicitur: *& oſculata eſt eas*, habentes ſpem promiſſæ reconciliationis, donec veniret deſiderium collium æternorum, & DEus homini deſiderata ſui præſentia uniretur.

Quæ elevata voce flere cœperunt, & dicere: Tecum pergemus ad populum tuum. Antiquus etenim ille populus non modica, ſed *elevata voce*, id eſt, magno dolore cordis lapſum primi hominis, & peregrinationis ſuæ tædium, ſeu ærumnas totius vitæ *deflebat* dicendo: *Tecum pergemus ad populum tuum*, id eſt, ad multitudinem fidelium populorum.

℣. XI. *Quibus illa reſpondit: Revertimini filiæ mi, * cur venitis mecum? Num ultra habeo filios in utero meo, ut viros ex me ſperare poſſitis.*

* Ita Cod.

℣. XII. *Revertimini filiæ meæ, & abite: jam enim ſenectute confecta ſum, nec apta vinculo conjugali. Etiamſi poſſem hac nocte concipere, & parere filios,*

℣. XIII. *Si eos expectare velitis, donec creſcant, & annos pubertatis impleant, ante eritis vetulæ, quàm nubatis. Nolite, quæſo, filiæ mi, quia veſtra anguſtia magis me premit, & egreſſa eſt manus Domini contra me.*

Quibus illa ait: Revertimini filiæ meæ. Primò ante legem, ſecundò ſub lege, tertiò ſub Prophetis *ire & reverti* juſſit in domum matris ſuæ. Nullo enim tempore defecerunt, qui ſuis monitis gentem ad vitam æternam prædeſtinatam non ædificarent, & *ire ac reverti* tota intentione in domum Domini, ſupernam ſcilicet Jeruſalem, non edocerent. Primò igitur ante legem *ire & reverti* ſurſum docuit, quia per naturalem intellectum, quid unicuique ſequendum, quidve agendum eſſet, innotuit. Secundò ſub lege, quia Patriarcharum exemplis legalia decreta confirmavit. Tertiò ſub Prophetis, quando gentes vocare, & ad ſupernæ Majeſtatis cultum exhortari non deſtitit. *Cur venitis*, inquit, *mecum?* Legem carnaliter & circumciſionem & ſabbata, cæteraque legalia inſtituta obſervare non prodeſt, & ideo mecum nolite venire, quia per me non poteſtis ſalvi fieri. Ego non alium, ſed unigenitum Filium DEI *in utero meo*, id eſt, in ſpe teneo, per quem me & omnes vos ſalvari credo & ſpero. *Num ultra habeo filios*, Patriarchas, dico, & legales ceremonias aut Prophetas, in quibus vos hactenus gloriantes, ſalvari vos poſſe credebatis?

Revertimini filiæ mi & abite. Ac ſi dicat: *Revertimini & abite* modò per fidem ad ſupernam matrem Jeruſalem, ad eam venturæ quandoque videndam per ſpem. *Jam enim ſenectute confecta ſum, nec apta vinculo conjugali. Jam enim ſenectute confecta ſum*, quia à paradiſi gaudiis excluſa, excreſcente flagitiorum enormitate inveteravi inter omnes inimicos meos: *nec apta vinculo conjugali*, quia tempus illud Redemptionis noſtræ, quò Filius DEI in utero virginis humanam ſibi naturam copulabit, & tanquam ſponſus de thalamo ſuo procedet, ego me viſuram non credo.

Etiamſi poſſem hac nocte concipere & parere filios, ſi eos expectare velitis, donec creſcant, & annos impleant pubertatis, ante eritis vetulæ, quàm nubatis. Etiamſi poſſem hac nocte, id eſt, hâc cæcitatis meæ ignorantiâ tales *concipere & parere filios*, per quos ſalus ſperanda eſſet, *ſi ita eos expectare velitis*, ut ante adventum unigeniti Filii DEI incarnationis ejus fidem recipere, & bona operari nolitis, *ante eritis vetulæ, quàm nubatis*: quia procul dubio vetuſtate peccatorum deficietis, antequam ad nuptias cœleſtes pertingatis. *Donec*, inquit, *creſcant, & impleant annos pubertatis.* Adveniente namque Domino JEſu Chriſto Eccleſia quodammodo crevit in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & in Apoſtolis annos implevit pubertatis, quæ in Abel erat quaſi in infantia, in Prophetis quaſi in adoleſcentia. Dum ergo multifariè multiſque modis DEus olim promitteretur, & tamen moras faceret, multorum fatigata fides defecit, & quia fidem non adhi-

adhibuerunt, morte animæ perierunt, A.
ſimiles per omnia illis, in quorum diebus dum arca fabricaretur, diluvium futurum minimè crediderunt, & ideo diſcrimen mortis non evaſerunt. Unde ita dubitantibus & deſperantibus denuò ait: *Nolite quæſo filiæ mi facere, quia veſtra anguſtia me magis premit, & egreſſa eſt manus Domini contra me.* Ac ſi dicat: *veſtra anguſtia*, imminens vobis periculum, locus peregrinationis veſtræ, *magis me premit* ſcientem, vos in eadem damnatione fore, niſi adventu Filii DEI liberari mereamur à jugo captivitatis noſtræ. *Egreſſa enim eſt* B.
manus Domini contra me: quia ex quo in primo homine in paradiſo beneficiis ejus ingrata & inobediens ſum inventa, quotidianæ tentationes, continui labores mihi non deſunt.

℣. XIV. *Elevata igitur voce, rurſum flere cœperunt: Orpha oſculata eſt ſocrum, ac reverſa eſt: Ruth adhæſit ſocrui ſuæ.*

℣. XV. *Cui dixit Noëmi: en reverſa eſt cognata tua ad populum ſuum, &c.* C.
ad Deos ſuos, vade cum ea.

℣. XVI. *Quæ reſpondit: Ne adverſeris mihi, ut relinquam te & abeam: quocunque enim perrexeris, pergam: & ubi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, & DEus tuus DEus meus.*

℣. XVII. *Quæ te terra morientem ſuſceperit, in ea moriar: ibique locum* D.
accipiam ſepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, ſi non ſola mors me & te ſeparaverit.

Elevata igitur voce rurſum flere cœperunt. Prima vox flentium erat, quòd egregia illa creatura, quæ paradiſum inhabitare, & in loco voluptatis debuerat converſari, jam exul & peregrina corporis eſſet mancipata ſervituti ad obediendum carni. Secunda vox flentium, & ex intimis viſceribus longa ſuſpiria trahentium erat ardor deſiderii Patrum ſuſpirantium generoſam in carne Chriſti præſentiam. Vnde quidam moræ hujus valde impatiens dicebat: *Utinam diſrumperes cœlos & deſcenderes! Orpha oſculata eſt ſocrum* *Iſa. LXIV. 1.*
ſuam ac reverſa: Ruth adhæſit ſocrui ſuæ. Synagoga denique contempta Eccleſia ad vanas ſuperſtitiones eſt converſa: *Ruth*, id eſt, Eccleſia adhæſit *ſocrui ſuæ*; quia relictis idolatriæ immunditiis venit de ultimis finibus terræ audire ſapientiam veri Salamonis.

Cui dixit Noëmi: En reverſa eſt cognata tua ad populum ſuum, & ad Deos ſuos, vade cum ea. Hæc verba non ſunt quaſi exhortantis reditum ad ſuos, ſed miſeræ Synagogæ averſionem dolentis, & gentilem populum in fide corroborantis. *En reverſa eſt cognata tua.* En, inquit, Synagoga, quæ nobiſcum venire diſpoſuit, oblita fidei, oblita amoris, relicto Deo noſtro ſolis vult viſibilibus intendere: ne vadas cum ea, ſed ad verum Redemptorem & eruditorem animarum convertere.

Quæ ait ad eam: Ne averſeris mihi, ut relinquam te & abeam. Quocunque perrexeris, pergam, & ubi morata fueris, morabor. Populus tuus populus meus, & DEus tuus DEus meus. Quæ te morientem terra ſuſceperit, in ea moriar. Quocunque perrexeris, tecum pergam ad Incarnationem & Paſſionem Chriſti per fidem, ſpem & charitatem, *& ubi morata fueris*, ſcilicet in præſenti Eccleſia, tecum *morabor* per fidem, & in cœleſti Eccleſia tecum *morabor* per ſpeciem. *Populus tuus populus meus, & DEus tuus DEus meus.* Quid his verbis aliud innuitur, niſi quod alibi Apoſtolus ait: *unus Dominus, una fides, unum baptiſma.* Dicendo enim: *ad Epheſ. IV. 5.*
populus tuus populus meus, veram & Catholicam fidem unius Catholicæ Eccleſiæ fore affirmavit; dicendo: *DEus tuus DEus meus*, unicum DEI Filium Dominum univerſorum agnovit; dicen-

Digitized by Google

dicendo : *quæ te morientem terra ſuſce-* A. *perit, in ea moriar*, unum baptiſma in remiſſionem peccatorum futurum aſſeveravit. Et rectè per *terram* baptiſmus deſignatur: quia nimirum de terra fons aquæ egreditur, in quo dum baptizandus quisque ter immergitur, *accipit* quaſi *locum ſepulturæ*, & fit quædam benedictio, quod prius parentibus noſtris dura & aſpera fuit maledictio, dicente Domino: *Terra es & in terram ibis.* Ibidem enim homo quaſi in terram revertitur, quando baptizandus aquis immergitur, ubi Chriſto conſepelitur, & cunctis originalium ſeu actualium criminum culpis feliciter emoritur.

Gen. III. 19.

Hæc, inquit, *mihi faciat DEus, & hæc addat, ſi non ſola mors me à te ſeparaverit.* Eccleſia enim ex gentibus tam immobile fidei fundamentum ſupra petram, id eſt, Chriſtum poſuit, ut etiam meritò in hæc verba prorumpat: *hæc mihi*, inquiens, *faciat DEus, & hæc addat*: hoc eſt, ſi fidem veram & Catholicam ad mortem tenuero inviolabilem, *faciat* me præmia adipiſci incomparabilia. Sin autem : *addat* C. *mihi* tormenta infernalia.

℣. XVIII. *Videns autem Noëmi, quòd obſtinatô Ruth animô decreviſſet ſecum pergere, adverſari noluit, nec ultra ad ſuos reditum perſuadere.*

Videns Noëmi, ſcilicet primitiva Eccleſia, *Ruth*, id eſt, gentilem populum *obſtinatô animô* ad Chriſtianitatis fidem concurrere, *noluit adverſari.*

℣. XIX. *Profectæque ſunt ſimul, & venerunt in Bethlehem. Quibus urbem ingreſſis, velox apud cunctos fama percrebuit: dicebantque mulieres: Hæc eſt illa Noëmi.*

℣. XX. *Quibus ait : ne vocetis me Noemi, id eſt: pulchram, ſed vocate me Mara, id eſt: amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.*

℣. XXI. *Egreſſa ſum plena, & vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humiliavit, & afflixit Omnipotens?*

Profectæque ſunt ab initio usque in finem ſæculi, *ſimul*, individuâ fidei & dilectionis ſocietate, *& venerunt in Bethlehem. Venerunt*, dico, per fidem, ſpem & charitatem *in Bethlehem, domum panis*, id eſt, in Catho- B. licam Eccleſiam, ubi verus ille panis eſt Angelorum, qui in Bethlehem verus panis naſci in fine ſæculorum miſericorditer diſpoſuit. *Quibus urbem ingreſſis, velox apud cunctos fama percrebuit.* Natô enim in Bethlehem Chriſtô, paſſô, & à mortuis reſuſcitatô, in omnem terram exiit ſonus prædicatorum ejus, & in fines orbis terræ verba eorum. *Dicebantque mulieres: Hæc eſt illa Noëmi.* Congaudent enim ſaluti & pulchritudini ejus, quia una ſecum eſt & erit Eccleſia, cùm illuc pervenerint, ubi erit DEus omnia in omnibus.

Quibus illa ait : Ne vocetis me Noemi, id eſt, pulchram, ſed vocate me Mara, id eſt amaram, quia valde me amaritudine replevit Omnipotens. Egreſſa ſum plena, quia incomparabilibus paradiſi gaudiis in primo homine perfrui habebam; *ſed vacuam me reduxit*, quando vitiata radice primæ originis cœleſtibus ſum privata bonis. *Ne vocetis me Noemi, id eſt, pulchram*, quia valde deformis facta ſum per peccata, & amaritudinibus dolorum & miſeriarum repleta.

D.

Cur vocatis me Noemi, quam humiliavit Dominus, & afflixit Omnipotens? Ac ſi dicat: Cur pulchritudinem mihi adſcribitis, *quam* per juſtam iram ſuam *humiliavit*, id eſt: de ſublimi ſede paradiſi depoſuit offenſus DEus, & *afflixit* per terribilem impoſitæ maledictionis ſententiam *Omnipotens*, miſericors Creator hominum & metuendus Judex omnium. Sequitur:

Venit-

Digitized by Google

℣. XXII. *Venit ergo Noëmi cum Ruth* A. *Moabitide nuru ſua de terra peregrinationis ſuæ, ac reverſa eſt in Bethlehem, quando primùm hordea metebantur.*

Totum quod Patriarchæ & Prophetæ ante adventum Domini docendo ſeminaverant, Apoſtoli meſſuerunt, quemadmodum Dominus in Evangelio ait: *Ego vos miſi metere, quod non ſeminâſtis, alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis. Nonne dicitis vos, quia quatuor adhuc* B. *menſes ſunt, & meſſis venit?* Notandum, quid *quatuor menſes* ſignificent, quis primus, quis ſecundus, tertius & quartus, in quibus homo laborare debeat, ut fructum æternæ vitæ quandoque metere queat. Primus menſis eſt declinare à malo, ſecundus facere bonum, tertius perſeverantia in bonis, quartus remuneratio æternæ vitæ. Meſſis ergo venit, ut *hordea meterentur*, quando auſteritas legis, quæ per *hordeum* figuratur, commutata eſt in gratiam Evangelicæ dulcedinis,

Joan. IV. 38.

Caput II.

℣. I. *Erat autem viri Elimelech conſanguineus, homo potens & magnarum opum nomine Booz.*

℣. II. *Dixitque Ruth Moabitis ad ſocrum ſuam: ſi jubes, vadam in agrum, & colligam ſpicas, quæ fugerint manus metentium, ubicumque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam. Cui illa reſpondit:* D. *vade filia mi.*

℣. III. *Abiit itaque & colligebat ſpicas poſt terga metentium. Accidit autem, ut ager ille haberet dominum, nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech.*

℣. IV. *Et ecce, ipſe veniebat de Bethlehem, dixitque meſſoribus: Dominus vobiſcum. Qui reſponderunt ei: Benedicat tibi Dominus,*

Erat autem viri Elimelech conſanguineus, homo potens & magnarum opum nomine Booz. Quem, rogo, *Booz* iſte, qui *fortitudo* interpretatur, ſignificat niſi Dominum noſtrum JEſum Chriſtum? Ipſe enim *potentiſſimus* omnium eſt, & *magnarum opum*, cujus magnitudinis non eſt finis. Hic *conſanguineus fuit Elimelech*, quia omnia quæ naturalis lex docuit, nemo pleniùs adimplevit quàm ipſe in humilitate humanitatis aſſumptæ.

Dixitque Ruth ad ſocrum ſuam: ſi jubes, vadam ad agrum, & colligam ſpicas, quæ metentium fugerint manus, ubicunque clementis patrisfamilias in me reperero gratiam. En quomodo paulatim de virtute in virtutem proficit, & quod maximè ſaluti animæ ejus congruat, ſolicitè interrogat. *Si jubes*, inquit, *vadam in agrum.* Per *agrum* Sacra Scriptura deſignatur, quia fertilis eſt & fœcunda, in qua beatus quisque C. *ſpicas colligit*, quando ſententias Scripturæ non per ſe aut à ſe, ſed quantumcunque *clementis patrisfamilias*, id eſt, Spiritûs S. *gratiâ reperire* poteſt, in ventrem memoriæ colligit, ne anima vitali cibo ſui deſtituta pereat. Quo verò ordine id agere debeat, & hujus dignitatis particeps fieri valeat, edocetur. *Vade*, inquit, *filia mi*; ac ſi dicat: *Vade* auxiliô Spiritùs S. quia nulla in diſcendo mora eſt: *vade* in directione cordis tui, quia niſi cor ſurſum habeatur, theſaurus cœli non invenitur: *vade* etiam labore corporis tui, quia frequens meditatio corporis eſt afflictio, & *qui addit ſcientiam, addit & laborem.* Eccle. I. 18.

Abiit itaque, & colligebat ſpicas poſt terga metentium, Tunc nempe *ſpicas*, hoc eſt ſententias Scripturæ *poſt terga metentium*, ſcilicet prædicatorum colligimus, cùm neque ad dexteram vel ad ſiniſtram declinamus, ſed regiâ viâ incedentes firmiter fideliterque unam & Apoſtolicam fidem retinemus.

Acci-

Accidit autem, ut ager ille haberet A.
Dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech. Booz qui interpretatur *in fortitudine*, typum exprimit Filii DEI in carne, qui per potentiam humilitatis ſuæ proſtravit immanitatem ſuperbiæ diabolicæ. Qui nimirum ſolus in agro Sanctæ Scripturæ obtinet dominium ſalutaris intelligentiæ, quia
Apoc. III. 7. ipſe *aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.*

Et ecce ipſe veniebat de Bethlehem. Ecce, quem Vates vetuſtis concinebant ſæculis, quem Prophetarum B.
fideles paginæ ſpoponderant, ille expectatio gentium, & deſideratus earum, ille ſpecioſus forma præ filiis hominum, *ecce ipſe veniebat de Bethlehem!* Sic enim ait Angelus ad paſtores:
Luc. II. 10. *Ecce*, inquit, *evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus in civitate David.*

Dixitque meſſoribus: Dominus vobiſcum. Ubi, aut quando meſſores ſuos tam pacificè & blandè dignatus eſt ſalutare? Nimirum poſt Reſurrectio- C.
nem, quando in medio meſſorum, in medio diſcipulorum ſuorum ſummus Pontificum Pontifex ſtetit, & dixit:
Luc. XXIV. 36. *Pax vobis.*

Qui reſponderunt ei: Benedicat tibi Dominus. Quod idem eſt, ac ſi pio magiſtro dicant: Nomen tuum, ô Domine, ſit benedictum, & dilatetur in omnes generationes ſæculorum ſæculi.

℣. V. *Dixitque Booz juveni, qui meſſoribus præerat: Cujus eſt hæc* D.
puella?

Per *juvenem* hunc primus Doctor gentium Paulus accipitur, cujus doctrinam & converſionem David in ſpiritu
Pſal. LXVII. 2. prævidens ait: *Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.* Qui profectò *meſſoribus præerat*, quia ùt ipſe teſtatur,
1. Cor. XV. 10. *plus omnibus laboravi.* Ad quem non incongruè dicitur, cujus ſit puella, ut noverit ipſius Domini ſponſam eſſe, quæ monitis & prædicatione ipſius inſtituitur, quæ propter ſobolem & fœcunditatem virtutum aptiſſimè *puella* nominatur.

Qui reſpondit: Hæc eſt illa Moabitis, quæ venit cum Noëmi de regione Moabitide, ℣. VI.

Et rogavit, ut ſpicas colligeret remanentes, ſequens meſſorum veſtigia, & de mane usque nunc ſtat in agro, & ne ad momentum quidem reverſa eſt. ℣. VII.

Ac ſi dicat: Hæc eſt *illa Moabitis*, Eccleſia videlicet de gentibus, *& rogavit, ut ſpicas colligeret, ſequens meſſorum veſtigia*, ut quemadmodum accepit, fidem integram inviolatamque cuſtodiat, & *de mane usque nunc ſtat in agro*, de mane, inquam, Reſurrectionis *usque nunc*, id eſt, quam diu præſens vita volvitur, *ſtat in agro* Sanctæ Scripturæ, *& ne ad momentum quidem reverſa eſt*, obſervando ſolicitè, ne tibi peccet vel offendat locutione, operatione, cogitatione.

Et dixit Booz ad Ruth: Audi ℣. VIII.
filia.

Magnæ dignationis ſunt verba hæc. Eccleſia enim Deo placita, digna prorſus nomine & dote ſponſæ, DEum Patrem in ſecreto conſcientiæ ſuæ & in Oratione Dominica nominare præſumens, paterno ſe affectu diligi ab eo confidat. Hæc quàm amanter, quàmque dignanter à Patre ſuo nomine *filiæ* honorari mereatur, audiamus. *Audi*,
inquit, *filia, & vide, & inclina au-* Pſ. XLIV. 12.
rem tuam. Tu me patrem tuum appellas & clamitas: ego te *filiam* meam eſſe cenſeo, quæ inclinâſti aurem tuam, & oblita es populum tuum & domum patris tui.

Ne vadas, inquit, *ad colligendum in alterum agrum, ſed jungere puellis meis:*

Et ubi meſſuerint, ſequere. ℣. IX.

Quod eſt dicere: *In alium agrum non vadas*, hoc eſt doctrinam hæreticorum

Digitized by Google

corum devita, quæ valde aliena eſt à A. propoſito Chriſtianæ fidei: *ſed jungere puellis meis*, ſcilicet Apoſtolis meis, *& ubi meſſuerint*, *ſequere*, id eſt, veſtigia prædicationis eorum diligenter

Proverb. imitare. Unde per Moyſen dicitur:
XXII. *Ne transgrediaris terminos, quos con-*
28. *ſtituerunt patres tui.*

Mandavi enim pueris meis, ut nemo ſit tibi moleſtus.

Pueri Domini Spiritus Angelici poſſunt accipi, ſeduli animæ internuncii, miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. His B. *mandat* DEus, ut ſedulò diebus ac noctibus obſervent, quatenus illud, quod eſt *nemo*, peccatum videlicet & diabolus, qui nihil ſunt niſi privatio totius boni, nobis moleſtiam non inferant. Quid ergo?

Si ſitieris, vade ad ſarcinulas, & bibe aquas, de quibus & pueri bibunt.

Felix cui datum eſt *ſitire* & deſiderare DEum, ſitire, inquam, & deſiderare, quando veniat & appareat ante faciem DEI, quem profectò vidiſſe C. inedicibile gaudium eſt, magna & unica

Joan.VII. ſalus eſt! Unde Dominus in Evangelio:
37. *Si quis ſitit, veniat & bibat.* Ad quem quia adhuc carne circumdata venire differtur, *vadat* neceſſe eſt interim *ad ſarcinulas*, id eſt, lagunculas Sanctæ Scripturæ, quæ ideo *ſarcinulæ*, quia modicum vini in illis conſervatur in comparatione futuræ ebrietatis; *& bibat aquas* limpidiſſimas, nullius erroris admixtione turbidas, donec mereatur inebriari ab ubertate domûs DEI, & torrente voluptatis ejus potari. Sequitur:

ỳ. X. *His auditis cecidit in faciem ſuam, & adoravit ſuper terram.*

Cadit in faciem ſuam, quæ inter omnia dona dignationis Chriſti ſe ipſam humiliter peccatricem & indignam recognoſcit: *adorat* verò, dum ex cognitione ſui familiariùs incipit habere notitiam DEI: *adorat* quoque *ſuper terram*, dum myſterium Incarnationis ejus ſuppliciter veneratur.

Dixitque Ruth ad Booz, unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, & nôſſe me dignareris peregrinam mulierem?

Eccleſia denique converſa ad ſponſum ſuum, & liquefacta igne amoris DEI, memor omnium beneficiorum ejus, in nimia mentis dejectione loquitur in hæc verba cum DEO: *Unde hoc mihi*, ô Domine DEus, *ut invenirem gratiam in oculis tuis, & nôſſe me* peccatricem *dignareris?* Unde mihi, Domine, tot & tanta beneficia tua, quæ nullis præcedentibus vel ſubſequentibus meritis meis tibi Domino univerſorum aliquando me complacuiſſe recolo? Et cum David: *Quis ego* II. Reg.
ſum, inquit, *Domine DEus meus, quia* VII. 18.
adduxiſti me huc uſque? Advena ſui & peregrina ſicut omnes patres mei, & ideo mirificis donis tuis exhilarata, laudem & gloriam, & gratiarum actiones refero tibi.

Cui ille reſpondit: Nunciata ỳ. XI.
ſunt mihi omnia, quæ feceris ſocrui tuæ poſt mortem viri tui, & quòd reliqueris parentes tuos, & terram, in qua nata es, & veneris ad populum, quem antea neſciebas.

Sic quippe Eccleſiâ in vera cordis humilitate pro mira dignatione & dilectione ſibi exhibita gratiarum actiones referente, reſpondere dignatur Dominus dicens: *Nunciata ſunt mihi, quæ feceris ſocrui tuæ.* Ac ſi dicat: *Nunciata ſunt mihi* per Angelos meos, omni hora aſcendentes & deſcendentes ſuper filios hominum, *quæ feceris ſo-* D. *crui tuæ*, id eſt, quanta fide & inſtantia adhæſeris Eccleſiæ primitivæ, *poſt mortem viri tui*, poſt conſummationem Ordinis Prophetici, qui tuæ providit vocationi; & quòd cum fideli Abraham exieris de terra tua & cognatione, *& veneris ad populum quem antea neſciebas.*

Reddat tibi Dominus pro opere ỳ. XII.
tuo, & plenam mercedem recipias à Domino DEO Iſrael, ad quem veniſti, & ſub cujus alas fugiſti.

Digitized by Google

Per *alas* gemina charitas, DEI vi- A.
delicet & proximi, ſive teſtamentum legis & Evangelii, vel protectio DEI poteſt accipi. Orat ergo & exoptat Filius DEI, ut DEus Pater plenam beatitudinis mercedem condonet Eccleſiæ, quæ ſub alas ejus confugit, gemina ſcilicet charitate DEI & proximi ſublimis exiſtens, quæ in protectione DEI cœli confidens, teſtamentum legis & Evangelii devotè obſervare decertat, habens nunc in ſpe, quod quandoque perceptura eſt in re. Qua *mercede* donata, dum bonis omnibus & delitiis quandoque affluere cœperit & perfrui, B.
his verbis congruè ſatis poterit uti:

℣. XIII. *Inveni*, inquiens, *gratiam coram oculis tuis, qui conſolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non ſum ſimilis unius puellarum tuarum.*

Perveniens enim illuc, ubi verum laborum dolorumque ſolamen eſt Chriſtus Dominus noſter, qui ſicut mater filios ſuos materno & plusquam materno affectu novit conſolari, totius vitæ C.
doloribus & ærumnis liberata, non in dubio, ſed in veritate valet ammodò
Pſ. XCIII. 19. cum Propheta dicere: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Ibi *loquetur ad cor ancillæ ſuæ*, id eſt, Eccleſiæ, quæ ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita cordis ejus oculi ad Dominum DEum tota intentione erexerat, usquequo tandem miſereri dignaretur, & per illum, qui eſt fons & origo totius boni, lætificari mereretur. Cui quantum vult, & in quantum deſiderat, ſe ipſum of- D.
fert DEus, & nequaquam tranſeunter aùt verbotenus, ſed medullitus & perpetuò loquetur ei, & blandietur, ſicut
Iſa. XL. 2. per Prophetam ait: *Loquimini ad cor Jeruſalem, & advocate eam.* Quæ ut in omnibus humilitatis teneat fundamentum, ſubjungit: *quæ non ſum ſimilis unius puellarum tuarum.* Omnibus enim inferiorem & viliorem ſe pronuncians, miratur, unde ſibi tantarum munera gratiarum collata ſint in præmio, quæ nulli Angelorum, nulli Sanctorum, nulli perfectorum æquipari poſſit ex qualicunque bonæ actionis merito.

℣. XIV. *Dixitque Booz ad Ruth: Quando hora veſcendi fuerit, veni huc, & intinge buccellam tuam in aceto.*

Certè non minùs ſuavis quàm ſalutaris eſt hæc *hora* refectionis. Si enim dimiſſis à ſe curarum omnium turbis, diſſolvi & eſſe cum Chriſto cupiat vehementer, ardenterque ſitiat, & aſſiduè DEum meditetur, *horam* internæ accipit refectionis, & ad locum illum ſecretum, qui eſt apud ſponſum, in quo non terribilis, ſed amabilis apparere dignatur, dulciter & placidè invitatur. *Veni*, inquit, *huc*. Hinc ex beatiſſimis unus, Thomas ſcilicet Apoſtolus, ſecretum ſortitus eſt locum in latere Chriſti, dicente ſibi Domino: *Infer digitum tuum huc.* Quid ſubinde? *Comede*, inquit, *panem*, *& intinge buccellam in aceto.* Quod idem eſt, ac ſi dicat: comede me, & vives: cibus enim ſum fortium per fidem & non per ſpeciem ambulantium; *& intinge buccellam tuam in aceto*, buccellam dico, conſcientiam tuam pollutam emunda, *& intinge in aceto*, id eſt, in amara recordatione meæ Paſſionis omnem à conſcientia tua repelle humorem humanæ pollutionis. Sequitur:

Sedit itaque ad latus meſſorum, & congeſſit polentam ſibi, comeditque & ſaturata eſt, & tulit reliquias ciborum.

℣. XV. *Atque inde ſurrexit, ut ſpicas ex more colligeret.*

Quoniam, ùt ſcriptum eſt, *ibunt* Pſal.
Sancti *de virtute in virtutem*, videamus, LXXXIII. 8.
quomodo Eccleſia electorum Chriſti quotidie procedat, & quò DEi adjutorio freta perveniat. Aſſida enim & *collateralis* facta eſt jam meſſorum, magnorum ſcilicet & præcipuorum Prædicatorum, *congerens* & conficiens *ſibi polentam*, id eſt, magnam in Scripturis Sanctis meditando acquirens ſibimet

met

Digitized by Google

met divinæ dulcedinis abundantiam, A. quæ vix aliquando pauculas ſpicas, id eſt, ſententias modicas colligere & invenire poterat. *Comedit quoque, & ſaturatur*, fortia diſcutiendo præcepta: *reliquias tollit*, quia myſtica arcana, quæ ſenſu comprehendere nequit, gratiæ Spiritus Sancti reverenter committit.

Præcepitque Booz pueris ſuis dicens: Etiamſi vobiſcum metere voluerit, ne prohibeatis eam:

℣. XVI. *Et de veſtris quoque manipulis projicite de induſtria, & remanere permittite, ut abſque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat.* B.

Quid eſt *metere volentem non prohibere, & colligentem manipulos non corripere?* *Metit* quippe in agro Domini, qui ſententias Sacræ Scripturæ revelante Spiritu S. colligit, quem nullus corripere, aut prohibere debet: quia quidquid boni & ſanæ fidei unusquisque Prædicator collegerit, non ob hoc corripiendus, ſed magis eſt C. laudandus. Quid ſit autem: *de veſtris manipulis ex induſtria projicite, & remanere permittite*, oſtenditur in lege, Domino per Moyſen præcipiente:

Deut. XXIV. 19. *Quando meſſueritis ſegetem terræ veſtræ, non ſecabitis eam uſque ad ſolum, nec remanentes ſpicas colligetis, ſed pauperibus & peregrinis dimittetis.* *Seges metitur*, quando ubertas Sanctæ Scripturæ exponendo colligitur. Quæ *uſque ad ſolum ſecari* prohibetur, quia multiplicitas ſacræ intelligentiæ à quolibet Doctore, quamvis acutiſſima falce ingenii utatur, ad plenum detonderi D. non poſſe docetur. Nec *remanentes ſpicæ*, id eſt, ſententiæ à quolibet Expoſitore in agro Sanctæ Scripturæ ex integro *colligentur*, *ſed pauperibus* ſpiritu, id eſt, verè humilibus, *& peregrinis* hujus ſæculi, de peregrinationis ſuæ miſeria lugentibus, ad inveſtigandum & exponendum Sanctæ Scripturæ arcanum uſque in finem ſæculi dimittetur. Quâ verò inſtantiâ & cordis cautelâ id agere debeat, conſequenter edocetur, juxta quod jubjungitur:

Collegit ergo in agro uſque ad veſperam, & quæ collegerat, virgâ cædens & excutiens, invenit hordei quaſi ephi, id eſt, modios tres. ℣. XVII.

Colligendum eſt ergo *uſque ad veſperam*, quia quamdiu in præſenti vivitur, laborandum eſt & colligendum in agro Dominico, id eſt, Sacræ Scripturæ, *& quæ colliguntur, virgâ cædenda* ſunt *& excutienda*, virgâ, inquam, id eſt, magiſteriô Spiritus S. & directione veritatis cædenda ſunt & excutienda ab omni palea hæreticæ falſitatis. *Invenit* etiam *Ephi menſuram*, *id eſt, modios tres*, perfectam videlicet fidem Sanctæ Trinitatis cum triplici ſenſu hiſtorico, allegorico, & morali. Dum ergo in præſenti his bonis ſancta Eccleſia quotidie exercetur, ad ſocrum ſuam, id eſt, Eccleſiam, quæ in cœlis eſt, tota mente & intentione revertitur, quemadmodum ſubinfertur:

Quos portans reverſa eſt in civitatem & oſtendit ſocrui ſuæ, inſuper protulit & dedit ei reliquias cibi ſui, quô ſaturata fuerat. ℣. XVIII.

Tunc quippe *in civitatem ad ſocrum ſuam revertitur*, quando tota fide, ſpe & dilectione illuc convertitur, ubi ſe quandoque venturam ſperat, *& oſtendit ſocrui ſuæ*, Eccleſiæ ſcilicet, quæ in cœlis eſt, bona incomparabilia, quæ largitus eſt ei DEus. *Inſuper protulit, & dedit ei de reliquiis cibi ſui, quo ſaturata fuerat.* Per *reliquias ciborum* ſatietas æternæ vitæ figuratur, quæ quandoque omnibus pariter electis condonatur: quas etiam reliquias poſt Reſurrectionem Dominus diſcipulis ſuis dedit. Illud namque æternæ beatitudinis convivium, quo omnes electi in futuro ſatiabuntur, ſimile quodammodo eſt ſymbolo, quòd homines in hac vita ſibi faciunt, ad quod diverſi diverſas ciborum ſpecies deferunt. Ad regnum quippe cœlorum diverſi diverſorum meritorum inſignia quotidie tranſmittunt, quæ adjuncta antiquorum meritis Sanctorum, quaſi unum æternæ ſacietatis ſymbolum efficiunt, ad quod cùm omnes prædeſtinati ad vitam quan-

Digitized by Google

quandoque pervenerint, ſingula ſingu- A lorum merita omnibus erunt communia, quia per ardentiſſimam charitatem quidquid in ſe quisque non habebit, etiam in altero gaudebit. Vel ſic: Cibus noſter corpus & ſanguis eſt Chriſti, quo dum ſatiantur fideles, reliquiæ quodammodo fieri merentur ipſius pertinentes ad conſortium & præmium præcedentium Sanctorum.

℣. XIX. *Dixitque ei ſocrus: Ubi hodie collegiſti, & ubi feciſti opus?*

Hodie iſtud perdurat ab initio us- B que in finem ſæculi, quod ſæpe in Scriptura pro præſenti tempore ponitur. Conlætatur ergo & interrogat *ſocrus*, Eccleſia videlicet illa beatarum animarum cum Chriſto jam regnantium, ubi præſens Eccleſia donec dicitur *hodie*, *ſpicas collegerit*, *& opus ſuum fecerit*. Ac ſi dicat: Ubi *hodie* collegiſti auxilio Spiritus Sancti directione cordis, *& ubi feciſti opus*, per quod tales fructus protuliſti?

Sit benedictus, qui miſertus C *eſt tui.*

Sit nomen Domini benedictum à ſæculo & usque in ſæculum, qui te per miſericordiam ſuam creavit, te redemit, teque ſalvavit.

Cui interroganti & ſciſcitanti indicavit ei, apud quem operata eſſet, & nomen dixit viri, quòd Booz vocaretur.

Cui interroganti per Patriarchas, D *ſciſcitanti* per Prophetas, *indicavit ei* per Apoſtolos, *apud quem operata eſſet*, ſcilicet apud eum, qui dixit: *ſine me* (Joan. XV. 5.) *nihil poteſtis facere* Et *nomen dixit viri, quod Booz vocaretur*, ſcilicet ex quo omnia procederent, per quem omnia ſubſiſterent, in quo omnia viverent, de quo per Pſalmiſtam dicitur: *In Deo faciemus virtutem.* (Pſ. LIX. 14.)

℣. XX. *Cui reſpondit Noemi: Benedictus ſit à Domino, quoniam eandem gratiam, quam præbuerat vivis, ſervavit & mortuis.*

Noemi etenim, pulchra ſcilicet illa Eccleſia in cœlis, benedicit & collaudat DEum de ineffabilibus bonis, quæ præſenti exhibet Eccleſiæ, quomodo *eandem gratiam, quam præbuerat vivis*, id eſt, Angelis ſuis, ſive quibusque innocentibus, *eandem ſervavit & mortuis*, id eſt, peccatoribus & pœnitentibus. Tanta enim & tam ſupereminens eſt magnitudo bonitatis ejus, ut eandem gratiam & beatitudinem, quam Angelis ſuis præbet & innocentibus, *eandem conſervet & mortuis*, mortuis, dico, in peccatis, ſed converſis & pœnitentibus.

Rurſumque propinquus, ait, noſter eſt.

Quæ enim major ſpes & fiducia nobis eſſe poterit gloriantibus de jure propinquitatis Domini noſtri JEſu Chriſti? Caro enim & frater noſter eſt.

Et Ruth: hoc quoque, inquit, præcepit mihi, ut tamdiu meſſoribus ejus jungerer, donec omnes ſegetes meterentur. ℣. XXI.

Chriſtus enim *jubet* Eccleſiæ, *ut* omni hæretica pravitate contempta *tamdiu meſſoribus ejus*, Apoſtolis ſcilicet & aliis Doctoribus *jungatur*, *donec omnes ſegetes*, id eſt, cuncti veteris & novi teſtamenti imitatores in horreum cœli feliciter manſuri quandoque condantur. Booz igitur, id eſt, Chriſto tale dante præceptum, ſocrus quoque ejus, primitiva ſcilicet Eccleſia, Eccleſiæ ex gentibus pium & ſalubre dat conſilium dicendo:

Meliùs eſt, filia mi, ut cum puellis ejus exeas ad metendum, ne in alieno agro quispiam tibi reſiſtat. ℣. XXII.

Ac ſi dicat: *Meliùs eſt* & laudabiliùs, *ut cum puellis Booz*, id eſt, Chriſti Apoſtolis & Doctoribus *ad metendum exeas*, hoc eſt ſanam & Apoſtolicam

Digitized by Google

cam fidei doctrinam firmiter teneas, A. *ne in alienum agrum* perverſorum dogmatum & hæreticæ falſitatis declinans, offenſam divinæ veritatis incurras.

℣. XXIII. *Juncta itaque eſt puellis Booz, & tamdiu cum eis meſſuit, donec hordeum & triticum in horreis conderentur.*

Obtemperans quippe mandatis Domini, puellis Booz, fœcundis ſcilicet Prædicatoribus, & fructum multum afferentibus, ſociatur, *donec hordeum*, B. id eſt, auſteritas legis, *& triticum*, quod eſt novi teſtamenti gratia, ſub quo granum illud frumenti cadens in terram multum fructum attulit, ex toto in regno DEI perficiatur.

Caput III.

℣. I. *Poſtquam autem reverſa eſt ad ſocrum ſuam, audivit ab ea: Filia mi, quæram tibi requiem, & providebo, ut benè ſit tibi.*

Quid his verbis nobis innuitur, niſi C. magna & eminens ſolicitudo, quam habet illa cœleſtis mater noſtra pro ſtatu præſentis Eccleſiæ? Quærit enim & poſtulat à DEO *requiem* & gratiam in hujus mundi incolatu exulantibus, & *providere* cupit, *ut benè ſit filiis ſuis.*

℣. II. *Booz,* inquit, *ille, cujus puellis in agro juncta es, propinquus noſter eſt, & hac nocte aream hordei ventilat.*

Sicut in præcedentibus ſacramentum D. Dominicæ Incarnationis deſcribitur; ſic etiam ſacramentum Paſſionis & Reſurrectionis ejus in hoc loco denotatur. Quando ergo *Booz* iſte, Chriſtus ſcilicet *conſanguineus* naturæ noſtræ, *aream hordei ſui ventilavit*, niſi quando ultima in cœna, in qua *nocte* tradebatur, veteri Paſcha Judæorum conſummato, & novo per corpus & ſanguinem ſuum conſtituto, Synagogam repulit, & gentilitatem aſſumpſit? In hujus etiam *noctis* gratia verus ille agricola ventilabrô ſuô aream ad plenum permundavit, & paleas à granis electis ſegregavit, dum Judam traditorem ſuum, lupum atrociſſimum de ſorte & collegio Apoſtolorum ejecit. Tanta igitur hujus noctis & diei ſanctificatio erat, ut meritò primitiva Eccleſia, omnes, inquam, juſti & fideles, qui eam in ſpiritu venturam prævidebant, licèt eam in carne non expectarent, tamen quaſi congratulando Eccleſiæ de gentibus, quam ſibi Chriſtus morte & ſanguine ſuo ſociaturus erat, quaſi præſentem oſtenderent dicendo: *Hac nocte.* Quaſi dicerent: *Hac nocte* deſiderabili, *hac nocte* memorabili, in qua & nos, qui ab initio ſæculi laboravimus, & vos, quos in fine ſæculi laboraturos in ſpiritu prævidemus, per Paſſionem Domini noſtri inſimul liberandos expectamus. Sequitur;

Lavare igitur & ungere & induere cultioribus veſtimentis, ac deſcende in aream. ℣. III.

Inſinuatur quippe ei, quomodo ſe DEO offerre & contemperare debeat, & ut ei, cui ſe devovit, complaceat exuta terreni hominis vetuſtate, qualiter decorem, qui de cœlo eſt, induere valeat, aperitur. *Lavare*, inquit, *& ungere. Lavare* ſacramento Baptiſmatis, *lavare* ſalubri pœnitentiæ & ſatisfactionis remedio, & ſic mundaberis, ac ſuper nivem dealbaberis: *ungere* unctione Sancti Spiritûs, per quem pretioſiſſima unguenta, morum ſcilicet & virtutum inſignia, in corde hominis conficiuntur: *induere* quoque cultioribus veſtimentis, primam videlicet innocentiæ ſtolam recipiendo, quam incultis & vilibus indumentis, id eſt, peccatis hactenus induta amiſiſti. Et ſic *deſcende in aream*, hoc eſt, ſic ornata & compoſita deſcende in unitatem Eccleſiæ.

Non te videat homo, donec eſum potumque finierit.

Ac ſi dicat: Chriſtus Filius DEI, qui nunc tantùm notus eſt in Judæa, & in Iſrael magnum nomen ejus, te inquina-

Digitized by Google

quinatam & idolatriæ immunditiis ſor- A. ditatam nec *videre* nec agnoſcere dignatur, *donec eſum* corporis, *potumque* ſanguinis ſui *finierit*, teque morte ſua mundaverit, exhibens te ſibi ſponſam non habentem maculam aut rugam.

℣. IV. *Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum, in quo dormiat, veniesque & diſcooperies pallium, quo operitur à parte pedum, & projicies te, & ibi jacebis.*

Quando aut *in quo loco* Filius DEI B. obdormivit, niſi quando in lectulo crucis dilectum DEO Patri ſpiritum ſuum tradidit? Hic *locus* omnino meditandus, non retrò in humeris, ſed præ oculis ſemper eſt habendus, quia omnino neceſſe eſt ſcire JEſum & hunc crucifixum. Ad cujus *pedes nos diſcoopertò palliò ejus projicere* debemus, quia ſi aſſiduæ imitationem paſſionis ejus & mortis, quæ per *partem pedum* intelligitur, mente revolvimus, & humiliter ei in omnibus nos ſubſternimus, pallio humanitatis ejus cooperti & protecti, in cunctis mundi hujus peri- C. culis illæſi permanebimus. Unde rectè
Deut. XXXIII. 3. per Moyſen dicitur: *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ejus.*

Ipſe autem dicet tibi, quid agere debeas.

Docet enim & inſtruit Chriſtus Eccleſiam multiformi gratia Sancti Spiritus, *quid agere*, qua via incedere *debeat*, ut ad vitam æternam quandoque perveniat. Quæ etiam paratam ſe ad omnia & promptam denuncians ait:

℣. V. *Quidquid præceperis mihi, faciam.*

℣. VI. *Deſcendit itaque in aream, & fecit omnia, quæ ſibi imperaverat ſocrus.*

Quæcunque enim primitiva Eccleſia in Patriarchis & Prophetis Eccleſiam de gentibus admonendo & exhortando ad fidem edocuit, hæc non ſegniter, ſed inſtanter adimplevit, *deſcenditque in aream*, id eſt in unitatem Eccleſiæ optans & deſiderans, ut tandem aliquando ad optatos ipſius Domini amplexus pervenire mereretur.

Cùm autem comediſſet Booz & bibiſſet, & factus eſſet hilarior, iſſetque ad dormiendum juxta acervum manipulorum, venit abſconditè & diſcooperto à pedibus ejus pallio ſe projecit. ℣. VII.

Cùm ergo Eccleſia tanta fide & dilectione Dominum requireret, illeque *comediſſet & bibiſſet*, id eſt, cùm ſacramentum corporis & ſanguinis ſui Apoſtolis tradidiſſet, *& factus eſſet hilarior* magnus ille & ſpectabilis Rex, (vehementer enim exultavit, erantque dies lætitiæ cordis ejus, quando pro Redemptione noſtra in ara crucis occubuit) *iſſetque ad dormiendum juxta acervum manipulorum*, hoc eſt, poſitus de ligno crucis juxta aliorum corpora Sanctorum in monumento ſe collocâſſet, *venit* Eccleſia, *& diſcoopertò palliò*, id eſt, revelatò myſteriò humanitatis ejus, *projecit ſe*, quærendo veniam de peccatis. Dum ergo obediens Patri conſummatus eſſet in brevi, mox ſubſequenti lætificatus eſt Reſurrectionis triumphò, quemadmodum ſubjungitur.

Et ecce media nocte expavit homo, & conturbatus eſt. ℣. VIII.

Et excitatus eſt, inquit David, *Dominus tanquam potens crapulatus à vi-* Pſal. LXXVII.
D. *no, & percuſſit inimicos ſuos in poſte-* 5.
riora. Expavit homo, qui erat DEI Filius, id eſt, expavere fecit omnes inimicos ſuos, dæmones ſcilicet, vel infideles homines, quales erant illi ſepulchri cuſtodes, & eorum perfidi principes: *& conturbatus eſt*, id eſt, conturbavit inferos & ſuperos factò magnô terræ motu, *nocte media* reſurgens à mortuis in virtute ſua.

Viditque mulierem jacentem ad pedes ejus:

Et

Digitized by Google

℣. IX. *Et ait: Quæ es?*

Agnovit enim Chriſtus Eccleſiam, quam pridem repudiaverat, *& vidit* oculis miſerationum ſuarum *jacentem ad pedes* ſuos, reſpondere ſcilicet & communicare volentem paſſionibus ſuis. Quam, ùt eſt miſericors, miſericorditer interrogat dicens: *Quæ es?* Interrogatio hæc oppoſita eſt interrogationi illi, qua primo homini abſcondenti ſe accuſante conſcientiâ Dominus ait:

Gen. III. 9. *Adam ubi es?* Ac ſi dicat: Conſidera, in quo ſtatu fueris, in qua gloria, in qua felicitate poſitus fueris; & nunc B. vide, quo deveneris, in quantam miſeriam & in quantam infelicitatem cecideris. Miranda oppoſitio, prædicanda divinæ ſententiæ immutatio, ſuavis interrogatio. *Quæ es?* Ac ſi Eccleſiæ ſuæ, quam mirò modô ad ſe Dominus traxit, dicat: Memento, qualis aliquando fueris, & qualis nunc per me facta ſis: recordare, quam ſordida & quàm abjecta diſplicueris oculis Majeſtatis meæ, & vide, quàm ſpecioſam & quàm formoſam te jam factam mihi aſſumpſerim, & hæc medullis cordis ſemper inſerito. Quæ C. etiam qualem ſe quamque indignam reputet & æſtimet, in his omnibus manifeſtat reſpondendo:

Ego ſum Ruth ancilla tua.

Ego ſum ancilla tua, quam creâſti, ego ſum, quam pretioſo ſanguine tuo redemiſti.

Expande pallium humanitatis tuæ *ſuper me famulam tuam*, & contege ſordes & ſcelera peccatorum meorum, quibus te offendi, & ubi exigente juſtitia tua parcere non vis delictorum D. meorum infortunio, reminiſci debes, quia miſereri te oportet, *ex propinquitatis* debito.

℣. X. *Et ille, benedicta,* inquit, *es à Domino filia.*

Quaſi diceret: Quia tu me benedictum, qui veni in nomine Patris mei, fide & dilectione dignè quaſi Dominum & Patrem ſuſcepiſti, ideo tu à A. DEO Patre meo quaſi *filia benedici* meruiſti.

Et priorem miſericordiam poſteriore ſuperâſti.

Priorem, inquam, *miſericordiam*, qua te in paradiſo creavi, *poſteriore* miſericordia *ſuperâſti*, qua te humanitate mea redemi, & ipſam humanitatem devicta morte per Reſurrectionem & Aſcenſionem meam ſuper omnes choros Angelorum exaltavi. Sed & ideo benedicta:

Quia non es ſecuta juvenes pauperes, ſive divites.

In hoc enim complacuiſti mihi, & ex hoc benedici meruiſti, eò quòd *juvenes pauperes, ſive divites*, minores ſcilicet & majores hæreticos contemnens, conventicula eorum & dogmata perverſa declinâſti. Et quia hoc feciſti:

Noli metuere, ℣. XI.

Sed habe fiduciam in me, qui Pater tuus ſum, & te mihi in filiam adoptavi, tuiſque votis & precibus annuere ſum paratus.

Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ,

Poſiti in arce uranicæ curiæ meæ, quorum præſidiis adjuvaris & muniris:

Mulierem te eſſe virtutis.

Nec abnuo me propinquum, ſed eſt alius me propinquior. ℣. XII.

Non nego tibi propinquitatem propter ſuſceptam pro te & à te humanitatem, *ſed eſt alius me propinquior*, Moyſes Legiſlator, qui me prior à Patre DEO tibi datus eſt Doctor.

Quieſce hac nocte, & facto mane, ſi te voluerit propinquitatis jure retinere, benè res acta eſt: ſin autem ille noluerit, ego te abſque ulla dubitatione ſuſcipiam, vivit Dominus. ℣. XIII.

Quieſce

Digitized by Google

Quieſce hac nocte paſſionis meæ, hoc eſt, quieſcente me in crucis ferculo, vel in ſepulchro, tu quoque *quieſce* à diaboli incurſu & à mundi ſtrepitu. Vel *quieſce hac nocte*, id eſt, toto tempore in tenebris hujus vitæ, *quieſce* in ſecreto cordis à mundi ſtrepitu, à vitiorum tumultu. *A facto manè* Reſurrectionis meæ, vel reſurrectionis futuræ, *ſi te* Patriarcharum filiam, Prophetarum amicam, *jure propinquitatis voluerit retinere*, Evangelii fidem & perfectionem tibi prædicando, *benè res acta eſt*: quia ſi Sacerdos & Levita vulnerato curam impenderent, me Samaritanum venire nulla neceſſitas cogeret. *Si autem ille noluerit*, vel ùti credibile eſt, non potuerit, quia nihil ad perfectum lex adduxit, *ego te* proximam meam, amicam meam, columbam meam in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, *abſque ulla dubitatione ſuſcipiam*, in præſenti inſtruendo & gubernando, in futuro plena mercede fidem tuam & devotionem remunerando. *Vivit Dominus*, DEus, inquam, meus ex ſuſcepta pro te humanitate, DEus tuus ex impenſa per me pietate.

Dormi uſque mane.

Ac ſi dicat: *Dormi* in ſuavitate meæ contemplationis, in ſpe tuæ remunerationis, *uſque mane* futuræ tuæ reſurrectionis.

℣. XIV. *Dormivit itaque ad pedes ejus uſque ad noctis abſceſſum.*

Dormit quippe Eccleſia *ad pedes* Chriſti, ad imitationem paſſionis ejus, *uſque ad noctis abſceſſum*, uſque ad conſummationem vitæ præſentis, quando nox abſcedit, quando dies appropinquabit. Cui ad pedes Chriſti feliciter obdormienti præſentis & futuræ reſurrectionis gloria condonatur, juxta quod ſubjungitur:

Surrexit itaque, antequam homines ſe cognoſcerent mutuò.

Surgit Eccleſia in præſenti à ſomno peccati per fidem futuri judicii, per ſpem æterni præmii, per amorem Dei, *antequam homines mutuò ſe cognoſcerent*, id eſt, antequam veniat Dominus, *qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*, ut homines mutuò ſe tunc recognoſcant, cùm ea quæ nunc latent occulta cordium, tunc non lateant. *Surgit* etiam Eccleſia in futuro, cùm ſpiritu & corpore recepto occurrit Chriſto Domino: & tunc mutuò homines ſe incipient recognoſcere, cùm tranſacta inter bonos maloſque futuri judicii diviſione, electi quique in regno Patris ſine fine de ſua ſalvatione gaudebunt. Cui quid inter hæc agendum ſit, ne fortè in futuro examine Creatoris ſui diſpliceat oculis, ſæpe dicti Booz edocetur verbis. 1. Cor. IV. 5.

Et dixit Booz: Cave, ne quis noverit, quòd huc veneris.

Ante omnia admonet & exhortatur, *ne quis*, hoc eſt, diabolus, qui nihil eſt niſi privatio boni, bona ejus auferat, ſi hæc à vanæ gloriæ ambitione abſcondere non laborat. Unde Dominus in Evangelio *regnum cælorum ſimile eſſe* perhibet *theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo*, non furibus aut latronibus diripiendum exponit, ſed ſolicitè & cautiſſimè *abſcondit*. Theſaurus iſte amor eſt & deſiderium cœleſtis vitæ. Quem dum homo quæſitum invenerit, *cavendum eſt, ne quis noverit*. Et eſt quaſi dicat: Theſaurum quæſiſti, theſaurum inveniſti, cave ne quis malignorum ſpirituum noverit, quòd huc ad me, qui DEus abſconditus ſum, veneris, & ad me interiùs totam fidem & devotionem& intentionem tuam converteris.

Et rurſum: ℣. XV.

Non enim ſemel tantùm, ſed iterum iterumque profectum virtutum ingeminat:

Expande, inquiens, *pallium tuum, quo operiris, & tene utraque manu.*

Per *pallium* perfectæ charitatis virtus accipitur, qua quiſquis ornatus & com-

Digitized by Google

compoſitus fuerit, habet profectò tale A.
operimentum, quo tegere valeat turpitudinem peccatorum ſuorum, ſicut
1. Petr. ſcriptum eſt: *Charitas operit multitudi-*
IV. 8. *nem peccatorum.* Quod utique charitatis operimentum *utraque manu eſt tenendum*, quia duæ vitæ ſunt, quæ per utraſque manus deſignantur, activa ſcilicet & contemplativa; ſed activa prior eſt tempore quàm contemplativa, quia ex bono opere tenditur ad contemplativam.

Quæ extendente & tenente, menſus eſt ſex modios hordei, & poſuit ſuper eam. B.

Quæ extendente & tenente, extendente ſe, dico, in activa vita per afflictionem corporis, *& tenente* in contemplativa perſeverantiam boni operis, *ſex modios hordei metitur*, id eſt, quinque libros Moyſi cum libro Judicum ſpiritualiter intelligendos aperit, *& ponit ſuper eam*, id eſt, in ſuperius rationalis ſenſûs hominis, in quibus inveſtigare valeat, quid myſterii ſpiritalis lex contineat. Quibus inſtructa & C.
compoſita *ingreditur civitatem*, ſcilicet in collectionem fidelium:

℣. XVI. *Et venit ad ſocrum ſuam,*

Id eſt, cœpit pertingere ad primitivam Eccleſiam per bonam vitam & per bonam ſcientiam.

Quæ dixit ad eam: Quid egiſti filia?

Hæc interrogatio eſt excitatio & exhortatio primitivæ Eccleſiæ, qua exhortatur & admonet Eccleſiam de gen- D.
tibus, ut piis inſiſtendo laboribus quandoque percipiat in re, quod ſibi promiſſum fuit in ſpe. Ad cujus excitationem & admonitionem ſuam econtra Eccleſia de gentibus profert narrationem, juxta quod ſequitur.

Narravitque ei omnia, quæ ſibi feciſſet homo,

Hæc *narratio* non eſt aliud niſi gratiarum actio, quâ aſſiduè prædicat, & annunciat, *quæ* & quanta *ſibi fecerit homo*, ille homo, inquam, qui in forma DEI eſſet, ſe ipſum exinanivit, & propter ſe homo fieri voluit.

Narrat etiam, quòd *ſex* illi ſupra memoratos *modios hordei dederit*, quibus eam ad bonam ſcientiam & perfectam vitam inſtruxerit dicens:

Nolo te vacuam reverti ad ſocrum tuam. ℣. XVII.

Vacua & inanis *reverteretur*, ſi Filius DEI homo fieri non dignaretur, & ſcientiâ Sanctæ Scripturæ ab illo non inſtrueretur. Non vult ergo DEus Eccleſiam, vel unamquamque animam fidelem *vacuam redire*, quam vult vel multorum profectu filiorum, vel diverſarum mercimonio virtutum opulentam coram ſe venire. Unde in lege per Exod.
Moyſen præcipit dicens: *Non appare-* XXXIII.
bis in conſpectu meo vacuus. Et de ver- 15.
bo ſuo per Prophetam: *Non revertetur* Iſa. LV. 11.
ad me, inquit, *vacuum.* Hinc etiam
Paulus ait: *Gratia DEI in me vacua non* I. Cor. XV
fuit. Conſolans ergo Eccleſiam ex 10.
gentibus de futura humani generis Redemptione, ſubinfert Noëmi, pulchra Eccleſia, quæ erat in Patriarchis:

Expecta, inquit, *filia, donec videamus, quem res exitum habeat.* ℣. XVIII.

Expecta, id eſt, exemplum patientiæ à patribus tuis accipe, *donec videamus* ego & tu ab initio usque ad finem ſæculi, quem hæc *res* magna, ſcilicet, quòd pro ſalute noſtra Filius DEI dignatus eſt incarnari, *quem res hæc exitum habeat*, id eſt, ad quem finem tantæ pietatis diſpenſatio tendat.

Neque enim ceſſabit homo, niſi compleverit, quæ locutus eſt.

Ac ſi dicat: Non ceſſabit homo ille, Filius DEI, qui fidelis eſt in omnibus verbis ſuis, id eſt, non dimittet, *donec compleat* omnia, *quæ locutus eſt* ante legem, ſub lege, ſub gratia. Sequitur:

Caput IV.

¥. I *A Scendit ergo Booz ad portam civitatis, & ſedit ibi.*

Quia in *porta* olim judices ſedere ſolebant, qui lites in civitate commorantium dirimebant, rectè per *portam* vetus lex accipitur, per quam datis divinitùs judiciorum decretis, peccantium audacia comprimebatur. Vel quia per portam in civitatem intratur, non incongruè per *portam* vetus lex figuratur, per quam ad novam Evangelii legem introitus parabatur. *Aſcendit ergo* Chriſtus *ad portam*, quando clamante in Ægypto Hebræorum populo, deſcendit per ſuam miſericordiam, ut audiret gemitus compeditorum, ut ſolveret filios interemptorum,
Pſal. CI. 21. *& ſedit ibi*, quod eſt proprium Domini, Judicis & Magiſtri.

Cumque vidiſſet propinquum præterire, de quo priùs ſermo habitus eſt, dixit ad eum: Declina pauliſper, & ſede hic, vocans eum nomine ſuo.

Cumque vidiſſet de rubo futurum Legiſlatorem prætereuntem, id eſt, viam hujus vitæ ſine concupiſcentia ſæculi tranſeuntem, vel ad viſionem illam magnam rubi tranſeuntem, *dixit ad eum: Declina pauliſper*, id eſt, altitudinem cordis tui ſolis cœleſtibus intentam paululum reflecte ad ſuſcipiendam laborioſam prædicationis viam, *& ſede*, id eſt, cathedram magiſtri tene, *hic*, id eſt, ad legem, vel ad portam, vel in hoc mundo, qui tranſiturus eſt, per quod innuitur, legem in æternum ſtare non poſſe: *vocans eum nomine ſuo*, Moyſes, Moyſes.

Qui divertit & ſedit.

Divertit quippe à conſortio multorum latam & ſpatioſam viam incedentium ad auguſtam viam, quæ ducit ad vitam, majores divitias æſtimans theſauris Ægyptiorum improperium Chriſti, *& ſedit*, id eſt, cathedram magiſtri in veteri teſtamento accepit.

Tollens autem Booz decem viros de ſenioribus civitatis, dixit ad eos: Sedete hic. ¥. II.

Per *decem viros*, qui ſunt *ſeniores civitatis*, Decalogus legis accipitur; quem ſibi & Moyſi Chriſtus aſſidam fecit, ſed tamen per adverbium *hic* tranſlationem legis quandoque futuram innuit.

Quibus reſidentibus, locutus eſt ad propinquum. ¥. III.

Quibus reſidentibus, Legiſlatori Chriſtus ſic loquitur:

Partem agri fratris noſtri Elimelech vendit Noëmi, quæ reverſa eſt de regione Moabitide.

Hic eſt *ager*, de quo Iſaac, cùm filio benediceret, ait: *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus.* Hic eſt ager, pro quo Jeremias in carcere poſitus, patrueli ſuo Ananaheli ſeptem ſtateres in pretio appendit. *Ager* eſt enim ſcientia Sanctæ Scripturæ, vel gloria æternæ vitæ. Pro quibus utriſque Jeremias, qui interpretatur *excelſus Domini*, ſcilicet perfectus quiſque in vita ſua, poſitus in carcere hujus vitæ, qui poteſt dicere cum Apoſtolo: *cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto*, Ananaheli, id eſt, gratiæ DEI, ſe in bono prævenienti & ſubſequenti, ſeptem ſtateres, ſcilicet vel ſeptiformem gratiam Spiritûs S. vel omnem laborem, qui in ſeptem diebus, id eſt, toto tempore hujus ſæculi haberi poteſt, appendit in ſtatera crucis, ubi ſe Chriſto configit. Hic eſt ager, qui pretiô Dominici ſanguinis in ſepulturam peregrinorum comparatur, ut his, qui ſe exules & peregrinos hujus ſæculi recognoſcunt, æterna requies in cœlis in eo tribuatur. Quæ autem ſit pars hujus agri, David oſtendit in Pſalmo: *Portio mea*, inquit, *Dominus*. Dicit itaque Booz, id eſt, Chriſtus propinquo ſuo Legiſlatori, cum

Gen. XXVII. 27. Jerem. XXXII. 9. ad Philip. I. 23. Pſal. CXVIII. 57.

cum Decalogo ſuo, hoc eſt, cum obſervatoribus Decalogi ſecum reſidenti: *Partem agri fratris noſtri Elimelech vendit Noëmi, quæ reverſa eſt de regione Moabitide.* Quaſi diceret: Gratiam illam DEI, quam vel in ſcientia Sanctæ Scripturæ, licèt nondum editæ, vel in ſpe æternæ vitæ *frater noſter Elimelech*, id eſt, lex naturalis, ſcilicet plebs DEI ſub lege naturali poſita poſſedit, *vendidit*, id eſt, venalem oſtendit per meritum fidei, per fructum ſpei, per pretium charitatis, *Noemi*, pulchra illa Eccleſia in Patriarchis, ſcilicet in Abel, Enoch, Noë, Abraham, *quæ reverſa eſt* mente, & reverſura eſt corpore *de regione Moabitide*, de regione diſſimilitudinis, de regione tribulationis & anguſtiæ, de peregrinatione hujus ſæculi.

℣. VI. *Quod audire te volui, & tibi dicere coram cunctis ſedentibus & majoribus natu de populo meo.*

Ac ſi dicat: Voluntas mea eſt ſalus hominum. Ideo de tenebris, & de tumultu Ægypti te vocavi, ideo tibi in deſerto *auditum* interiorem aperui, ideo *audire te*, quem novi ex nomine, *volui*, *& tibi* conſecretali meo, in interiora deſerti gregem minanti, vel in monte Synai mecum diu commoranti *dicere* per occultam inſpirationem, vel per Angelicam collocutionem, *coram cunctis ſedentibus*, id eſt, Angelicis ſpiritibus mihi individua ſtabilitate aſſiſtentibus, *& majoribus natu*, id eſt, Prophetis & Apoſtolis, qui ſunt Principes de populo meo, de populo Chriſtiano.

Si vis poſſidere jure propinquitatis, eme & poſſide: ſin autem tibi diſplicet, hoc ipſum indica mihi, ut ſciam, quid facere debeam.

Ac ſi dicat: *Si vis poſſidere*, id eſt, ſi voluntas obedientiæ tuæ ſuffragatur voluntati miſericordiæ meæ, *ſi vis poſſidere jure propinquitatis*, quod inter cognatos & affines fidem & dilectionem mutuam facit, *eme* per fidem, *& poſſide* per ſpem & dilectionem. *Sin*

A. *autem tibi diſplicet*, quod tibi offero, ad quod te invito, *hoc ipſum indica mihi*, omnia antequam fiant præſcienti, *ut ſciam*, id eſt, ut ſcire te faciam, *quid facere debeam*, ſcilicet tibi & populo meo, vel per miſericordiam colligendo, vel per juſtitiam repellendo.

Nullus eſt enim propinquus exceptô te, qui prior es, & me qui ſecundus ſum.

Nullus eſt enim propinquus, neque Angelus, neque aliqua alia creatura;
B. *non enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit: excepto te*, qui prior es Legiſlator cum populo Judaico, *& me, qui ſecundus ſum*, id eſt, alter Legiſlator cum populo de gentilitate aſſumpto. At ille reſpondit ex perſona ſui & populi Judaici: Hebr. II. 16.

Ego agrum emam,

Id eſt, fide, ſpe & charitate ſcientiam Sanctæ Scripturæ, vel gloriam æternæ vitæ comparabo. Dixerunt hoc in deſerto, cùm ſe ſervituros promiſe-
C. runt ſoli DEO.

℣. V. *Cui dixit Booz: Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ uxor defuncti fuit, debes accipere, ut ſuſcites nomen propinqui tui in hæreditate ſua.*

Quando emeris fide, ſpe & charitate *agrum*, de quo ſæpè dictum eſt, *de manu mulieris*, id eſt, exempló primitivæ Eccleſiæ in DEum credendo, in
D. ipſum ſpem ponendo, ipſum ſolum diligendo: *Ruth quoque*, id eſt, Eccleſiam de gentilitate ad DEum feſtinantem, *Moabitidem*, id eſt, ab initio ſæculi tribulatam, & uſque in finem ſæculi tribulandam, (*Moab* enim interpretatur *tribulatio*) *quæ uxor defuncti fuit*, id eſt, quæ fuit amica Prophetarum, qui ſunt mortui, *debes accipere*, ſcripta Prophetarum rectè intelligendo, *ut ſuſcites nomen propinqui tui in hæreditate ſua*, id eſt, nomen Chriſti, qui propinquus tuus eſt per carnem de

de tuo genere aſſumptam, celebre A. facias *in hæreditate ſua*, in gentilitate Pſal. II. 8. per orbem terrarum diffuſa. *Poſtula à me*, inquit, *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.*

℣. VI. *Qui reſpondit: Cedo juri propinquitatis.*

Jus enim illud *propinquitatis*, quod fidem firmam & dilectionem mutuam exigit à cognatis, non poſſum ſervare, quia populus meus non vult fidem B. tuam recipere:

Neque enim poſteritatem familiæ meæ delere debeo.

Quæ tunc tota *delebitur*, cùm in fine ſæculi nomen Chriſtianum in toto orbe terrarum Judæis & gentibus ad unum ovile convenientibus propagabitur.

Tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor.

Tu, qui in hunc mundum veniſti, miſſus à DEO perfectus magiſter, *meo utere privilegio*, id eſt, dato mihi à Patre tuo magiſterio, *quo me libenter carere profiteor*, quia populum mihi commiſſum duræ cervicis eſſe intueor:

℣. VII. *Hic autem erat mos antiquitùs in Iſrael inter propinquos,*

Id eſt, diſpoſita fuit ab initio, in fine temporum complenda, inter Chriſtum & Moyſen facta diſpenſatio.

Et ſi quando alter alteri ſuo jure cedebat, ut eſſet firma conceſſio, ſolvebat homo calceamentum ſuum, & dabat proximo ſuo.

Et ſi quando, id eſt, in diſpoſitione temporis ab antiquo præordinata, *alter*, id eſt, prior legiſlator, *alteri*, ſecundo legiſlatori, *jure ſuo*, id eſt, dato ſibi à DEO magiſterio, *cedebat*, hoc eſt, locum dabat, *ut eſſet firma conceſſio*, id eſt, ut teſtamentum ſecundum in fine duraret; *ſolvebat homo*, Moyſes, qui purus erat homo, *calceamentum ſuum*, officium prædicationis ſibi commiſſum, *& dabat proximo ſuo* Chriſto, qui erat DEus & homo.

Hoc erat teſtimonium conceſſionis in Iſrael.

Hoc erat teſtimonium, quod perhibuit Joannes: qui poſt me venit, major me erit. *Joan. I. 15*

Dixit ergo Booz: Tolle calceamentum. Quod ſtatim ſolvit de pede ſuo. ℣. VIII.

Dixit propinquo Moyſi Booz, id eſt, Chriſtus: *tolle calceamentum*, pone magiſterium divinitus tibi commiſſum. *Quod ſtatim ſolvit de pede ſuo.* Dicit Apoſtolus de Prædicatoribus: *calceati pedes in præparatione Evangelii pacis:* *ad Epheſ. VI. 16.* per quod innuitur, Prædicatores ſanctos in fide & operatione debere eſſe C. perfectos. Quia ergo Judaicus populus unum pedem in ceremoniis legalibus habebat obtectum, alium verò in fide recta & charitate DEI perfecta nolebat habere munitum, propterea dicitur Moyſi à DEO, ut ſolvat calceamentum de pede ſuo. Hujus rei figura tunc præceſſit, quando Moyſi DEus de rubo clamavit: *Solve calceamentum de pedibus tuis. Locus in quo ſtas, terra ſancta eſt.* *Exod. III. 5.*

Item aliò modò:

Aſcendit Booz ad portam, & ſedit ibi. Quia per *portam* patet introitus D. in civitatem, non incongruè hìc per portam accipitur futurum judicium, per quod omni electorum multitudini, poſt peractam carnis reſurrectionem, poſt tranſactam malorum ſeparationem, paratur introitus in cœleſtem Jeruſalem. *Ad* hanc ergo *portam* Chriſtus tunc *aſcendit, & ibi ſedit*, quando die quadrageſimo poſt Reſurrectionis ſuæ triumphum videntibus diſcipulis cœlos aſcendit, & ad dexteram DEI Patris in gloria ſuæ Majeſtatis conſedit,

* unde

unde in fine ſæculi venturus eſt ad faciendum judicium, juxta teſtimonium Angelorum dicentium: *Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Sic venit, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* In qua nimirum Aſcenſione & Synagogam pro ſuæ perfidiæ ſacrilegio omni collatæ dignitatis ornamento privavit; & Eccleſiam ſuam pro fidei merito, miſsô de cœlis ſuper turbam credentium Spiritu Sancto omni ſpiritalium chariſmatum ſacramento confirmavit. Unde benè ſequitur: *Act. I. 11.*

℣. IX. *At ille majoribus natu, & univerſo populo, teſtes vos, inquit, eſtis hodie, quòd poſſederim omnia, quæ fuerunt Elimelech, & Chelion & Mahalon, tradente Noëmi:*

℣. X. *Et Ruth Moabitidem, uxorem Mahalon, in conjugium ſumpſerim, ut ſuſcitem nomen defuncti in hæreditate ſua, ne vocabulum ejus de familia ſua ac fratribus & populo deleatur. Vos, inquam, hujus rei teſtes eſtis.*

℣. XI. *Reſpondit omnis populus, qui erat in porta, & majores natu: Nos teſtes ſumus: faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, ſicut Rachel & Liam, quæ ædificaverunt domum Iſrael: ut ſit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem.*

At ille majoribus natu, Chriſtus videlicet Prophetis & Apoſtolis, qui ſunt Principes Eccleſiæ, & univerſo populo fidelium, *teſtes, inquit, vos eſtis hodie, quod poſſederim omnia, quæ fuerunt Elimelech, & Chelion, & Maalon, tradente Noëmi, & Ruth Moabitidem uxorem Mahalon in conjugium ſumpſerim, ut ſuſcitem nomen defuncti in hæreditate ſua, nè vocabulum ejus de familia ſua ac fratribus & populo dele-*

A. *atur*. Ac ſi dicat: *Vos* Prophetæ *teſtes eſtis*, futuram meam Paſſionem prædicando, *vos* Apoſtoli evangelizando, *vos eſtis teſtes hodie*, id eſt, toto tempore à die Reſurrectionis meæ usque in finem ſæculi, *quòd poſſede[ri]m* per Incarnationem, per Paſſionem, per Reſurrectionem & Aſcenſionem meam, *omnia*, id eſt, omne genus humanum ad ſalutem præordinatum; *quæ fuerunt Elimelech*, id eſt, populi fidelis ſub lege naturali, *& Chelion* populi fidelis ſub lege ſcripta, *& Maalon*, id eſt, populi gentilis, filii Prophetarum,
B. *tradente* per fidem, per ſpem & charitatem *Noëmi*, pulchra Eccleſia in Patriarchis, *& Ruth Moabitidem*, Eccleſiam de gentibus aſſumptam, *uxorem Maalon*, amicam Prophetarum, *in conjugium ſumpſerim*, in lectulo crucis ſanguine meo deſponſaverim, *ut ſuſcitem nomen defuncti in hæreditate ſua*, id eſt, ut celebre faciam defuncti nomen, id eſt, nomen mei, qui ſum Chriſtus pro ſalute hominum paſſus, *in hæreditate ſua*, in gentilitate ad fidem converſa, *ne vocabulum ejus*, quod
C. eſt nomen Chriſtianum, *de familia ſua*, quæ eſt plebs Angelica, *à fratribus*, qui ſunt Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, *& populo* fidelium *deleatur*, id eſt, oblivioni tradatur. *Vos, inquam, hujus rei teſtes eſtis.* Vos, inquam, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, qui eſtis Principes & Prædicatores mei, *hujus rei*, meæ Paſſionis & humanæ ſalvationis *teſtes eſtis*, rectam fidem prædicando, & fidem rectam bonis operibus confirmando.

Reſpondit omnis populus.

D. *Reſpondit omnis populus* fidelium, *qui erat in porta*, qui erat ab initio usque in finem ſæculi *in porta*, id eſt, in Eccleſia, per quam introitus patet ad ſupernam Jeruſalem, *& majores natu*, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli: *Nos teſtes ſumus. Nos*, inquiunt Petrus & Apoſtoli, *teſtes ſumus omnium, quæ fecit in regione noſtra & in Jeruſalem.* Teſtantur Incarnationem, Paſſionem, Reſurrectionem & Aſcenſionem Chriſti Prædicatores ſancti ab ini- *Act. X. 39.*

tio usque in finem ſæculi, quia ſicut A. futuram ejus incarnationem Patriarchæ Sancti & Prophetæ ab initio ſæculi clamabant, ita factam ejus diſpenſationem Apoſtoli & alii Doctores usque in finem ſæculi prædicare non ceſſant. [illegible]ſtatur etiam Paſſionem Chriſti omnis populus fidelis, qui fide & continentiâ crucem ipſius poſt illum portat in angaria. Sequitur:

Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, ſicut Liam & Rachel, quæ ædificaverunt domum Iſrael: ut ſit exemplum virtutis B. *in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem, fiatque domus tua, ſicut domus Phares quem Thamar peperit Judæ, de ſemine quod dederit tibi Dominus ex hac puella. Dominus* Pater Omnipotens, qui te miſſurus eſt in mundum pro ſalute hominum, *faciat* per gratiam ſpiritûs ſui *hanc mulierem*, multitudinem gentium ad te venientem, quæ olim repulſa & abjecta, nunc autem vocata & electa, quæ non conſecuta miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuta, *ingreditur* C. per fidem rectam, per ſpem firmam, per charitatem perfectam, *domum tuam*, id eſt, Sanctam Eccleſiam, *ſicut Rachel & Liam*, ſicut contemplativam & activam vitam, *quæ ædificaverunt* ſcientiâ perfectâ & converſatione ſincera *domum Iſrael*, ſpiritum, animam & corpus *Iſrael*, id eſt, *hominis DEum* in præſenti per fidem, in futuro per ſpeciem *videntis*: *ut ſit exemplum virtutis in Ephrata*, id eſt, ut lucerna ſuper candelabrum poſita luceat omnibus de tenebris hujus ſæculi exire volentibus, *in Ephrata*, D. quæ interpretatur *frugifera*, id eſt, in præſenti Eccleſia, *& habeat celebre nomen*, nomen quod non delebitur in ſæculum ſæculi, *in Bethlehem*, id eſt, in *domo panis*, in cœleſti Jeruſalem, ubi panem Angelorum manducabit homo.

℣. XII. *Fiat domus tua*, id eſt, progenies tua, *ſicut progenies Phares, quem Thamar peperit Juda, de ſemine quod dederit tibi Dominus ex hac puella.*

Sicut enim Judas Thamar nurui ſuæ, quam ſuſpicatus eſt eſſe meretricem, annulum fidei, armillam ſpei, baculum charitatis donavit, quibus eam ſubarravit, cùm eam Phares conceptu imprægnavit: ita tu ô Chriſte hanc puellam de gentibus aſſumptam, in baptiſmate lotam, ſpiritu mentis ſuæ renovatam, ſemine fidei, conceptu ſpei, prole charitatis ditabis, quibus eam cum omni poſteritate fidelium in perpetuum hæreditabis. Sequitur: *Gen. XXXVIII. 24.*

℣. XIII. *Tulit itaque Booz Ruth, & accepit uxorem, ingreſſusque eſt ad eam, & dedit illi Dominus, ut conciperet & pareret filium.*

Tulit itaque Booz Ruth, id eſt, Chriſtus Eccleſiam, ſuſcitans de pulvere egenam, & de ſtercore erigens pauperculam, *& accepit uxorem* infuſione ſanguinis ſui ſororem ſibi faciens & cohæredem. *Ingreſſusque eſt ad eam*, ſeptiformi ſpiritûs ſui gratiâ penetrans, emundans & fœcundans ejus interiora. *Et dedit illi Dominus, ut conciperet & pareret filium.* Et quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, dedit illi Dominus* præveniendo eam in bonis, & ſubſequendo, *ut conciperet* per ſpiritum timoris, *& pareret* per gratiam amoris, *filium* adoptionis, populum acquiſitionis. *Jacob. I. 17.*

℣. XIV. *Dixeruntque mulieres ad Noëmi: Benedictus Dominus, qui non eſt paſſus, ut deficeret ſucceſſor familiæ tuæ, & vocaretur nomen ejus in Iſrael:*

℣. XV. *Et habeas qui conſoletur animam tuam, & enutriat ſenectutem tuam.*

* *Dixe-*

Digitized by Google

Dixeruntque mulieres, animæ fi- A. deles per orbem terrarum de lavacro baptiſmi emergentes, *ad Noëmi*, ad Eccleſiam primitivam, in Patriarchis olim pulchrè fundatam: *Benedictus Dominus qui non eſt paſſus.* Quaſi Luc. I. 68. dicerent: *Benedictus Dominus DEus Iſrael, quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Benedictus Dominus, *qui non eſt paſſus* per hoc, quòd pro te in cruce eſt paſſus, *ut deficeret ſucceſſor familiæ tuæ*, id eſt, ut familia tua olim de conſpectu Domini ſui expulſa, & exilio relegata, in præſenti ſæculo deficeret, ſed potius ſangui- B. ne ejus reconciliata, in ſæculum ſæculi perduraret: *& vocaretur nomen ejus in Iſrael*, id eſt, memoria ejus adſcriberetur choris Angelorum, *& habeas, qui conſoletur animam tuam*, olim in Adam valde contribulatam per emiſſam divinæ maledictionis ſententiam. *Et enutriat ſenectutem tuam*, & enutriat *in miſericordia uberi* ſenectutem, id eſt, longitudinem dierum in cœlis ſine fine durantem.

De nuru enim tua natus eſt, qui te diligit, & multò tibi melior eſt, quàm ſi ſeptem haberes filios.

De nuru tua, id eſt, de gentilitate, Filio DEI de te incarnato in cruce copulata, *natus eſt* populus adoptivus, *qui* te matrem antiquam *diligit*, quia probatio dilectionis eſt imitatio tuæ perfectionis, *& multò tibi matri eſt melior*, quia DEO Patri eſt acceptior, *quàm ſi ſeptem haberes filios*, de quibus Synagoga gloriatur, de quibus DEus parùm lætatur. *Septem* D. *hi filii* ſeptem ſunt Ordines populi Judaici, Regalis, Pontificalis, Sacerdotalis, Leviticus, Ordo Scribarum, & Phariſæorum, & Saduceorum.

℣. XVI. ***Suſceptumque Noëmi puerum poſuit in ſinum ſuum, & nutricis ac gerulæ officiò fungebatur.***

Puerum purum populum humilem, Lazarum pauperem de præſenti ſæculo collectum, & ab Angelis *ſuſceptum*, *Noëmi*, id eſt, ſenex fidelis Abraham, beati ſeminis ſerus pater *poſuit*, fovit *in ſinu ſuo*, in gremiò cœli, in abſcondito faciei DEI à conturbatione omni, *& nutricis ac gerulæ officiò fungebatur*, in præſenti obedientes, peregrinantes, terrena deſpicientes, fideles quosque lacte doctrinæ ſuæ *enutriens*, in futuro remuneratis, repatriantibus, cœleſtia poſſidentibus, in DEO, per DEum, ante DEum omnibus filiis ſuis congaudens.

Vicinæ autem mulieres congratulantes ei & dicentes: natus eſt filius Noëmi, vocaverunt nomen ejus Obeth. ℣. XVII.

Vicinæ mulieres, id eſt, Angelicæ virtutes, *congratulantes* homini de ſua ſalvatione, ſicut olim de ejus contriſtati ſunt perditione, *& dicentes*, id C. eſt, Creatorem omnium pro ſalute hominum benedicentes: *natus eſt filius Noëmi*, natus eſt in regeneratione, qui non morietur in æternum; *filius Noëmi*, filius adoptivus, *Noëmi*, id eſt, fidelis Abrahæ imitator fide & opere: *vocaverunt nomen ejus*, nomen æternum, quod nunquam nulla oblivione delebitur, *Obeth*, id eſt, *ſerviens.* Servire enim Domino eſt regnare. *Et nomine*, inquit, *æterno* Eccli. XV. 6. *hereditabit illum Dominus DEus noſter.* Vera enim & verè libera tunc erit ſervitus carnis & ſpiritûs in DEI lau- D. dibus, quando devictis peccati legibus, quando depoſitis omnibus corruptionibus, diebus ſæculorum ſine nocte, ſine fine permanentibus, erit DEus omnia in omnibus.

* *Explicit Liber Ruth.* *

Be-

Digitized by Google

Benedictio Incarnato,
Claritas Nato,
Sapientia Baptizato,
Gratiarum actio Paſſo,
Honor Reſurgenti,
Virtus Aſcendenti,
Fortitudo Chriſto, omnia juſtè judicanti in ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

WALAFRIDI STRABONIS ABBATIS AUGIÆ DIVITIS

Ord. S. Bened.

EXPOSITIO XX. PRIMORUM PSALMORUM.

Eruta ex ejusdem Monaſterii MS. Cod. ab Aſceta Augienſi.

Digitized by Google

INCIPIT EXPOSITIO WALAFRIDI ABBATIS Super Pſalmos.

PARS PRIMA.

Ψ. I. & II. *Beatus vir, qui non abiit in* B. *conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit: & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.*

Sed in lege Domini &c.

Omnis ſcriptura divinitus inſpirata veteris ac novi teſtamenti ad imitationem Mediatoris DEI & hominum, hominis Chriſti JEſu fideles invitat, ut per imitationem ad ſimilitudinem ejus pervenire mereamur. Sicuti ipſe ait: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Ita Apo- C. ſtolus atque Evangeliſta Joannes: *Chariſſimi*, ait, *nunc filii DEI ſumus, & nondum apparuit quid erimus: ſcimus, quia cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Sic ergo & hic primus Pſalmus docet credentes, ut auctorem & largitorem veræ beatitudinis ſequantur, declinando à malo, & faciendo bona, ut perveniant ad ſimilitudinem ejus, & fiant *tanquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarum.*

Perfectè autem declinat à malo, qui nec delectatur in corde, nec agit in o- D. pere, nec alios docet, ut faciant. Hoc eſt enim *non abire in conſilio impiorum, nec ſtare in via peccatorum, nec ſedere in cathedra peſtilentiæ*; ſed potiùs *meditari in lege Domini*, non neceſſitate, ſed voluntate, ſine ceſſatione, quod ſignificat *die ac nocte.* Vel ſicut ſolet ſcriptura, *diem* pro proſperis, & *noctem* pro adverſis ponere: ut neque lætitia rerum temporalium, neque adverſitas tranſitoriarum mentem ſequentis Dominum avertat à meditatione divinæ legis. Quæ quantum ſit neceſſaria, etiam ibi oſtenditur, ubi Joſuæ miniſtro & conſcio Legislatoris, qui legem primus, & primè didicerat, Dominus præcepit, ut *volumen legis* non deſerat, ſed meditetur in illo *diebus ac noctibus, ut dirigat viam ſuam, & intelligat cuncta, quæ ait.*

Si autem apertiùs quis requirit, quod ſit *conſilium impiorum*, multipliciter ſcriptura loquitur, & maximè liber, qui dicitur Sapientiæ, ubi ait: *Dixerunt impii apud ſe non rectè cogitantes.* Et poſt pauca: *Venite, & fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter.* Et iterum: *Opprimamus pauperem juſtum, nec veterani revereamur canos multi temporis &c.*

Via verò peccatorum eſt, de qua Pſalmiſta alibi poſt talia ſubjungit: *Hæc via illorum ſcandalum ipſis:* Et Dominus ait: *Spatioſa via eſt, quæ ducit ad mortem. Cathedra autem peſtilentiæ* perverſam ſignificat doctrinam, quæ dupliciter fit: aut apertè ad ſcelera operum invitando, ſicut Salomon in Parabolis oſtendit dicens: *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis: ſi dixerint: veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, abſcon-*

abſcondamus tendiculas contra inſontem A. *fruſtra &c.* Aut in errorem inducendo, ſicut ibi poſt aliqua ſequitur, ubi & hanc cathedram *ſellam* nominat dicens: *Mulier ſtulta, & clamoſa, plenaque illecebris, & nihil omnino ſciens, ſedit in foribus domus ſuæ ſuper ſellam.* Et poſt pauca: *Aquæ furtivæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior:* quæ absque dubio perverſam ſignificant doctrinam: hæc namque omnia in tantum reprobi ſectantur, & ſectando divinæ legis meditationem reſpuunt, & execrantur, ut juxta Prophetam, odio habeant corripientem in porta, & loquentem perfe- B. ctè abominentur, dicantque DEO: *Recede à nobis, &: ſcientiam viarum tuarum nolumus.*

Hunc ordinem, quem hic primus Pſalmus oſtendit, pleniſſimè in brevi comprehendens, quæ mala ſint declinanda, & quæ bona facienda, in multis locis ſacra ſcriptura ſervat: ſicut illud eſt huic ſimile Beati Jacobi Apoſtoli dicentis: *Abjicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.* Et iterum: *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vo-* C. *bis: appropiate Domino, & appropiabit vobis.* Quem etiam ordinem celeberrimè tenet Eccleſia in ſacramentis renaſcentium ex aqua & Spiritu Sancto, ut prius abrenuntient Diabolo, & omnibus pompis vel operibus ejus, & poſtea profiteantur credere ſe in DEum Patrem Omnipotentem, & in JEſum Chriſtum Filium ejus, & in Spiritum Sanctum, & Eccleſiam Catholicam, ac remiſſionem peccatorum; & ſic tingantur aqua ſalutari, incorporenturque Eccleſiæ (extra quam etiamſi quispiam ſupra dicta D. fecerit, ſalvus eſſe non poterit) ac membra ligni vitæ effecti incipiant ad ejus ſimilitudinem tendere. Quod Beatus Paulus verbis ſubſequentibus conſonans oſtendit dicens: *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto JEſu, in morte ipſius baptizati ſumus: conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quomodo reſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in novitate ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.*

Et erit tanquam &c. ỳ. III.

Hoc lignum tempore paſſionis ſuæ de ſemetipſo ait: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Ad hoc lignum ſi prævaricator extenderit manum ſuam, & ſumpſerit de fructu ejus, vivet in æternum. Quod & in Apocalypſi victori promittit dicens: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo DEI mei.*

Decurſum autem aquarum, aut Spiritum Sanctum intellige, ſicut Evangeliſta Dominum dixiſſe ſcribit: *Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Quod exponens ſubjungit dicens: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Cujus opere facta eſt ipſa incarnatio Salvatoris, ſecundùm quod Gabriel Angelus de Beata DEI Genitrice Maria loquitur ad Joſeph dicens: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Aut eloquia ſcripturarum, quæ prænuntiaverunt de adventu juſti, futurasque in Chriſto paſſiones, & poſteriores glorias, ſicut ipſe juſtus & juſtificans Dominus Apoſtolis poſt reſurrectionem ſuam loquitur dicens: *Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum: quoniam neceſſè eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis & Pſalmis de me.* Et: *Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas,* ut ex eis ſumerent humorem vitalem, quem credentibus miniſtrarent, ſecundùm quod Propheta illis promittit dicens: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Nam quòd *divina eloquia* aquarum nomine ſignificentur, multis in locis eadem ſcriptura teſtatur: de quibus unum eſt: *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons ſapientiæ.*

Fructus autem & *folia hujus ligni* ſunt, quæ cœpit JEſus facere & docere: de quo quidam diſcipulorum loquebantur: *Qui fuit vir Propheta potens in opere, & ſermone coram DEO & omni populo.*

Quòd verò ait *in tempore ſuo*, Apoſtolus expoſuit dicens: *Ubi venit plenitudo temporis, miſit DEus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut*

Digitized by Google

eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus: quæ ſunt fructus ligni.

A.

Quodque ſubjungit: *& folium ejus non deſluet*, verborum ejus immobilem ſignificat firmitatem. Sic ipſe ait: *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.*

De *proſperitate autem factorum ejus* & Pater per Eſaiam promittit: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum: ſed faciet, quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.*

B.

℣. IV. *Non ſic impii.* &c.

Impii non ſic, quemadmodum illi, qui per imitationem in tantum ad ſimilitudinem ligni vitæ proficiunt, ut videndo beatitudinem & æternitatem ejus, ipſi beati & æterni ſint, juxta quod DEus per Eſaiam Prophetam promittit dicens: *Secundùm dies enim ligni erunt dies populi mei.*

Sed tanquam pulvis aridus & infoecundus, utpote alieni ab humore ſupra dictarum aquarum, projiciuntur à ſoliditate & ſtabilitate terræ in ventum præſentis ſcilicet Eccleſiæ & futuræ, projectique exiſtunt cibus ſerpentis, de quo ſcriptum eſt: *& ſerpenti pulvis panis ejus. Ventus* autem ipſe Diabolus intelligitur, ſicut ſcriptum eſt: *Aquilo ventus durus.* Nomine autem *dexter* vocatur, qui & ſpiritus dicitur fornicationis in Propheta: & ab Apoſtolo nominatur *ſpiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ.*

C.

℣. V. *Ideo non reſurgent* &c.

Si aliqua hic differentia accipienda eſt inter *impios & peccatores*, *impii* intelligendi ſunt, de quibus Dominus dicit: *Qui non credit in Filium, jam judicatus eſt. Peccatores verò*, quibus judex dicturus eſt: *diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Qui *reſurgent* quidem *in judicio*, ſed non *in concilio juſtorum*, ſicut Dominus per Ezechielem Prophetam quibuſdam comminatur dicens: *In concilio populi mei non erunt, & in ſcriptura domus Iſraël non ſcribentur, nec in terram Iſraël ingredientur.*

D.

℣. VI. *Quoniam novit Dominus* &c.

Novit, id eſt, approbat, & laudans remunerat facta juſtorum: ſicut per Salomonem dicturum ſe in judicio univerſali Eccleſiæ promittit dicens: *Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera ejus.* In portis videlicet, in ingreſſu regni Cœleſtis: quæ portæ ſive januæ clauduntur fatuis virginibus, quæ inter iſtos remanebunt, quorum *iter peribit.* Nam & quod perit, Dominus ignorare ſe dicit, & quod Dominus neſcit, perit: ſicut & prædictis Virginibus fatuis, & illis, qui dicturi ſunt: *Domine, Domine nonne in nomine tuo prophetavimus &c.* ipſe judex reſponſurum ſe eſſe dicit: *Amen dico vobis, neſcio vos*, vel: *nunquam novi vos.*

Explicit de Pſalmo I.

INCIPIT DE PSALMO II.

℣. I. *QUare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania* &c.

Interrogatio eſt arguendi. Corripit enim populos Propheta. *Cur fremuerunt* contra Dominum Salvatorem, cùm cauſas iracundiæ non haberent? *Inania* autem dicit meditatos, quia non impleverunt, quod voluerunt, ut Chriſtus extingueretur.

℣. II. *Aſtiterunt reges* &c.

Hoc de perſecutoribus Domini dicitur, qui & in actibus Apoſtolorum commemorantur. *Aſtiterunt* autem non præſentiam ſignificat, ſed voluntatem.

℣. III. *Dirumpamus vincula* &c.

Quanquam poſſit & aliter, tamen aptiùs ex eorum perſona accipitur, quos dixit inania meditatos, ut hoc ſit *dirumpamus vincula eorum*, demus operam, ut nos non alligent, neque imponatur nobis Chriſtiana religio. *Eorum autem* vel DEI Patris & Chriſti ejus, vel Chriſti & Apoſtolorum.

℣. IV. *Qui habitat in cœlis* &c.

Repetita ſententia eſt. Nam pro eo, quod eſt: *Qui habitat in cœlis*, ſubſequenter poſitum eſt: *Dominus.* Pro eo, quod eſt: *irridebit*, ſubſequenter poſitum eſt: *ſubſannabit.* Nihil horum ſapere

Digitized by Google

pere oportet carnaliter, quaſi aut buccis A. DEus irrideat, aut naſo ſubſannet; ſed ea vis accipienda eſt, quam dat ſanctis ſuis, ut futura cernentes, id eſt, nomen Chriſti, & dominationem pervagaturam in poſteros, & univerſas gentes obtenturam, illos inania meditatos eſſe intelligant. Hæc enim vis, qua iſta præſcita ſunt, irriſio DEI eſt, & ſubſannatio. *Cœlos* autem animas ſanctas accipimus, per quas utique præſcientes, quid futurum ſit, deridebit DEus & ſubſannabit.

℣. V. *Tunc loquetur &c.*

Iram & furorem DEI non perturba- B. tionem ejus oportet intelligi; ſed vim, quâ juſtiſſimè vindicat ſubjecta ſibi ad miniſterium univerſa creatura. Quanquam poſſit *ira* DEI rectè intelligi etiam ipſa mentis obſcuratio, quæ conſequitur eos, qui legem DEI transgrediuntur.

℣. VI. *Ego autem conſtitutus &c.*

Syon *ſpeculationem* quidam interpretantur, quam Eccleſiam debemus accipere, ubi quotidie intentio erigitur ſpeculandæ charitatis Dei. Quæ *mons* etiam dicitur propter eminentiam & fir- C. mitatem.

℣. VII. *Dominus dixit ad me &c.*

Poteſt ille dies in prophetia dictus videri, quo JEſus Chriſtus ſecundùm hominem natus eſt. Tamen quia *hodie* præſentiam ſignificat, atque in æternitate nec præteritum quicquam quaſi eſſe deſierit, nec futurum, quaſi nondum ſit, poteſt etiam *hodie* ſempiternam generationem virtutis & ſapientiæ Dei, qui eſt unigenitus Filius, fide ſinceriſſima & Catholica intelligi.

℣. VIII. *Poſtula à me &c.*

Ut ſcilicet gentes nomine Chriſtiano D. copulentur, & ita à morte redimantur, ut poſſideantur à DEO.

℣. IX. *Reges eos in virga &c.*

In virga ferrea, in inflexibili juſtitia, conterens in eis cupiditates terrenas, & veteris hominis lutulenta negotia.

℣. X. *Et nunc Reges &c.*

Et nunc, id eſt, jam innovati: ſpiritales enim ſignificantur; qui *judicant terram*: inferiùs enim nobis eſt, quidquid judicamus: quidquid verò infra ſpiritalem hominem eſt, meritò *terra* nominatur.

Servite Domino &c. ℣. XI.

Optimè ſubjectum eſt: *exultate*, ne ad miſeriam valere videretur, quod dictum eſt: *ſervite*. Sed rurſus ne idipſum vergeret in effuſionem temeritatis, additum eſt: *cum tremore*, ut ad cautionem circumſpectam valeret.

Apprehendite diſciplinam &c. ℣. XII.

Intelligere, & erudiri, hoc eſt *apprehendere diſciplinam*. In eo autem, quod dicitur: *apprehendite*, ſatis ſignificatur præſidium quoddam, atque munimentum eſſe adverſus omnia, quæ obeſſe poſſent, niſi tanta cura apprehenderetur. *Perire* verò *de via juſta*, magna pœna eſt, quæ ab his formidatur, qui aliquid dulcedinis juſtitiæ perceperunt.

Cum exarſerit in brevi &c. ℣. XIII.

Id eſt: cùm vindicta venerit, quæ impiis & peccatoribus præparatur, non ſolùm eos non attinget, qui *confidunt in Domino*, ſed etiam ad beatitudinem illis proficiet, ubi eſt bonorum omnium ſumma & cumulus. Quòd autem poſitum eſt: *in brevi*, hoc ſignificare arbitror, quia repentinum aliquid erit, cùm hoc remotum & longè futurum peccatores exiſtiment.

Explicit de Pſalmo II.

INCIPIT DE PSALMO III.

Pſalmus David, cùm fugeret à facie filii ſui Abſalon. ℣. I.

DAvid, qui interpretatur *manu fortis* ſive *deſiderabilis*, ſignificat Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, cujus vox in hoc Pſalmo introducitur loquentis de paſſione & reſurrectione ſua. *Abſalon* autem ſignificat Judam proditorem, ſive populum perſecutorem. Nam & Judas adhuc inter Apoſtolos erat, quando Dominus dixit: *Non poſſunt filii ſponſi jejunare, quamdiu cum illis eſt ſponſus.* Et de populo per Moyſen dicit: *Filius primogenitus inter Iſraël.* Veritas ergo fugit mentem Judæ, vel perſecutoris populi, cùm eos illuſtrare non deſtitit. Vel ſicut Evan-

Digitized by Google

gelium narrat: *Hæc locutus eſt Jeſus, & abiit, & abſcondit ſe ab eis.* Quod autem Abſalon *Patris pax* interpretatur, benè intelligitur pacem Chriſtum exhibuiſſe traditori ſuo, quamvis ille tam ſceleratæ cogitationis interno bello vaſtaretur: & populo perſecutori tam placatus extitit, ut pro illis Patrem exoraret dicens: *Pater ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt.*

℣. II. *Domine quid multiplicati ſunt* &c.

Tam ſcilicet *multiplicati ſunt*, ut etiam de numero diſcipulorum non defuerit, qui numero acceſſerit perſequentium.

℣. III. *Multi dicunt* &c.

Manifeſtum eſt, quòd niſi deſperarent reſurrecturum, non utique occiderent. Ergo nec Judas eum tradidiſſet, niſi ex eorum eſſet numero, qui Chriſtum contemnerent dicentes: *non eſt ſalus ipſi in DEO ejus.*

℣. IV. *Tu autem Domine ſuſceptor* &c.

Gloriam ſuam Dominum dicit etiam ille, quem ſic ſuſcepit Dei verbum, ut ſimul cum eo Deus fieret. *Caput* autem mentem ipſam humanam hic accipiendam puto, quæ ita adhæſit, & quodammodo coaluit excellenti ſupereminentiæ Verbi hominem ſuſcipientis, ut in tanta paſſionis humilitate non deponeretur.

Poſſunt hæc & ex perſona Eccleſiæ accipi. Nam in illo homine & Eccleſia ſuſcepta eſt à Verbo, quod caro factum eſt, & habitavit in nobis. Loquatur ergo ſimul Eccleſia, & caput ejus inter procellas perſecutionum conſtituta per univerſum orbem terrarum: *Domine, quid multiplicati ſunt &c.* exaltatò capite ſuo, qui primogenitus à mortuis aſcendit in cœlum.

℣. V. *Voce mea ad Dominum* &c.

Non corporis voce, quæ cum ſtrepitu verberati aëris promitur, ſed voce cordis, quæ hominibus ſilet, DEO autem ſicut clamor ſonat, cùm ſola anima, nihil carnis nihilque carnalium intentionum in oratione attrahens, loquitur Domino, ubi ſolus audit. Clamor

A. autem etiam iſte dicitur propter vim ipſius intentionis.

De monte verò Patrem exaudiſſe dicit; id eſt, de juſtitia ſua. Juſtum enim erat, ut innocentem occiſum, & cui retributa ſunt mala pro bonis, reſuſcitaret à mortuis, & digna perſequentibus retribueret: Legimus enim: *juſtitia tua ſicut montes DEI.* Sed & Eccleſia exauditur de ipſo monte, quod etiam caput ejus eſt, de quo Propheta dicit. *Erit mons domus Domini præparatus in vertice montium.*

B.

Ego dormivi &c. ℣. VI.

Non inconvenienter animadverti poteſt *Ego*, adſignificandum, quòd ſua voluntate mortem ſuſtinuit ſecundùm illud: *Propterea me Pater diligit, quoniam ego pono animam meam, & iterum ſumam eam: nemo tollet eam à me ipſo:* Benè autem accipitur: *Ego dormivi & ſoporatus ſum:* ego me paſſioni permiſi, & mors conſecuta eſt. Eccleſiæ quoque populo dicitur: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & continget te Chriſtus*, quoniam de peccatoribus aſſumptus eſt. *Non timebo milia &c.* Non

C. dormienti, non jacenti DEO dicitur: *exurge:* ſed moris divinarum ſcripturarum eſt, perſonæ Dei tribuere, quod in nobis facit; non quidem ubique, ſed ubi congruenter dici poteſt; vel ut ipſe loqui dicatur, quando ejus dono loquuntur quique nuntii veritatis.

Quoniam tu percuſſiſti omnes &c. ℣. VII.

Contrita ſunt, id eſt, in irritum perducta verba peccatorum dilacerantium & maledicentium Filium Dei. Poſſunt & *dentes peccatorum* accipi principes peccatorum, quorum auctoritate quiſque de ſocietate rectè viventium jam præci-

D. ditur, & quaſi incorporatur malè viventibus.

Domini eſt ſalus &c. ℣. VIII.

Nemo ergo de ſe præſumat, quoniam Domini eſt ſalvos facere de morte peccati: Tu autem Domine benedic populum tuum de te ſalutem ſperantem.

Explicit de Pſalmo III

INCI-

Digitized by Google

INCIPIT
DE PSALMO IV.

℣. II. *CUm invocarem exaudivit me.* &c.

DEus juſtitia mea, à quo eſt juſtitia mea, ab anguſtiis triſtitiæ in latitudinem gaudiorum me duxiſti: *Tribulatio enim & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.* Qui autem dicit: *Gaudemus in tribulationibus, ſcientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit; quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, non habet cordis anguſtias, quamvis extrinſecus a perſequentibus ingerantur. Vox autem iſta aut Domini JEſu Chriſti eſt poſt reſurrectionem ſuam: aut Eccleſiæ credentis, & ſperantis in eo: *Miſerere mei & exaudi &c.* Pia mater ſibi miſerandum eſſe dicit, ſi pro filiis ejus audiatur oratio; quoniam quidquid membris tribuitur, toti corpori ſine dubitatione præſtatur.

℣. III. *Filii hominum* &c.

Saltem *usque* in adventum Filii Dei veſter error duraverit: quid ergo ultra *gravi corde* eſtis? quando habituri finem fallaciarum, ſi præſentiam veritatis non habetis? Cùm enim ſola veritas faciat beatos, ex qua vera ſunt omnia, ut quid temporalium rerum amore detinemini, ut quid tanquam prima extrema ſectamini, quod eſt vanitas & mendacium? Cupitis enim permanere vobiſcum, quæ omnia tranſeunt tanquam umbra.

℣. IV. *Es ſcitote quoniam* &c.

Quem, niſi eum, quem ſuſcitavit ab inferis, & in cœlo ad dexteram collocavit? Increpatur ergo genus humanum, ut ad eum ſe tandem ab hujus mundi amore convertant; & ſicut gratulantur de illuminatione in hac vita: ita orandum ſibi noverint pro requie poſt hanc vitam.

℣. V. *Iraſcimini & nolite* &c.

Duobus modis intelligi poteſt. Aut: Etiamſi *iraſcimini*, *nolite peccare*, id eſt, etiamſi ſurgit motus animi, qui jam propter pœnam peccati non eſt in poteſtate, ſaltem non ei conſentiat ratio & mens, quæ intus regenerata eſt ſecundùm DEum, ut mente ſerviamus legi Dei, ſi adhuc carne ſervimus legi peccati. Aut: Agite pœnitentiam, id eſt, *iraſcimini* vobis ipſis de præteritis peccatis, & ulteriùs peccare deſinite.

Quodque ſequitur: *quæ dicitis in cordibus veſtris*, plena ſententia eſt: quæ dicitis in cordibus veſtris, dicite, id eſt, nolite eſſe populus, de quo dictum eſt: *labiis me honorant, cor autem eorum longè eſt à me. Cubicula* autem ipſa ſunt corda, de quibus & Dominus monet, ut intus oremus clauſis oſtiis.

Sacrificate ſacrificium &c. ℣. VI.

Idem dicit in alio pſalmo: *Sacrificium DEO ſpiritus contribulatus.* Quare non abſurdè hìc accipitur ipſum eſſe *ſacrificium juſtitiæ*, quod fit per pœnitentiam. Quid enim juſtiùs, quàm ut ſuis quisque peccatis potiùs, quàm alienis iraſcatur, ſeque ipſum puniens mactet DEO? Vel certè *ſacrificium juſtitiæ* eſt opera juſta poſt pœnitentiam.

Multi autem ſunt ſtulti, qui de ipſa futura vita, quæ nobis promittitur, dubitant, vel deſperant, qui ſæpe dicunt: *Quis novit, ſi vera ſunt, aut quis venit ab inferis, ut iſta nuntiaret.*

Signatum eſt ſuper nos &c. ℣. VII.

Hoc lumen eſt totum hominis & verum bonum, quod non oculis ſed mente conſpicitur. *Signatum* autem dixit in nobis, tanquam denarius ſignatur Regis imagine. Homo enim factus eſt ad ſimilitudinem & imaginem Dei, quam peccando corrupit. Bonum ergo ejus eſt verum atque æternum, ſi renaſcendo ſignetur. Non ergo foris quærenda eſt *lætitia*, ſed intus, ubi ſignatum eſt lumen vultus DEI.

A fructu frumenti &c. ℣. VIII.

Non vacat, quod additum eſt *ſui*; eſt enim & *frumentum & vinum & oleum* Dei. Iſti autem dediti temporalibus voluptatibus ſemper exardeſcunt cupiditatibus, nec ſatiari poſſunt: & multiplici atque ærumnoſa cogitatione diſtenti, ſimplex bonum videre non ſinuntur. Vir ergo fidelis exultat & dicit:

In pace in id ipſum &c. ℣. IX

Rectè enim ſperatur à talibus omnimoda

moda mentis abalienatio à mortalibus A. rebus, & miſeriarum ſæculi hujus oblivio, quæ nomine obdormitionis & ſomni decenter & propheticè ſignificatur, ubi ſumma pax nullo tumultu interpolari poteſt. Sed hoc poſt hanc vitam ſperandum eſt. Quapropter congruenter ultimum adnectit, & dicit:

℣. X. *Quoniam tu Domine ſingulariter &c.*

Bene ait: *ſingulariter*: poteſt enim referri adverſus illos multos, qui multiplicati à fructu frumenti, vini, & olei ſui, dicunt: *quis oſtendit nobis bona?* B.

Perit enim hæc multiplicitas & *ſingulariter* tenetur in ſanctis, de quibus dicitur: *Multitudinis autem credentium erat anima & cor unum.*

Explicit de Pſalmo IV.

INCIPIT DE PSALMO V.

℣. I. *IN finem pro ea, quæ veritatem conſequitur Pſalmus David.*

Intelligitur Eccleſia, quæ accipit hæreditatem in vitam æternam per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, ut poſſideat ipſum DEum, cui adhærens beata ſit, ſecundùm illud: *Dominus pars hæreditatis meæ.* Quapropter vox Eccleſiæ eſt vocatæ ad hæreditatem, & ut ipſa fiat hæreditas DEI.

℣. II. *Verba mea auribus percipe* &c.

Benè oſtendit quis iſte ſit *clamor*: quando quidem vox corporis auditur, ſpiritalis autem intelligitur.

℣. III. *Intende voci* &c.

Regem Filium ſolent appellare ſcri- D. pturæ. Secundum illud ergo, quòd dictum eſt: *Per me itur ad Patrem*, certè primò *rex meus*, & deinde *DEus meus.*

℣. IV. *Quoniam ad te orabo Domine* &c.

℣. V. *Manè aſtabo.* &c.

Non ille es, inquit, qui poſſit videri ab eis, quorum ab oculis nox peccatorum nondum receſſit. Peractâ erroris mei nocte, & diſcedentibus tenebris, quas mihi peccatis meis feci, *exaudies vocem meam.*

Aſtabo autem, quid eſt niſi: non jacebo? Jacere verò eſt in terra quieſcere, quod eſt à terrenis voluptatibus beatitudinem quærere. Non eſt ergo inhærendum terrenis, ſi volumus DEum videre, qui mundo corde conſpicitur.

Neque habitabit &c. ℣. VI.

Id eſt: non ſic videbunt, ut hæreant, quia mens eorum reverberatur luce veritatis propter tenebras peccatorum, quarum conſuetudine fulgorem rectæ intelligentiæ ſuſtinere non poſſunt.

Odiſti omnes qui operantur &c. ℣. VII.

Illos odit, quos in ſe manere non ſinit: non autem manent, qui eum ſuſtinere non valent. *Mendacium* verò eſt veritati contrarium. Sed ne quis putet aliquam ſubſtantiam vel naturam veritati eſſe contrariam, intelligat, ad id, quod non eſt, pertinere mendacium, non ad id, quod eſt. Si enim hoc dicitur, quod eſt, verum dicitur: ſi autem hoc dicitur, quod non eſt, mendacium. Ideo incipit: *perdes eos, qui loquuntur mendacium*, quia recedentes ab eo, quod eſt, ad id, quod non eſt declinant.

Virum ſanguinum & doloſum &c.

C. *Virum ſanguinum* operantem iniquitatem, *doloſum* autem diligentem mendacium intellige. Solent verò *abominati* dici exhæredati. Hic autem pſalmus pro ea eſt, *quæ hæreditatem conſequitur*, quæ ſubjicit exultationem ſpei ſuæ dicens:

Introibo in domum &c. ℣. VIII.

Introibo in domum tuam: tanquam lapis, credo, in ædificium dictum eſt. Quid enim aliud domus DEI, quam templum Dei eſt, de quo dictum eſt: *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Cujus ædificii lapis angularis eſt ille, quem ſuſcepit coæterna Patri virtus, & ſapientia Dei.

Conſiderandum verò eſt, quod non dixit: *in templo*, ſed: *ad templum*: templum enim ſanctum corpus Domini eſt Salvatoris, quod jure adorat Eccleſia: de quo ipſe dixit: *ſolvite templum hoc.* Addit verò: *in timore tuo*, quod magnum eſt præſidium procedentibus ad ſalutem.

Domine deduc me &c. ℣. IX.

Nihil manifeſtiùs, quàm id tempus eum commendare, quo proficit: hoc eſt enim iter, quod non terrarum locis peragitur, ſed affectibus animorum. *In con-*

Digitized by Google

conſpectu tuo, inquit, *viam meam*, ſecun- A. dùm quod & in oratione Dominicâ dicitur: *ſanctificetur nomen tuum*: non quò nobis orantibus ſanctificetur, quod per ſe ſanctum eſt; ſed quò petamus, ut quod per naturam ſui ſanctum eſt, ſanctificetur & in nobis. Ergo & nunc Propheta poſtulat, ut via Dei, quæ per ſe recta eſt, etiam ſibi recta fiat.

℣. X. *Quoniam non eſt in ore* &c.

Quomodo poteſt eſſe in ore eorum veritas, quorum cor fallitur de peccato, & pœna peccati?

℣. XI. *Sepulchrum* &c.

Adulatores & Hæretici *ſepulchra patentia* dicuntur, quia cùm ipſi ſint mortui vitam non habendo veritatis, mortuos in ſe recipiunt, quos verbis mendacibus necant. Quòd autem ait: *Judica illos DEus*, non optat ut eveniat, ſed cernit, quid venturum ſit.

Decidant &c. *decidant* accuſantibus ſe cogitationibus ſuis, conſcientia ſua: & quia multùm ſunt impii, multùm longè eos expelle ab illa hæreditate, quæ intelligendo & videndo DEO poſſidetur.

℣. XII. *Et lætentur* &c.

Ipſe ergo erit æterna exultatio, ceu templum Dei fiunt juſti.

Et gloriabuntur &c. Hæc eſt benedictio: gloriari in DEO, & habitari à Deo.

℣. XIII. *Domine ut ſcuto bonæ volunt:* &c.

Bona voluntas Dei præcedit noſtram voluntatem, ut peccatores vocet in pœnitentiam: Et ipſa ſunt arma, quibus expugnatur inimicus, contra quem dicitur: *Quis accuſabit adverſus electos DEI?* Et iterum: *Si enim cùm adhuc inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multò magis reconciliati ſalvi erimus ab ira per ipſum*: Hoc invictiſſimum ſcutum, quò pellitur inimicus, deſperationem ſalutis ſuggerens multitudine tribulationum & tentationum.

Explicit de Pſalmo V.

INCIPIT DE PSALMO VI.

℣. I. IN *finem in carminibus pro octava Pſalmus David.*

Poteſt dies judicii octavus intelligi, quòd jam poſt finem hujus ſæculi accepta æterna vita. Tunc non erunt animæ juſtorum obnoxiæ temporibus. Et quoniam omnia tempora ſeptem dierum juſtorum repetitione volvuntur, octavus fortè ille dictus eſt, qui varietatem iſtam non habebit, qui meritis tribuens, quod debetur, ad vitam æternam ſanctos transfert, impios verò damnat in æternum. Quam damnationem metuens orat Eccleſia dicens:

Domine, ne in furore tuo &c. ℣. II.

B. In die judicii *arguuntur*, id eſt: accuſantur omnes, qui non habent fundamentum, quod eſt Chriſtus. *Corripiuntur* autem, id eſt: purgantur, qui huic fundamento ſuperædificant ligna, fœnum, ſtipulam, & tamen ſalvi erunt quaſi per ignem. Iſte autem orat, ut in ira Domini nec damnetur, nec emendetur, ſed ita hic perfectè ſanetur, ut non ſolùm mortem non timeat, ſed nec urentis, aut ſecantis Medici manus ſuſtineat. Sequitur itaque & dicit:

Miſerere mei Deus &c. ℣. III.

Id eſt: firmamentum animæ vel for- C. titudo: hoc enim *oſſa* ſignificant. Quapropter ad expoſitionem pertinet quod ſubditur:

Et anima mea &c. ℣. IV.

Quis non intelligat animam luctantem cum morbis ſuis, diu autem dilatam à Medico, ut ei perſuaderetur, in quæ mala peccando ſe præcipitaverit? Quod enim facilè ſanatur, non multum cavetur: Ex difficultate autem ſanationis erit diligentior cuſtodia receptæ ſanitatis.

Convertere Domine &c. ℣. V.

Convertens ſe orat, ut ad eum con- D. vertatur & DEus, ſicut dictum eſt: *Convertimini ad me, & convertar ad vos, dicit Dominus.*

Quoniam non eſt &c ℣. VI.

Intelligit nunc eſſe tempus converſionis, quia, cùm iſta vita tranſierit, non reſtat niſi retributio meritorum. Poteſt etiam illud intelligi, ut *mortem* vocet peccatum, quod contempta lege DEI committitur. In qua morte, hoc eſt, eſſe immemorem DEI, legem & præcepta contemnere, ut *infernum* dixerit cœcitatem animi, quæ peccantem, id eſt:

eſt: morientem excipit, & involvit. A. Ab iſta morte & ab iſto inferno tutam ſe præberi anima deprecatur, dum molitur converſionem ad Dominum, & ſentit difficultates. Quapropter contexit dicens:

℣. VII. *Laboravi* &c.

Lectus eſt hoc in loco appellatus, ubi requieſcit animus æger, & infirmus, id eſt, in voluptate corporis, & omni delectatione ſæculari, quem *lacbrymis lavat*, qui ſe ab illo conatur extrahere, & tanquam dies & noctes alterno affectu cogitur pati: ùt, cùm dicit: *mente* B. *ſervio legi Dei*, tanquam diem ſentiat: rurſus cùm dicit: *carne autem legi peccati*, inclinetur in noctem, donec omnis nox tranſeat, & veniat unus dies, de quo dicitur: *mane adſtabo tibi.* Hoc autem accipimus *ſtratum*, quod & lectum: quamquam *rigabo* amplius ſit aliquid quàm *lavabo*: quoniam poteſt aliquid in ſuperficie lavari, rigatio verò ad interiora pertinet, quod ſignificat fletum uſque ad cordis intima.

℣. VIII. *Turbatus eſt* &c.

Propter iram Domini *oculum* cordis ſui profitetur eſſe *turbatum*. Quid enim C. formidoloſiùs, quàm illum iraſci, qui, ſi non miſeretur, extinguit? Quodque ſubjungit; *inveteravi inter omnes inimicos meos*, invenit ſe omnibus vitiis eſſe vallatum, quæ quoniam veteris vitæ ſunt, & veteris hominis, quo exuendi ſumus, ut induamur novo, rectè dictum eſt: *inveteravi. In omnibus* autem *inimicis meis*, vel inter ipſa vitia dicit, vel inter homines, qui nolunt ad DEum converti. Nam & hi etiamſi neſciunt, etiamſi parcunt, tamen intentione contraria inimici ſunt eis, qui ſe ad DEum D. convertunt. Verùm quia inane non poteſt eſſe, quod tam vehementer rogatur, qui fons eſt omnium miſericordiarum, veriſſimeque dictum eſt: *prope eſt Dominus obtritis corde*, poſt tantas difficultates exauditam ſe anima pia ſignificans (quam licet etiam Eccleſiam intelligere) vide, quid adjungit:

℣. IX. *Diſcedite à me* &c.

Vel in prophetia dictum eſt: *Diſceſſuri enim ſunt*, id eſt, ſeparabuntur à juſtis impii, cùm judicii dies venerit; vel nunc, quia etiamſi pariter atque iiſdem conventiculis continentur; tamen in area nuda jam grana ſeparantur à paleis, quamquam inter paleas lateant.

Exaudivit Dominus &c. ℣. X.

Crebra ejuſdem ſententiæ repetitio non quaſi narrantis neceſſitatem, ſed affectum exultantis oſtendit.

Erubeſcant &c. ℣. XI.

Hoc illo die implebitur, cùm manifeſtata fuerint juſtorum præmia, & ſupplicia peccatorum. Nam uſque adeo non erubeſcunt impii, ut nobis inſultare non deſinant.

Quamquam & illud hic accipi poteſt, ut jam, quia gementem, & tam ſæpe diuque flentem DEus exaudivit, intelligatur liberata à peccatis orare etiam pro inimicis, ut de peccatis ſuis agant pœnitentiam (quod ſine confuſione & conturbatione fieri non poteſt) & convertantur ad Dominum, erubeſcantque ſe in prioribus tenebris peccatorum gloriatos. Quod autem addit: *valdè velociter*, aut ad optantis affectum, aut ad Chriſti potentiam referendum eſt, qui gentes, quæ pro idolis ſuis perſequebantur Eccleſiam, ad Evangelii fidem tanta temporum celeritate convertit.

Explicit de Pſalmo VI.

INCIPIT DE PSALMO VII.

C*Huſi*, qui interpretatur *æthiops*, ſignificat Diabolum, vel Judam proditorem, ſeu populum Judæorum, qui poſt acceptam beatitudinem ad peccatorum nigredinem ſunt converſi. Qui etiam *filius Jemini*, hoc eſt; filius dexteræ ſcribitur; qui licèt vitio ſuo ceciderint, tamen in natura ſua boni à DEO creati ſunt: hi enim adverſus Chriſtum, & Eccleſiam in perſecutione pari conſenſu conſpiraverunt.

Domine DEus meus in te ſperavi &c. ℣. I.

Ne quando rapiat &c. ℣. II.

Dicit Apoſtolus: *Adverſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Itaque cùm diceret per pluralem numerum: *ſalvum me*

me fac ex omnibus perſequentibus me: ſingularem poſteà intulit dicens: *ne quando rapiat ùt leo animam meam.* Non enim ait: *ne quando rapiant*; tanquam cui non reſiſtat jam perfectò niſi invidus Diabolus, ſuperato omni bello atque adverſitate vitiorum. Quod autem ſubjungit: *dum non eſt qui redimat*; ita intelligendum, ne ille rapiat, dum tu non redimis, neque ſalvum facis.

℣. IV. *Domine DEus meus* &c.

Quod dicit: *ſi feci iſtud*, inferiùs, quid ſit, exponit, cum ait: *ſi eſt iniquitas in manibus meis.*

℣. V. *Si reddidi* &c.

Non ait: *ſi reddidi facientibus*, ſed *retribuentibus mibi mala.* Qui enim retribuit, jam aliquid acceperat. Majoris autem patientiæ eſt nec ei mala rependere, qui acceptis beneficiis reddidit mala pro bonis, quam ſi nullo accepto beneficio nocere voluiſſet. Et benè addidit: *decidam merito ab inimicis meis inanis.* Inaniter enim ſe jactat, qui cùm ipſe homo ſit, cupit ſe de homine vindicare: & cùm ſuperare hominem palam quærit, occultè à Diabolo ſuperatur, *inanis* effectus vanâ & ſuperbâ lætitiâ, quòd quaſi vinci non potuit. Intelligens ergo iſta, ubi major fiat victoria, iram potiùs quàm hominem vincit.

℣. VI. *Perſequatur inimicus* &c.

Inimicum nominat, quem ſuperiùs *leonem* appellavit: ipſe enim animam perſequitur, & ſi deceperit, comprehendit, vitamque ejus conculcando *terram* facit, cibum videlicet ſuum. Non enim tantùm leo, ſed etiam ſerpens appellatus eſt, cui dictum eſt: *terram manducabis.* Gloriam quoque ejus *in pulverem deducit*, quem projicit ventus à facie terræ, quod eſt vana & inepta jactantia tanquam vento elatus pulveris globus.

℣. VII. *Exurge Domine* &c.

Non adverſus homines hæc precatur, ſed adverſus Diabolum, & Angelos ejus, quorum poſſeſſio peccatores, atque impii homines ſunt, quibus pœna eſt, cùm auffertur ab eis iſta poſſeſſio, in qua dominari deſiderant. Hanc pœnam dicit *iram* DEI adverſus Diabolum, ut deſinat poſſidere quos poſſidet. Quam

A. poſſeſſionem dixit *fines*, ubi vult DEum *exaltari* potiùs, id eſt: honorari & glorificari, quàm Diabolum, dum impii juſtificantur, & migrant in templum DEI.

Exurge Domine DEus meus &c. Quia humilitatem præcepiſti, humilis appare, & tu prior imple, quod præcepiſti, ut exemplo tuo vincentes ſuperbiam non poſſideantur à Diabolo.

Synagoga autem *populorum*, id eſt: credentium per ejus humilitatem multitudo, ita eum *circumdedit*, ut veriſſimè diceretur: *Cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret.*

B. *Et propter hanc* &c. ℣. VIII.

Id eſt, propter hanc congregationem regredere in altum, quod reſurgendo & in cœlum aſcendendo feciſſe intelligitur. Et benè proſequitur:

Dominus judicat populos &c. ℣. IX.

Quia inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Quapropter hæc anima, quæ perfectè orat, vide quemadmodum non timeat judicii diem, & verè deſideriô dicat in oratione:

Judica me domine &c. Illa eſt vera innocentia, quæ nec inimico nocet. C. Itaque benè judicari ſe poſtulat *ſecundùm innocentiam* ſuam, qui verè dicere potuit: *ſi reddidi retribuentibus mibi mala.* Quòd autem addidit: *ſuper me*, demonſtrat idipſum, quod anima juſta eſt: Et inquam, ſi lucerna ardens & lucens diceret: judica me ſecundùm flammam, quæ ſuper me eſt: id eſt, non quæ ſum ego, ſed qua fulgeo accenſa de te.

Conſummetur nequitia &c. ℣. X.

Conſummetur, inquit, perficiatur, id eſt, perveniat ad ſummam nequitiam, ut poſſit iſtud jam venire judicium. Sed quoniam non ſolùm dictum eſt ſordibus: D. *ſordeſcat* adhuc; ſed etiam: *juſtus juſtior fiat*, adnectit & dicit: *diriges juſtum, ſcrutans corda & renes DEus.* Quomodo ergo *dirigitur* juſtè in tanta confuſione ſimulationis, niſi dum ſcrutatur corda & renes DEus, videns omnium cogitationes, quæ nomine *cordis* ſignificatæ ſunt, & delectationes, quæ nomine *renium* intelliguntur? *Scrutans* ergo *cor* noſtrum, & proſpiciens, non nos acquieſcerè carni & ſanguini, ſed delectari in Domino, *dirigit juſtum* in ipſa conſcientia cōram ſe, ubi nullus homi-

num videt, ſed ſolus ille, qui proſpicit, A. quid quisque cogitet, & quid quemque delectet.

℣. XI. *Juſtum adjutorium* &c.

Juſtum auxilium eſt, quod jam juſto tribuitur. Si enim medicinam exhibet, quâ ſanamur infirmi, quantò magis eam, quâ cuſtodiamur ſani: *quoniam, ſi cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, quantò magis nunc juſtificati ſalvi erimus ab ira per ipſum.* Ita fit, ut ſcrutans corda & renes DEus, & proſpiciens in corde rectas cogitationes, in renibus nullas inferiores delectationes, *juſtum auxilium* præbeat rectis B. corde, ubi mundis cogitationibus ſupernæ delectationes ſociantur.

℣. XII. *Deus judex juſtus* &c.

Juſtus, qui reddit unicuique ſecundùm opera ſua: *Fortis*, qui etiam perſecutores impios, cùm ſit potentiſſimus, pro noſtra ſalute toleravit: *patiens*, qui ipſos, qui perſecuti ſunt, non ſtatim poſt reſurrectionem ad ſupplicium rapuit, ſed ſuſtinuit, ut ſe aliquando ad ſalutem ab illa impietate converterent. Non *iraſcitur per ſingulos dies*, quia adhuc ſuſtinet ſervans ultimo judicio ultimam C. pœnam.

℣. XIII. *Niſi converſi* &c.

℣. XIV. *Et in eo paravit* &c.

Secundò adventu veniens judicare vivos & mortuos *Judex juſtus* in manifeſto ſplendore claritatis ſuæ juſtis ſuis lumen & terrores impiis coruſcabit. *Arcum* autem ſcripturas ſanctas appellat, ubi fortitudine novi teſtamenti, quaſi nervo quodam duritia veteris flexa, & edomita eſt. Hinc tanquam *ſagittæ* emittuntur Apoſtoli, vel divina præconia jaculantur. Quas ſagittas *ardentibus effecit*, quibus percuſſi, divino amo- D. re flagrarent. *Vaſa* verò *mortis vel* hæretici intelliguntur, qui ex eodem arcu, id eſt, ex eisdem ſcripturis in animas non charitate inflammandas, ſed venenis perimendas inſiliunt: quod non contigit, niſi pro meritis: Et ob hoc divinæ Providentiæ etiam iſta diſpoſitio tribuenda eſt. *Vel* iidem Apoſtoli, quia *aliis* ſunt *odor vitæ in vitam*, *aliis odor mortis in mortem.*

℣. XV. *Ecce parturiit* &c.

Unusquisque iniquus *concepit dolorem*, dum quid concupiſcit illicitum: *parturit injuſtitiam*, cùm deſiderando meditatur: *parit iniquitatem*; quia *peccatum cùm conſummatum fuerit, generat mortem.*

Lacum aperuit &c. ℣. XVI.

Hoc eſt, quod in alio Pſalmo dicitur: *in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.*

Convertetur dolor &c. ℣. XVII.

Rectè erit iniquitas ejus ſuper ipſum, cùm ſe iniquitati ſuæ ſpontè ſubdiderit: ſicut & in alio Pſalmo dicitur: *iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum; ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.*

Confitebor Domino &c. ℣. XVIII.

Non eſt iſta confeſſio peccatorum, ſed juſtitiæ Dei, quia ita loquimur: Verus juſtus es Domine, quando & juſtos ſic protegis, ut per te ipſum eos illumines: & peccatores ſic ordinas, ut non tua, ſed ſua malitia puniantur.

Poteſt etiam iſte Pſalmus in perſona Dominici Hominis intelligi, ſi modò ea, quæ ibi humiliter dicta ſunt, ad noſtram infirmitatem referantur, quam ille geſtabat.

Explicit de Pſalmo VII.

INCIPIT DE PSALMO VIII.

T*Orcularia* poſſumus accipere Eccleſias, eadem ratione, qua & aream intelligimus Eccleſiam: quia ſive in area ſive in torculari nihil aliud agitur, niſi ut fructus ab inquinamentis purgentur, quæ neceſſaria erant, & ut naſcerentur, & ut creſcerent, atque ad maturitatem vel meſſis, vel vindemiæ pervenirent, ſicut nunc agitur, ut non loco, ſed affectu interim ſeparentur boni a malis: quamvis ſimul in Eccleſiis, quantùm attinet ad corporalem præſentiam, converſentur. Aliud autem erit tempus, quo vel frumenta in horrea, vel vina in cellas ſegregentur.

Solent accipi *torcularia* etiam martyria, tanquam afflictione perſecutionum calcatis eis, qui Chriſti nomen confeſſi ſunt, ut mortalia eorum tanquam vinacea in terra remanſerint: animæ

Digitized by Google

mæ autem in requiem cœleſtis habita- A. tionis emanaverint. Verbum quoque divinum poteſt uva intelligi, cum enuntiationis neceſſitate uſurpat vocis ſonum, quò in aures perveniatur audientium: Eodem ſono vocis tanquam vinaceâ intellectus tanquam vinum includitur: Et ſic uva iſta in aures venit, quaſi in calcatorio torcularium. Ibi autem diſcernitur, ut ſonus usque ad aures valeat; intellectus autem memoriâ eorum, qui audiunt, velut quodam loco accipiatur, inde tranſeat in morum diſciplinam, & habitum mentis, tanquam de lacu in cellas, in quibus, ſi negligentiâ non acu- B. erit, vetuſtate firmabitur. Acuit namque in Judæis, & hoc aceto Dominum potaverunt.

℣. II. *Domine Dominus noſter &c.*

Ac ſi apertè dicat: *Domine*, qui es *Dominus noſter*, quàm te admirantur omnes qui incolunt terram, quoniam tua magnificentia de terrena humilitate ſuper cœlos elevata eſt! Hinc enim apparuit, quia deſcenderis, cùm à quibusdam viſus es, & à cæteris creditum, quòd aſcenderis.

℣. III. *Ex ore infantium &c.* C.

Poſſunt accipi *infantes* atque *lactentes* hi, quibus dicit Apoſtolus: *Tanquam parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi non eſcam.* Quod ſignificabant illi, qui Dominum præcedebant laudantes, in quo ipſe Dominus hoc teſtimonio uſus eſt. *Inimicos* autem huic diſpenſationi, quæ facta eſt per Chriſtum JEſum, & hunc crucifixum, generaliter accipere debemus omnes, qui vetant cedere incognita, & certam ſcientiam pollicentur, ſicut faciunt hæretici univerſi, & illi, qui in ſuperſtitione gentilium Philoſophi nominantur. Diabolus ve- D. rò acerrimus inimicus poteſt & *ultor* intelligi; ipſi enim peccantes traduntur in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. Sed & omnes, qui divina gratia de ejus faucibus erepti non fuerint, in æternum poſſidet.

℣. IV. *Quoniam videbo cœlos &c.*

Videbo, inquit, *cœlos opera digitorum tuorum*: id eſt: cernam & intelligam ſcripturas, quas operante Sancto Spiritu, qui digitus Dei dicitur, per miniſtros tuos conſcripſiſti.

Sic ergo deſtruitur inimicus, cùm intelliguntur ſcripturæ prædicatæ usque ad infantium tarditatem. *Luna* verò & *ſtellæ* in cœlis ſunt fundatæ: quia & univerſalis Eccleſia, in cujus ſæpe ſignificatione Luna ponitur, & particulatim per loca ſingulæ Eccleſiæ, quas nomine *ſtellarum* inſinuatas arbitror, in eisdem ſcripturis collocatæ ſunt, quas cœlorum vocabulo poſitas credimus.

Quid eſt homo &c. ℣. V.

Quid inter *homines* & *Filium hominis* diſtet, quæri poteſt. Si enim nihil diſtaret, non ita poneretur: *aut filius hominis*, per disjunctionem. Omnis namque filius hominis homo, quamvis non omnis homo filius hominis poſſit intelligi. Adam quippe homo, ſed non filius hominis. Chriſtus autem & homo & Filius hominis. *Homo* itaque dicitur, qui portat imaginem terreni hominis. Hujus *memor* eſt DEus tanquam abſentis. *Filium* autem *hominis*, qui portat imaginem cœleſtis, *viſitat* tanquam præſentem: Et hoc in ſuſceptione humanitatis DEus verbum. Unde ſequitur:

Minuiſti eum &c. ℣. VI.

Minoratum enim eum paulò minùs ab Angelis per humilitatem carnalis generationis atque paſſionis audivimus & credimus. Quod magnificentiùs in hebraico legitur: *Minues eum paulò minùs à DEO*: ubi & æqualis Patri ſecundùm divinitatem evidenter oſtenditur, & minor Patre futurus ſecundùm humanitatem declaratur.

Omnia ſubjeciſti &c. ℣. VII.

Nihil excipit, cùm dicit *omnia.* Et ne aliter liceret intelligi, ſic Apoſtolus credi jubet, cùm dicit: *Excepto eo, qui ei ſubjecit omnia.* Nec tamen quaſi aliquid magnum videtur adjungere, cùm dicit: *Oves & boves* &c. niſi *oves & boves* intelligamus animas ſanctas, vel innocentiæ fructum dantes, vel etiam operantes, ut terra fructificet, id eſt, ut terreni homines ad ſpiritalem ubertatem regenerentur. Has ergo animas ſanctas non hominum tantùm, ſed etiam Angelorum oportet accipi ex eo, quod Dominus dicit, reliquiſſe ſe *nonaginta novem oves in montibus*, id eſt: in ſublimioribus locis, & deſcendiſſe propter

unam. Nam de *bubus* facilis expeditio eſt, quoniam ipſi homines non ob aliud *boves* dicti ſunt, niſi quòd evangelizando verbum Dei Angelos imitarentur. *Pecora* autem *campi* congruentiſſime accipiuntur homines in carnis voluptatibus gaudentes, ubi nihil arduum, nihil laborioſum aſcendunt. *Campus* eſt enim lata via, quæ ducit ad interitum.

℣. IX. *Volucres cœli* &c.

Vide nunc etiam *volucres cœli* ſuperbos, de quibus dicitur: *poſuerunt in cœlum os ſuum:* vide quàm in altum ventô portentur, qui dicunt: *linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?* Intuere etiam *piſces maris* curioſos, *qui perambulant ſemitas maris*, id eſt, inquirunt in profundo hujus ſæculi temporalia, quæ tanquam ſemitæ in mari vileſcunt & intereunt. *Perambulant* autem dixit, oſtendens pertinaciſſimum ſtudium inania & præterfluentia requirentium.

℣. X. *Domine Dominus noſter* &c.

Decenter poſt textum ſermonis ad caput reditur, quo tritus idem ſermo referendus eſt.

Explicit de Pſalmo VIII.

INCIPIT DE PSALMO IX.

D*E occultis Filii* quæri poteſt. Sed quia non addidit cujus, ipſum unigenitum DEI filium oportet intelligi. Nam & ipſe Dominus, cùm ſine additamento ponit Filium, ſe ipſum Unigenitum vult intelligi, ſicut illud ubi ait: *ſi vos filius liberaverit, verè liberi eritis.* Quæ ſunt autem *occulta filii*, ex hebræo tranſlata editio manifeſtè oſtendit, quæ dicit: *Victori ſuper morte filii.* Quocirca in hoc pſalmo obſervanda ſunt *occulta filii*, id eſt, humilis ejus adventus, quo profuit gentibus cum cæcitate Judæorum, & pœna, quæ nunc *occultè* agitur, nondum damnatione peccantium, ſed aut exercitatione converſorum, aut admonitione ut convertantur, aut cæcitate, ut damnationi præparentur, qui converti noluerint. Nam & illud, quod titulo inſcribitur: *in finem*

A. *pro occultis filii*, & ſupra dicta ex hebræo tranſlatio ponit, *victori pro morte filii*, decentiſſimè his congruit procul dubio, quibus quippe auctor eſt Chriſtus, qui dixit: *Confidite, ego vici mundum*, cùm de morte pariter & inferno triumphavit. Ipſe & *finis*, hoc eſt complementum legis, ſicut ait: *non veni ſolvere legem ſed adimplere.* Siquidem & victoriam feret de mundo, finis eſt futurorum bonorum.

Confitebor tibi Domine &c. ℣. II

Non in toto corde confitetur Deo, qui de providentia ejus in aliquo dubitat. B. *Narrat* autem *omnia mirabilia* Dei, quia non ſolùm in corporibus palam, ſed & in animis inviſibiliter quidem, ſed longè ſublimiùs, & excellentiùs fieri videt.

Lætabor & exultabo &c. ℣. III.

Non in hoc ſæculo, ubi lethifera lætitia eſt, non in ambitionibus mundi, ubi peccata amara ſuavia ſunt, ſed *in te*, ubi ſecurum gaudium ſemper ſumit augmentum.

Narrabo autem *omnia mirabilia tua*, poteſt præcipuè intelligi ex perſona Chriſti, qui diſcipulis ait: *Omnia quæ-* C. *cunque audivi à Patre meo nota feci vobis*: ſiquidem jam incipit apparere perſona Domini in hoc Pſalmo loquentis. Nam ſequitur:

In convertendo &c. ℣. IV.

Hujus enim inimicus retrorſum converſus eſt, quando ei dictum eſt: *redi retro ſatanas.* Tunc enim, qui tentando ſe præponere cupiebat, retro factus eſt, in eum nihil valendo. Hominum quoque nullus eum præcedit, & retrò eſſe facit, niſi qui deponens imaginem terreni hominis portaverit imaginem cœleſtis, ea ſcilicet, *quæ retrò ſunt obli-* D. *viſcens, & ſe ad ea, quæ ante ſunt extendens.* Nam quòd dictum eſt: *inimicum meum*, generaliter accipere non erit abſurdum, ſicut hebraica docet editio, quæ poſtquam dixit: *canam nomini tuo altiſſime*, ſtatim infert: *cùm ceciderint inimici mei retrorſum, & corruerint, & perierint à facie tua.* Quare?

Quoniam feciſti judicium &c. ℣. V.

Id eſt: judicium illud, in quo judicari viſus ſum, *meum* feciſti, & *cauſam* illam, in qua me juſtum & innocentem homines damnaverunt, *meam* feciſti.

Hæc

Digitized by Google

Hæc enim ei militaverunt ad noſtram A. liberationem: ſicut nautæ dicunt ventum ſuum, quô utuntur ad benè navigandum.

℣. VI. *Increpaſti gentes* &c.

Convenientiùs hoc Domino JESU Chriſto dici, quàm ipſum dicere accipimus. Quis enim alius *increpavit gentes, & periit impius*, niſi qui poſteaquam aſcendit in cœlum, miſit Spiritum Sanctum, quô completi Apoſtoli cum fiducia prædicarent verbum Dei, & peccata hominum liberè arguerent. Qua increpatione *periit impius*, quia juſtificatus eſt. *Deletumque* eſt *nomen* impio- B. rum. Non enim appellantur impii, qui Domino vero credunt.

℣. VII. *Inimici defecerunt* &c.

Cujus *inimici*, niſi Diaboli *frameæ defecerunt*, quæ intelliguntur diverſæ opiniones erroris, quibus ille tanquam gladiis animas perimit? *In finem* verò, hoc eſt: in Chriſto, qui *civitates ejus deſtruxit*, cùm excluſit inde principem, de quo dictum eſt: *Princeps hujus ſæculi miſſus eſt foras.*

Periit memoria &c. Sive, quia fit ſtrepitus, cùm impietas evertitur, ſive C. etiam ipſo ſtrepitu pereunte, in quo tumultuatur impietas.

℣. VIII. *Paravit in judicio thronum* &c.

Quia etiam palam manifeſteque venturus eſt ad vivos & mortuos judicandos, paravit in occulto *judicio ſedem ſuam.*

℣. IX. *Et ipſe* item palam *judicabit orbem terræ in æquitate:*

Id eſt: meritis digna reſtituens.

℣. X. *Et factus eſt Dominus refugium pauperi* &c.

Quid ſit *adjutor in opportunitatibus*, expoſuit cùm addidit: *in tribulatione.* D. Non enim convertitur anima ad Dominum, niſi cum ab hoc ſæculo avertitur. Nec opportunus ab hoc ſæculo avertitur, niſi nugatoriis ejus, & noxiis, & pernicioſis voluptatibus labores doloresque miſceantur.

℣. XI. *Et ſperent in te* &c.

Quærentem quippe animam, ubi figat ſpem, cùm ab hoc mundo evellitur, opportunè excipit *cognitio nominis* Dei: nam nomen ipſum DEI usquequaque divulgatum eſt, ſed *cognitio nominis* eſt, cùm ille cognoſcitur, cujus nomen eſt.

Pſallite Domino &c. ℣. XII.

His dicitur, quos non derelinquit quærentes ſe Dominus. Ipſe *habitat in Sion*, quæ interpretatur *ſpeculatio*, & geſtat imaginem Eccleſiæ, quæ nunc eſt, & cui dictum eſt: *templum Domini ſanctum eſt, quod eſtis vos.*

Quoniam requirens &c. ℣. XIII.

Quaſi reſponderetur ab his, qui miſſi ſunt evangelizare inter gentes ſtudia Dei, & diceretur: *Domine quis credidit auditui noſtro?* Et: *propter te mortificamur tota die.* Aut, quaſi aliquis imperitior & minoris fidei quæreret dicens: quomodo annuntiabitur, cùm infidelitas gentium ſævitura ſit? convenienter ſequitur dicens: non ſine magno fructu æternitatis morituros in perſecutione Chriſtianos, *quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt.*

Miſerere mei Domine &c. ℣. XIV.

Unus interpellat pro ſanctis, qui primus pro nobis pauper factus eſt, cùm eſſet dives, cùm ſupra plurali numero diceret: *non eſt oblitus clamorem pauperum.* Et ipſe dicit:

Qui exaltas me &c. ℣. XV.

Exaltatur enim in illo quisque noſtrum in membris ejus ab omnibus pravis cupiditatibus, quæ ſunt *portæ mortis*, quia per illas itur in mortem. Sunt autem *portæ filiæ Sion* omnia optima ſtudia, per quas venitur ad viſionem pacis. In ſancta Eccleſia *portæ* ſunt etiam *filiæ Sion* ſacramenta & initia fidei.

Exultabo in ſalutari tuo &c. ℣. XVI.

Exultabo, id eſt, cum beatitudine continebor à *ſalutari tuo*, quod eſt Dominus noſter JEſus Chriſtus, virtus & ſapientia DEI. Deinde animadvertendum, quemadmodum ſervetur pœna peccatori de operibus ſuis.

In laqueo iſto &c. *laqueus* abſconditus eſt doloſa cogitatio: *pes* animæ rectè intelligitur amor, qui cum pravus eſt, vocatur cupiditas, aut libido: cùm autem rectus, dilectio vel charitas. In fraudulento ergo conſilio *comprehenſus eſt pes eorum*, cùm amore pervenit per fraudem ad vanam lætitiam.

Cognoſcetur Dominus &c. ℣. XVII.

Hæc ſunt *judicia* Dei, cùm reddit unicuique ſecundùm opus ſuum.

Convertantur peccatores &c. ℣. XVIII.

Id eſt,

Digitized by Google

Id eſt, dentur in manus ſuas, cùm eis parcitur, & illaqueentur delectatione mortiferâ.

℣. XIX. *Quoniam non in finem oblivio* &c.

Pauperes dicuntur, qui nunc videntur, quaſi in oblivione eſſe: cùm mali florent, & illi tribulantur. Sed *patientia* eorum, qua nunc portant malos, *non peribit*, ſed remunerabitur *in finem*.

℣. XX. *Exurge Domine non confortetur* &c.

Imploratur futurum judicium: quod-B. que dicit: *in conſpectu tuo*, ſignificat, in occulto coram Deo, paucis ſanctis & juſtis intelligentibus.

℣. XXI. *Conſtitue Domine* &c.

Videtur Anti-Chriſtum ſignificare, de quo Apoſtolus dicit: *cùm revelabitur homo peccati*, ut qui nolunt liberari à filio Dei, & pertinere ad filium hominis, & eſſe filii hominum, id eſt, novi homines, ſerviant homini, id eſt, veteri homini peccatori, *quoniam homines ſunt*. Et quia ille ad tantum culmen inanis gloriæ venturus creditur, & tanta ei licebit facere in omnes homines, & C. in ſanctos DEI, ut tunc verè nonnulli infirmi arbitrentur DEum res humanas negligere; ſubjicit tanquam voce gementium & querentium, cur judicium differatur:

℣. XXII. *Ut quid Domine receſſiſti* &c.

Id eſt: opportuna deſpicis, & facis tribulationes ad inflammandos animos deſiderio adventus tui. His enim jucundior eſt fons ille vitæ, qui multum ſitiunt. Itaque inſinuat conſilium dilationis dicens:

℣. XXIII. *Dum ſuperbit impius* &c.

Mirum eſt & verum, quanto ſtudio bonæ ſpei parvuli incendantur ad rectè vivendum, comparatione peccantium: quo myſterio agitur, ut etiam hæreſes eſſe permittantur, ut probati manifeſti fiant inter homines, qui Deo noti ſunt. *Comprehenduntur* autem impii *in conſiliis*, quia cogitationes eorum vincula illis fiunt. Sed quare?

℣. XXIV. *Quoniam laudatur peccator* &c.

Adulantium linguæ alligant animas in peccatis: delectat enim ea facere, in-A. quibus non ſolùm non metuitur repreheníor, ſed etiam laudator auditur.

Exacerbavit Dominum &c. ℣. XXV.

Multùm iraſcitur, dum non exquirit, dum quaſi obliviſcitur, dum non attendit peccata, & impius per fraudes & ſcelera ad divitias honoreſque pervenit: quod maximè in illo Anti-Chriſto eventurum eſt, qui uſque adeo beatus videbitur hominibus, ut etiam DEus putetur. Sed quanta iſta ira Dei ſit, docent ſequentia.

Non eſt DEus in conſpectu ejus &c. ℣. XXVI.

Quantam ergo pœnam patitur, qui ſecundis rebus peccatorum ſuorum eo perducitur, ut non ſit DEus in conſpectu ejus: id eſt: deſeratur luce veritatis, & contaminentur viæ ejus *in omni tempore*, id eſt, cogitationes & conſilia ejus immunda ſint?

Auferuntur judicia tua &c. Animus enim malè ſibi conſcius, dum ſibi videtur nullam pœnam pati, credit, quod non judicet DEus: & ſic auferuntur judicia DEus à facie ejus; cùm hæc ipſa ſit magna damnatio. *Omnium inimicorum ſuorum dominabitur*, quia reges omnes ſuperaturus traditur, & ſolus regnum obtenturus, quando etiam ſecundùm Apoſtolum *in templo Dei ſedebit: extollens ſe ſuper omne, quod colitur, & quod dicitur DEus*.

Dixit enim in corde ſuo &c. ℣. XXVII

Id eſt: fama mea & nomen meum de hac generatione in generationem poſterorum non tranſiet, niſi artibus malis adipiſcar tam excelſum principatum, de quo poſteri tacere non poſſint. Vel certè de humana generatione in di-D. vinam generationem rebus magicis tranſiturum ſe arbitrabitur.

Sciendum autem, quòd hebraica translatio ſignificat illum damnatum hominem ita à Diabolo ſuadendum, ut ſe putet in æternum ſine ullâ adverſitate regnaturum; quæ ita dicit: *Loquitur in corde ſuo: non movebor: in generatione, & generatione ero ſine malo.*

Cujus maledictione os plenum eſt &c. ℣. XXVIII

Magnum enim maledictum eſt, tam nefandis artibus cœlum appetere, & ad capien-

capiendam æternam ſedem talia merita A. comparare. Sed hac ejus *maledictione os* ejus *plenum eſt :* Non enim habebit effectum iſta cupiditas, ſed infra omnes ejus tantùm valebit ad eum perdendum, quia hoc ſibi auſus eſt polliceri. *Cùm amaritudine & dolo*, id eſt, ira inſidiisque, quibus in ſuas partes converſurus eſt multitudinem. Quòd verò ſequitur: *ſub lingua ejus labor & dolor*, ad illud refertur, quod dixit in corde ſuo: *non movebor*, & propterea *ſub lingua ejus*, non in lingua ejus, quoniam tacitè iſta cogitaturus eſt, hominibus autem talia locuturus, ut bonus & juſtus & Dei fi- B. lius videatur.

℣. XXIX *Sedet in inſidiis &c.*

Quibus divitibus, niſi eis, quos hujus ſæculi muneribus cumulabit? Et ideo *in inſidiis* cum his *ſedere* dictus eſt, quoniam falſam ipſorum felicitatem ad dejiciendos homines oſtentabit. *In occultis* autem puto dictum eſſe, ubi non facilè intelligitur, quid appetendum, quidve fugiendum ſit. *Innocentem* verò *interficere* eſt ex innocente facere nocentem.

℣. XXX. *Oculi ejus in pauperem reſpi- C. ciunt &c.*

Juſtos enim maximè perſecuturus eſt, de quibus dictum eſt: *beati pauperes ſpiritu. Leonem* autem *in ſpelunca* dicit eum, in quo & vis & dolus operabitur. Prima enim perſecutio Eccleſiæ violenta fuit, cùm proſcriptionibus, tormentis, cædibus Chriſtiani ad ſacrificandum cogerentur. Altera perſecutio fraudulenta eſt, quæ nunc per hujuscemodi hæreticos & falſos fratres agitur. Tertia ſupereſt per Anti-Chriſtum ventura, qua nihil eſt periculoſius, quoniam & violenta & fraudulenta erit. Vim habebit D. in imperio, dolum in miraculis. Ad vim relatum eſt, quod dictum eſt *Leo:* ad dolos, quod dictum eſt: *in ſpelunca ſua.* Et rurſum ipſa repetita ſunt converſo ordine: *Inſidiatur ut rapiat* &c. Nam *inſidiæ* ad dolum pertinent, *rapere* violentiæ deputatur. Item quæ ſequuntur ipſa ſunt:

℣. XXXI. *In laqueo ſuo humiliavit &c.*

Laqueus enim benè ſignificat inſidias: dominatio verò terrorem aptiſſimè inſinuat: unde ait: *inclinabit & cadet* &c.

Dixit enim in corde ſuo &c. ℣. XXXII.

Hæc eſt inclinatio & caſus miſerrimus, dum animus humanus in ſuis iniquitatibus quaſi proſperatur, & parci ſibi putat, cùm excœcatur, ut ſervetur ad ultimam opportunamque vindictam, de qua nunc jam loquitur dicens:

Exurge Domine DEus exaltetur &c. ℣. XXXIII.

Id eſt: manifeſta ſit potentia tua. Laborans enim Eccleſia illis temporibus tanquam navis in magnis fluctibus & procellis quaſi dormientem excitat Dominum, ut imperet ventis, & tranquillitas redeat. Jam itaque manifeſto judicio intelligentes & exultantes dicunt:

Propter quid irritavit impius DEum &c. ℣. XXXIV.

Id eſt, quid profuit tanta mala facere? Deinde ſequitur:

Vides quoniam tu laborem &c. ℣. XXXV.

Senſus iſte pronuntiationem quærit, in qua ſi erratum fuerit, obſcuratur. Sic enim dixit in corde ſuo impius: *non requiret DEus*, quaſi DEus laborem & dolorem conſideret, *ut tradat eos in manus ſuas*, id eſt, quaſi laborare & dolere timeat, & propterea illis parcat, ne onerosa ſit illi pœna eorum, aut ne iracundiæ tempeſtate turbetur: quomodo plerumque homines faciunt diſſimulatâ vindicta ne laborent, aut doleant.

Tibi derelictus eſt &c. Ideo enim pauper eſt, id eſt, omnia hujus mundi temporalia bona contempſit, ut tu ſis tantùm ſpes ejus. *Orphanum* autem dixit, cui moritur pater hic mundus, per quem carnaliter genitus eſt, ſed poteſt jam dicere: *mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Talibus enim Orphanis pater fit DEus, quibus dicit: *ne dicatis vobis patrem in terris.*

Contere brachium peccatoris &c. ℣. XXXVI.

Illius ſcilicet, de quo ſupra dicebatur: *omnium inimicorum ſuorum dominabitur. Brachium* ergo ejus dixit potentiam ejus. *Quæretur* autem *peccatum ejus*, id eſt judicabitur de peccato ſuo: *nec invenietur*, quia periet ipſe pro peccato ſuo.

Dominus regnabit in æternum &c. ℣. XXXVII.

Gentes poſuit peccatores & impios.

℣. XXXVIII *Deſiderium pauperum &c.* A.

Deſiderium illud, quo æſtuabant, cùm in anguſtiis & tribulationibus hujus ſæculi Domini diem concupiſcerent.

Præparatio autem *cordis* illa eſt, de qua in alio Pſalmo canitur: *paratum cor meum DEus, paratum cor meum:* de qua & Apoſtolus: *ſi autem, quod non videmus, ſperamus, per patientiam exſpectamus.* Jam verò *aurem Dei* non membrum corporeum, ſed potentiam eſſe, quâ exaudit, regulariter debemus accipere. Non enim corporeum fas eſt putare, quòd Dominus DEus non ſonantem vocem, ſed præparationem cordis B. audivit.

℣. XXXIX. *Judicare pupillo & humili &c.*

Aliud *judicare pupillum*, aliud *judicare pupillo. Judicat pupillum* etiam, qui condemnat: *judicat* autem *pupillo*, qui pro pupillo profert ſententiam. *Homines* autem ſunt non ſolùm, de quibus dictum eſt: *conſtitue Domine Legiſlatorem ſuper eos, ut ſciant gentes, quoniam homines ſunt;* ſed etiam ille, qui eodem loco intelligitur poni ſuper eos, *homo* erit, de quo nunc dicitur: *ut non apponat ultrà magnificare ſe homo ſuper terram*, cùm venerit ſcilicet Filius hominis judicare pupillo, qui exuit veterem hominem, atque hoc modo tanquam extulit patrem.

Explicit de Pſalmo IX.

INCIPIT DE PSALMO X.

Pſalmus iſte canitur adverſus hæreticos, qui nos ab uberibus matris Eccleſiæ avertere moliuntur, affirmantes, quòd apud ipſos ſit Chriſtus, & D. quaſi piè admonentes, ut ad eos transeundo transmigremus in Chriſtum, quem ſe habere mentiuntur. Nam cùm multis nominibus Chriſtus in prophetia allegoricè inſinuaretur, etiam *mons* appellatus eſt: Iſtis itaq; reſpondendum eſt ita:

℣. II. *In Domino confido, quomodo dicitis &c.*

Unum enim *montem* teneo, in quô *confido, quomodo dicitis*, ut ad vos tranſeam, tanquam multi ſint Chriſti?

℣. III. *Quoniam ecce peccatores &c.*

Tetenderunt arcum, ſcripturas videlicet, quas carnaliter interpretando, venenatas ſententias inde emittunt. *Paraverunt ſagittas in pharetra*, eadem verba ſcilicet, quæ ſcripturarum auctoritate jaculantur, ut cùm ſenſerint Eccleſiæ lumine propter multitudinem imperitorum & carnalium obſcuratô, non ſe poſſe convinci, corrumpunt mores bonos colloquiis malis.

Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt &c. ℣. IV.

Omnes hæretici, quantum in ipſis eſt, *deſtruxerunt* laudem, quam ex ore infantium & lactentium perfecit DEus, dum quæſtionibus vanis & ſcrupuloſis exagitant parvulos, & nutriri fidei lacte non ſinunt. Quòd ſi hæretici, aut Judæi laudem vel legem DEI deſtruxerunt, Chriſtus *quid fecit*, qui dixit: *pacem meam do vobis:* quam illi nefanda diſſenſione violarunt?

Dominus in templo ſancto ſuo &c. ℣. V.

Ita verò, ſicut Apoſtolus dicit: *Templum enim DEI ſanctum eſt, quod eſtis vos. In* hoc *templo ſancto ſuo Dominus* eſt, quod conſtat ex multis membris ſua quæque officia gerentibus, in unam ædificatio-C. nem charitate conſtructis. Ipſum intelligitur & *cœlum*, in quo regnat, & unde judicat DEus.

Oculi ejus in pauperem &c. Quippe cui derelictus eſt pauper, & qui factus eſt refugium pauperi. *Filios* autem *hominum* de veteribus per fidem regeneratos accipe. Hi enim quibuſdam ſcripturarum locis obſcuris tanquam clauſis oculis DEI exercentur, ut quærant: & rurſus quibuſdam locis manifeſtis tanquam apertis oculis DEI illuminantur, ut gaudeant, & iſta in ſanctis libris crebra apertio atque operatio tanquam *palpebræ* ſunt DEI, quæ *interrogant*, id eſt, probant filios hominum, qui neque fatigantur rerum obſcuritate, ſed exercentur, neque inflantur cognitione, ſed confirmantur.

Dominus interrogat juſtum & impium &c. ℣. VI.

Quid ergo metuimus, ne aliquid nobis obſint impii, ſi fortè nobiſcum ſacramenta non ſincero corde communicant, quando ille interrogat juſtum & impium, & animæ tantùm ſuæ nocet dilector iniquitatis?

Pluet

Digitized by Google

℣. VII. *Pluet ſuper peccatores &c.*

Pluet, ad verba prædicantium retulit cœlo manantia, quæ piis imbres ſunt: malè autem intelligentibus aut non credentibus *laquei*. Illi enim benè intelligendo in fide fructificant: iſti malè tractando animas ſuas modò perverſitatis ſtrangulant. Pœna verò eorum eſt atque exitus, per quos blaſphematur nomen Dei, ut primùm cupiditatum ſuarum *igne* vaſtentur, deinde malorum operum pudore à cœtu beatorum abjiciantur, poſtremò arrepti atque ſubmerſi ineffabiles pœnas luant: Hæc enim *pars* eſt *calicis eorum*. *Calicem* autem propterea, puto appellatum, ne quid præter modum atque menſuram vel in ipſis peccatorum ſuppliciis per divinam providentiam fieri arbitremur.

℣. VIII. *Quoniam juſtus Dominus &c.*

Pro juſtis *juſtitiæ* intelliguntur poſitæ. In multis enim juſtis tanquam multæ juſtitiæ videntur eſſe, cùm ſit una Dei, cujus omnes participant: tanquam ſi una facies intueatur plura ſpecula, quod in illa ſingulare eſt, de illis pluribus pluraliter redditur. Facies autem Dei eſt potentia, quâ dignis innoteſcit. Aut certè *æquitatem vidit vultus ejus*; quia non ſe præbet cognoſcendum malis, ſed bonis. Et ipſa eſt *æquitas*.

Explicit de Pſalmo X.

INCIPIT DE PSALMO XI.

Octava poteſt intelligi dies judicii, aut certè Evangelicam prædicationem figurat, in qua Judæi vel hæretici decalogum legis transgrediendo velut in undenario numero lapſi ſunt. Unde corpus Eccleſiæ, quod unius & vocis & cordis, Dominum orat, ut ab eorum damnatione eripiatur:

℣. II. *Salvum me fac Domine, quoniam &c.*

Defecit ſanctus, id eſt, non invenitur, ſicut loquimur, cùm dicimus: defecit frumentum, aut defecit pecunia. Veritas autem una eſt, quâ illuſtrantur animæ ſanctæ. Sed quoniam multæ ſunt animæ, in ipſis multæ *veritates* dici poſſunt; ſicut ab una facie multæ in ſpeculis imagines apparent.

Vana locuti ſunt unusquisq; &c. ℣. III.

Proximum omnem hominem oportet intelligi, quia nemo eſt, cum quo ſit operandum malum, & *dilectio proximi malum non operatur*. Quòd autem bis ait: *in corde & corde*, duplex cor ſignificat: qui enim in corde ſuo ſcit verum eſſe, quod verum eſt, quodammodò alio corde ſuppreſſa veritate dolò inſtigante mentitur.

Diſperdat Dominus univerſa labia &c. ℣. IV.

Univerſa dixit, ne quis ſe exceptum putet. *Linguam* autem *magniloquam* ſuperbiam intellige.

Qui dixerunt linguam noſtram &c. ℣. V.

Superbi hypocritæ ſignificantur, in ſermone ſuo ſpem ponentes ad homines decipiendos, & DEO non ſunt ſubditi.

Propter miſeriam inopum &c. ℣. VI.

Hoc de perſona DEI Patris accipiendum, qui propter *inopes* & *pauperes*, id eſt, inopia & paupertate bonorum ſpiritualium egentes, Filium ſuum miſit. *Ponam in ſalutari &c. in ſalutari*, in Chriſto accipiendum eſt ſecundum illud: *quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*; in quo intelligitur poſuiſſe quod ad miſeriam inopum auferendam, & conſolandum gemitum pauperum pertinet. *Fiducialiter* verò *egit in eo*, ſecundùm illud in Evangelio: *Erat enim docens eos tanquam poteſtatem habens*.

Eloquia Domini, eloquia caſta &c. ℣. VII.

Caſta, id eſt, nullo adulterata mendacio, ſed ad vicem argenti, quod examinatur, ſeptemplici Spiritus Sancti igne probata. Quòd autem ait: *probatum terræ*, manifeſtiùs hebraica editio poſuit, *ſeparatum à terra*.

Tu Domine ſervabis nos &c. ℣. VIII.

Hic tanquam inopes & pauperes, ibi tanquam opulentos & divites.

In circuitu impii ambulant &c. ℣. IX.

In circuitu ambulant, id eſt: in temporalium rerum cupiditate, quæ ſeptem dierum repetito circuitu tanquam rota vol-

Digitized by Google

volvitur, & ideo non perveniunt in A. *octavam*, id eſt, in æternum, pro qua iſte Pſalmus titulatus eſt. *Multiplicantur* autem *filii hominum*, hoc eſt, juſti *ſecundùm altitudinem* DEI, quando ſunt de virtute in virtutem.

Explicit de Pſalmo XI.

INCIPIT DE PSALMO XII.

℣. I. *Usquequo Domine obliviſceris me in finem* &c. B.

Id eſt, differs me ad intelligendum Chriſtum ſpiritualiter, qui eſt ſapientia DEI, & rectus finis omnis intentionis animæ. *Avertere* enim *faciem* DEus dicitur, dum non dat animæ notitiam ſui, quæ adhuc purum mentis oculum non habet.

℣. II. *Quamdiu ponam conſilium in anima* &c.

Conſilio non opus eſt niſi in adverſis. Ergo, *quamdiu ponam conſilium in anima mea*, ita dicitur: quamdiu ero in adverſis? Aut certè reſponſio eſt, ut C. iſte ſit ſenſus: Tamdiu Domine obliviſceris me in finem, & tamdiu avertis faciem tuam à me, quamdiu ponam conſilium in anima mea, ut perfectè operetur miſericordiam. Non eum dirigit DEus in finem, neque notitiam ſui plenam, quod eſt facie ad faciem, præbet illi. In eo etiam, quod ſubjungit: *dolorem in corde meo per diem*, ſubauditur, quamdiu ponam? Per diem verò aut continuationem ſignificat, aut dies pro tempore intelligitur, à quo ſe quis deſiderans exui dolorem ponit in D. corde, deprecans ad æterna conſcendere, & humanam diem non pati.

℣. III. *Usquequo exaltabitur inimicus* &c.

Inimicus iſte Diabolus eſt, ſive populus impius, vel conſuetudo carnalis.

℣. IV. *Reſpice* autem refertur ad id, quod dictum eſt: *usquequo obliviſceris me in finem*.

℣. V. *Illumina oculos meos ne unquam* &c.

Orat *oculos* ſui cordis *illuminari*, ne delectabili defectu peccati claudantur. Diaboli quippe inſultatio metuenda eſt, qui deteſtabili conſuetudine tunc efficitur lætus, quando eos, quos deceperit, ſe cognoverit poſſidere.

Qui tribulant me exultabunt &c. Tribulantes ſunt Diaboli & Angeli ejus, qui non exultaverunt de juſto viro Job, cùm eum tribularent, quia non eſt *motus*, id eſt de ſtabilitate fidei non receſſit. Idipſum autem, quod non movetur homo, & fixus in Domino permanet, non ſibi debet tribuere, ne cùm ſe glorietur non eſſe *motum*, ipſâ ſuperbiâ moveatur.

Exultabit cor meum in ſalutari &c. ℣. VI.

In ſalutari tuo, hoc eſt: in Chriſto JEſu *exultabit cor meum*, qui *tribuit mihi bona* ſpiritalia, non ad humanum diem pertinentia. Propter quod *pſallam nomini Altiſſimi*, id eſt, cum gaudio gratias ago, & ordinatiſſimè utor corpore, quod eſt cantus animæ ſpiritualis. Si autem aliqua hic differentia conſideranda eſt, *cantabo* corde, *pſallam* operibus Domino, qui ſolus videt: nomini autem Domini, quod apud homines innoteſcit, quod non illi ſed nobis eſt utile.

Explicit de Pſalmo XII.

INCIPIT DE PSALMO XIII.

Finis legis Chriſtus. Ad illum redimus, quando incipimus viam bonam ingredi: ipſum videbimus, cùm pervenerimus: Et ideo ipſe finis, quem Judæi videntes humilem in aſſumpta carne veniſſe, non intellexerunt ipſum eſſe, qui prædictus fuerat à Prophetis. Ideo ſic incipit Pſalmus:

Dixit inſipiens in corde ſuo &c. ℣. I.

Quod ideo gravius, quia non tantùm labiis dixerunt, ſed *in corde*, ut malo voto pejor incredulitas jungeretur. Poteſt hoc & de gentibus intelligi, qui providentiam divinam negantes caſibus mundum æſtimant gubernari.

Corrupti ſunt & abominabiles &c. id eſt, dum amant hoc ſæculum, & non amant Deum, ipſa ſunt ſtudia, quæ corrum-

Digitized by Google

rumpunt animam, & ſic excæcant, ut A. poſſit etiam dicere inſipiens in corde ſuo: *non eſt* DEus: *ſicut enim non probaverunt DEum habere in notitia, dedit illos DEus in reprobum ſenſum*, ut nefandisſima incredulitate maculati, *abominabiles* Domino ſuis erroribus redderentur. Quòd verò ait: *usque ad unum*, vel cum ipſo uno poteſt intelligi, ut nullus hominum intelligatur: vel *præter unum*, ut intelligatur Dominus Chriſtus: ſicut dicimus: iſte ager usque ad mare eſt, non utique ſimul computamus & mare. Et iſte eſt melior intellectus, ut nemo intelligatur feciſſe bonitatem usque ad B. Chriſtum, quia non poteſt quisque hominum, niſi ipſe donaverit, facere bonitatem. Et illud unum eſt: quia usquequo quisque cognoſcat unum DEum, non poteſt facere bonum.

℣. II *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum* &c.

Super Judæis poteſt intelligi, ut honoratiùs eos appellaverit *filios hominum* propter unius DEI cultum in comparatione gentilium. *Proſpicit* autem *Dominus*, ut videat per animas ſanctas ſuas, quod ſignificat id quod dictum eſt: *de* C. *cœlo.* Nam per ſe ipſum nihil eum latet: niſi fortè eo modo intelligatur dictum, *ut videat*, id eſt: videre faciat: ſicut Abraham dictum eſt: *nunc cognovi, quòd timeas DEum:* id eſt, nunc cognoſcere feci.

℣. III. *Omnes declinaverunt* &c.

Id eſt Judæi tales facti ſunt, quales & gentes.

Sepulchrum patens eſt &c. In ſepulchro patente aut voracitas ſignificatur inhiantis gulæ, aut in allegoria, qui occidunt, & quaſi devorant interfectos eos, D. quibus morum ſuorum perverſitatem ſuadent. Cui ſimile eſt è contrario, quod Petro dictum eſt: *macta, & manduca*, ut in ſuam fidem & bonos mores gentes converteret. Patet verò quod ſequitur: *Linguis ſuis dolosè agebant.* Comes quippe eſt voracibus adulatio & omnibus malis. *Venenum* autem dolum dicit: *aſpidum* verò, quia nolunt audire verba incantantis. Aſpidi enim Judæi aptiſſimè comparantur, qui adverſum verba ſalutaria induxerunt miſeri lethiferam ſurditatem.

Quorum os maledictione &c. *Pedes* appellat conſilii progreſſus, quibus de incepto movemur ad exitus rerum. Nam quod dixit *veloces*, oſtendit, moderationis illis conſilia defuiſſe. *Ad effundendum ſanguinem*, Divinum videlicet Salvatoris, ut ſceleratæ rei creſcat immanitas actionis.

Contritio & infelicitas in viis eorum &c. Omnes malorum hominum viæ plenæ ſunt laboribus & miſeria. Unde *non cognoverunt viam pacis*, quæ dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris: jugum enim meum lene eſt, & ſarcina mea levis eſt.*

Nonne cognoſcent omnes &c. ℣. IV.

Omnibus impiis Dominus judicium comminatur, dicens, in retributione generali *cognoſcere* vindictam, qui nunc operantur ſub libertate malitiam. *Qui devorant*, inquit, *plebem meam ſicut eſcam panis:* id eſt: quotidie. Cibus enim panis quotidianus eſt, devorant etiam populum, quia ſua commoda ex illo capiunt, non ferentes miniſterium ſuum ad gloriam DEI, & ad eorum, quibus præſunt, ſalutem

Dominum non invocaverunt &c. ℣. V.

Non enim verè *invocat* Dominum, qui deſiderat, quæ illi diſplicent. Judæi quoque timuerunt regnum terrenum amittere, *ubi non erat timor*. Dixerunt enim: *ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nobis & gentem & locum;* & amiſerunt regnum cœlorum, quod timere debuerunt. Et hoc de omnibus temporalibus commodis intelligendum eſt, quorum amiſſionem cùm timent homines, ad æterna non veniunt.

Quoniam Dominus in generatione &c. ℣. VI.

Ad ſuperiora refertur, quod dicitur: *quoniam DEus in generatione juſta eſt*, ut ſit ſenſus: nonne cognoſcent omnes, qui operantur iniquitatem, quoniam DEus in generatione juſta eſt, id eſt: non in eis, qui diligunt ſæculum. Injuſtum eſt enim relinquere ſæculorum conditorem & diligere ſæculum, & ſervire creaturæ quàm creatori. *Conſilium*

Digitized by Google

inopis confudiſtis &c. id eſt, contempſi- A. ſtis humilem adventum DEI, quia non in eo vidiſtis pompam ſæculi, ut hi, quos vocabat, in DEO ſolo ſpem ponerent, non in rebus tranſeuntibus.

℣. VII. *Quis dabit ex Syon* &c.

Quis dabit? Subauditur: niſi ipſe, cujus humilitatem contempſiſtis. Ipſe enim in claritate venturus eſt ad judicium vivorum & mortuorum, regnumque juſtorum, ut quoniam iſto humili adventu *facta eſt cæcitas ex parte in Iſraël, ut plenitudo gentium intraret*, illo alio fiat quod ſequitur: *& ſic omnis* B. *Iſraël ſalvus fieret.* Pro Judæis Apoſtolus etiam illud Eſaiæ teſtimonium accepit, quod dictum eſt: *veniat ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem ex Jacob*, ſicut hic poſitum eſt: *quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël.* Si autem, ut plerumque ſolet, *ex Jacob* Judæorum populus, per *Iſraël* intelligitur gentium, conſiderandum eſt diverſis cauſis, quàm propria verba tributa ſunt. Ait enim: *exultabit Jacob*, id eſt, inenarrabili gaudio cumulabitur, quando viderit, quod ardentiſſimâ deſiderabat ſpe: *lætabitur Iſraël*, qui non ſperatam ſuſcepit medicinam.

Explicit de Pſalmo XIII.

INCIPIT DE PSALMO XIV.

℣. I. D*Omine quis habitabit in* &c. Quanquam aliquando ponatur *tabernaculum* etiam pro habitatione ſempiterna, tamen cùm propriè accipitur, *tabernaculum* belli res eſt. Ad tempus enim cum Diabolo dimicamus, & tunc opus eſt tabernaculo, D. quo nos reficiamus, quod ſignificat maximè fidem temporalis diſpenſationis, quæ pro nobis acta eſt temporaliter per incarnationem Domini. *Mons* verò ſanctus ipſam æternam habitationem ſignificat. Sed intuere, quàm pulchrè per varios ſenſus apta verba diſtinguantur: *In tabernaculo* dicitur, *quis habitabit?* de illo, qui adhuc in hujus ſæculi agone contendit: *in monte, quis requieſcet?* quando jam unusquisque fidelium per labores hujus ſæculi æternæ pacis ſecuritate reficitur.

Qui ingreditur ſine macula & operatur juſtitiam. ℣. II.

Qui loquitur &c. ℣. III.

Nonnulli enim in labiis habent *veritatem*, in *corde* non habent; tanquam ſi aliquis dolosè oſtendit viam, ſciens in ea eſſe latrones, & dicat: ſi hâc ieris, tutus à latronibus eris, & contingat, ut verè ibi non inveniantur. Verùm ille *locutus eſt in corde* ſuo, aliud enim putabat, & neſciens verum dixit. Ergo parum eſt verum loqui, niſi etiam *in corde* ita ſit. *In lingua* verò agitur *dolus*, cùm aliud ore profertur, aliud pectore legitur.

Nec fecit proximo ſuo malum &c. *Proximum* omnem hominem accipi oportere notum eſt: adverſus quem *opprobrium non accipit*, qui non libenter ac temere credit criminatori.

Ad nihilum deductus eſt &c. ℣. IV.

Iſta perfectio eſt, ut nihil in homine valeat malignus. Et ùt nihil ſit in *con-* C. *ſpectu ejus*, certiſſimè noverit, malignum non eſſe, niſi cùm animus à ſuo creatore æterno & incommutabili ad creaturæ ſpeciem avertitur, quæ de nihilo facta eſt. *Timentes autem Dominum glorificat*, qui poteſt dicere cum Propheta: *mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui DEus.*

Qui jurat proximo ſuo & non decipit &c. Iſta non ſunt magna: ſed qui nec iſta poteſt, multo minùs poteſt *loqui veritatem in corde ſuo*, & non agere *dolum in lingua ſua*, ſed ùt eſt in corde, verum ita proferre, & habere in ore eſt, eſt, non, non, *& non facere proximo ſuo malum*, id eſt: nulli homini, & *opprobrium non accipere adverſus proximum ſuum*, quæ ſunt perfectorum, in conſpectu quorum ad nihilum deductus eſt malignus. Tamen etiam iſta minora ita concludit:

Qui facit hæc non movebitur in æternum. ℣. V.

Explicit de Pſalmo XIV.

INCI-

Digitized by Google

INCIPIT DE PSALMO XV.

Rex noſter in hoc Pſalmo loquitur ex perſona ſuſceptionis humanæ, de quo titulus regalis tempore paſſionis inſcriptus emicuit: *IEſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Sed ipſi in hoc loco veraciter Judæi intelliguntur, qui fidem Chriſti corde retinent ad juſtitiam, & ore confitentur in ſalutem.

℣. I *Conſerva me Domine, quoniam ſperavi in te.* B.

℣. II *Dixi Domino DEus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Quoniam *bonis meis* non expectas tu fieri beatus. Quæ verba, ſi ex perſona Domini accipienda ſunt, notandum valde, quàm aptiſſimè congruant titulo, qui in hebraico ita legitur: *humilis & ſimplicis DEI*: illius videlicet qui dixit: *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Animadvertendum quoque, quod ſolus ille veraciter *Dominus* ſit, qui, ſecundùm quod hìc excellentiſſimè definitur, bono ſervi non eget. Non enim C. Deo ſed nobis præſtamus, ſi benè agimus.

℣. III. *Sanctis qui ſunt in terra ejus* &c.

Sanctis, qui in terra viventium ſpem ſuam poſuerunt, civibus Hieruſalem cœleſtis, quorum converſatio ſpiritualis per anchoram ſpei in illa patria figitur, quæ rectè *Dei terra* nominatur, quamvis adhuc in his terris carne verſentur, *miras fecit* Pater *voluntates meas* in profectu illorum, quò ſenſerunt, quid eis profuerit & humanitas meæ divinitatis ut morerer, & divinitas humanitatis ut reſurgerem. D.

℣. IV. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum* &c.

Hæ *infirmitates* errores ſunt, quas per Evangelicam doctrinam multas in ſe eſſe cernentes *acceleraverunt* ſalutem expetere à Chriſto.

Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus &c. Erunt ergo conventicula eorum non carnalia, nec *de ſanguinibus* pecorum propitiatus congregabo eos, ſed ſpirituali mutatione obliviſcentur, quid fuerint: nec à me jam & A. peccatores, & amici, & homines, ſed juſti & fratres mei, & filii DEI vocabuntur.

Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei &c. ℣. V.

Poſſidebunt enim mecum *hereditatem* ipſum Dominum. Eligant ſibi alii partes, quibus fruantur, terrenas & temporales: portio ſanctorum Dominus æternus eſt. Bibant alii mortiferas voluptates: portio *calicis mei* Dominus eſt. Quod dico: *mei*, adjungo Eccleſiam, quia ubi caput ibi & corpus. Nam in hereditate *congregabo conventicula eorum*, & per calicis ebrietatem obliviſcar nomina vetera eorum, ut nota ſit & his, quos libero, claritas, quâ eram apud te, ô Pater, priusquam mundus fieret. Non enim *reſtitues* mihi, quod non amiſi, ſed *reſtitues* his, qui amiſerunt, ejus claritatis notitiam, in quibus, quia ego ſum, reſtitues.

Funes ceciderunt mihi in præclaris &c. ℣. VI.

Limites paſſionis meæ in tua claritate tanquam ſorte *ceciderunt*, velut poſſeſſio Sacerdotum & Levitarum DEus eſt. Quæ autem ſit ejus præclara hereditas, manifeſtiùs in hebraico, converſione ad Dominum factâ ſic exponit: *Et tu hereditas ſpecioſa mea es.*

Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum &c. ℣. VII.

Eo quippe *intellectu* iſta hereditas videri & poſſideri poteſt. Super intellectum autem uſque ad mortem me erudivit inferior pars, mea carnis aſſumptio, ut experirer tenebras mortalitatis, quas ille intellectus non habet.

Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper &c. ℣. VIII.

Veniens enim in ea, quæ tranſeunt, non abſtuli oculum ab eo, qui ſemper manet, hoc *providens*, ut in eum per temporalia peracta recurrerem, qui mihi ſemper *à dextris eſt*, ut ſtabiliter in eo permaneam.

Propter hoc lætatum eſt cor meum &c. ℣. IX.

Ac ſi apertè dicat: propter hoc & in cogitationibus meis jucunditas, & in verbis exultatio. *Inſuper & caro* non defi-

Digitized by Google

deficiet in interitum, ſed in ſpe reſurre-ctionis obdormiet.

℣. X. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno* &c.

Nam neque animam meam inferis poſſidendam dabis, neque ſanctificatum corpus, per quod & alii ſanctificandi ſunt, corrumpi patieris.

Notas mihi feciſti vias vitæ &c. *Notas feciſti* per me humilitatis *vias*, ut ad *vitam* redirent homines, unde per ſuperbiam ceciderunt. In qua *adimplebis* eos *lætitia*, ut non ultra quærant aliquid, cùm facie ad faciem viderint te, B. in quibus, quia ego ſum, *me adimplebis*. *Delectatio* eſt in favore & propitiatione tua, in hujus vitæ itinere perducens usque ad finem gloriæ conſpectus tui.

Explicit de Pſalmo XV.

INCIPIT DE PSALMO XVI.

HOc eſt perſonæ Domini tribuendum, adjunctâ Eccleſiâ, quæ C. corpus ejus eſt.

℣. I. *Exaudi Domine juſtitiam meam* &c.

Apud Dominum certum eſt habere *juſtitiam* vocem ſuam, quæ res tacitas intelligentiæ ſuæ virtute cognoſcit. Ipſius enim eſt oratio perfecta, cujus & cauſa clamat & lingua. *Non in labiis doloſis*, hoc eſt: non ad te *in labiis doloſis* procedentem. Benè enim orat, in cujus labiis dolus non eſt.

℣. II. *De vultu tuo judicium meum* D. *prodeat* &c.

Ex illuminatione notitiæ tuæ verum judicem. Aut certè *de vultu tuo* ait ſecundùm illa, quæ in me reſpicis atque cognoſcis. Hoc autem ille rectè petebat, qui ſe noverat pollutionem non habere peccati.

℣. III. *Probâſti cor meum & viſitâſti nocte* &c.

Probatum eſt cor meum viſitatione tribulationis. Non autem *nox* tantùm, quia perturbare aſſolet; ſed etiam *ignis*, quia urit, vocanda eſt ipſa tri- A. bulatio, quâ examinatus juſtus inventus ſum.

Ut non loquatur os meum opera hominum &c. ℣. IV.

Ut aliud non procedat ex ore meo, quàm id, quod pertineat ad gloriam tuam. Non ad *opera hominum*, qui faciunt præter voluntatem tuam. *Propter verba* pacis tuæ & Prophetarum tuorum *ego cuſtodivi vias laborioſas* mortalitatis humanæ atque paſſionis.

Perfice greſſus meos in ſemitis tuis &c. ℣. V.

Perficiatur charitas Eccleſiæ in itineribus anguſtis, quibus venitur ad requiem tuam. *Ut non moveantur ſigna itineris mei*, quæ tanquam *veſtigia* ſacramentis & ſcripturis apoſtolicis impreſſa ſunt, quæ intueantur & obſervent, qui me ſequi volunt. Aut certè ut jam ſtabiliter in æternitate permaneam, poſteaquam peregi vias duras, & in anguſtiis ſemitarum tuarum greſſis perfeci.

Ego clamavi quoniam exaudiſti me &c. ℣. VI.

Qui clamat, quoniam exauditur, utique purus, innocens, & immaculatus agnoſcitur: nam confidenter oravit, quoniam ſe audiri poſſe de conſcientiæ puritate præſumpſit. Aut certè ita intelligendum: Ego liberam & validam intentionem precis ad te direxi, quoniam ut hanc habere poſſem, exaudiſti me infirmiùs orantem. Non ergo deſerat exauditio tua humilitatem meam.

Mirifica miſericordias tuas qui ſalvos facis ſperantes in te &c. ℣. VII.

Non vileſcant miſericordiæ tuæ, ne minùs amentur.

A reſiſtentibus dextera tuæ &c. ℣. VIII.

A reſiſtentibus favori, quo mihi faves, *cuſtodi me ut pupillam oculi*, quæ apparet parva & exigua, per eam tamen dirigitur acies luminis, quo lux & tenebræ dijudicantur; ſic per Chriſti humanitatem divinitas judicii, diſcernens inter juſtos & peccatores.

Sub umbra alarum tuarum protege me &c. id eſt: ſub munimento charitatis & miſericordiæ tuæ protege me.

Inimici mei animam meam circumdederunt &c. ℣. IX.

Inimici ejus Judæi, *animam* ipſius, id eſt,

Digitized by Google

id eſt, vitam temporalem, *circumdantes*
eum eripere quæſierunt.

℣. X. *Qui adipem ſuum concluſerunt.*

Id eſt, lætitia ſua pingui cooperti
ſunt, poſteaquàm cupiditas eorum de
ſcelere ſatiata eſt, Et propterea *os eo-
rum locutum eſt ſuperbiam*: *Non babe-
mus Regem niſi Cæſarem*: &: *qui deſtruit
templum* & cætera talia.

℣. XI. *Projicientes me nunc circum-
dederunt me* &c.

Projicientes me extra civitatem,
nunc *circumdederunt me* in cruce, & in-
teſtionem cordis ſui *ſtatuerunt declina-*
B. *re* in iſta terrena, putantes magnum
malum perpeti eum, qui occidebatur.

℣. XII. *Suſceperunt me ſicut leo para-
tus ad prædam* &c.

Suſceperunt me, ſicut ille adverſa-
rius circuiens quærens quem devoret,
& ſicut catulus ejus, populus ſcilicet,
cui dictum eſt: *vos ex patre Diabolo
eſtis*, cogitans de inſidiis, quibus ju-
ſtum circumveniret & perderet.

℣. XIII. *Exurge Domine, præveni eum
& ſupplanta eum* &c.

Exurge DEus, quem dormire infide-
C. lis populus arbitratur, & iniquitates ho-
minum non curare, antequam exerceatur
malitia ſua, ut factum ejus vindicta præ-
veniat, & ita *ſupplanta eum. Erue* autem
animam meam reſuſcitando me à mor-
te, quæ mihi ab impiis irrogata eſt. Ani-
ma autem mea *framea* tua eſt, quam aſ-
ſumpſit manus tua, id eſt, æterna virtus
tua, ut per ipſam regna debellet iniqui-
tatis, & dividat juſtos ab impiis. Hanc
ergo erue ab inimicis meis.

℣. XIV. *Domine à paucis de terra divide
eos* &c.

Pauci ſunt boni ad comparationem
D. malorum; ſed *diviſi* Judæi per orbem
ſunt *à paucis*, qui ex eis crediderunt, de
Eccleſia, quæ *terra* viventium, ſeparati
in vita ipſorum, id eſt: in iſta, quam ſo-
lam ſuam vitam putant, quia æternam
deſperant. Non ſolùm autem iſta pœ-
na eos conſecuta eſt viſibilis, ſed etiam
de peccatis, quæ tanquam tenebræ *ab-
ſconduntur* à lumine veritatis DEI, *adim-
pleta* eſt memoria eorum, ut obliviſce-
rentur DEum.

Saturati ſunt filiis, & dimiſerunt re-
A. *liquias ſuas parvulis ſuis*: hoc eſt: ma-
lorum operum fructibus ſunt repleti, &
peccata infidelitatis ſuæ etiam ſuis poſte-
ris reliquerunt.

Ego autem in juſtitia tua appa- ℣. XV.
rebo &c.

Ego autem qui non apparui eis, qui
corde ſordido & tenebroſo lucem ſa-
pientiæ videre non poſſunt, *In juſtitia
tua* videbo faciem tuam, & *ſatiabor,
cùm apparuerit gloria tua*, ùt hi, qui
me intelligunt. Diligenter verò notan-
dum, & ſolerter eſt memoriæ inculcan-
B. dum, quàm perſpicuè gloria reſurrectio-
nis fidelium juxta editionem hebraicam
his noviſſimis verſiculis declaretur, qui-
bus dicitur: *Ego in juſtitia videbo faciem
tuam: implebor, cùm evigilavero, ſimili-
tudine tua.* Nam cùm conſtet, quòd
niſi juſtificatum corpus Chriſti gratia e-
jus faciem DEI, qui juſtitiæ eſt fons,
videre non poſſit: non ſolùm de tam
excellenti dono gratulatur, ſed inſuper
impleri ſe ſimilitudine ipſius, cùm evi-
gilaverit, id eſt, reſurrexerit, tota certi-
tudine confidit. Quid enim eſt aliud:
implebor, cùm evigilavero, ſimilitudine
C. *tua*, niſi quod beatus Joannes Apoſtolus
ait: *Scimus, quia cùm apparuerit, ſimi-
les ei erimus: quoniam videbimus
eum ſicuti eſt.*

Explicit de Pſalmo XVI.

INCIPIT DE PSALMO XVII.

QUæ eſt iſta *dies*, in qua corpus
Chriſti *de manu omnium inimi-
corum* ſuorum eripiendum ſe
D. novit niſi illa, cujus gloriam in fine præ-
cedentis Pſalmi evidenter expreſſit di-
cens: *implebor, cùm evigilavero, ſimi-
litudine tua.* Cùm enim Eccleſia Chriſti
in evigilatione, id eſt, reſurrectione im-
pleta fuerit ſimilitudine DEI, tunc non
ſolùm de manu cæterorum inimicorum
ereptam ſe gratulabitur, ſed & de manu
Saul, per quem ſignificatur mors, cui in
reſurrectione inſultabunt ſancti dicentes:
*ubi eſt mors victoria tua, ubi eſt mors
aculeus tuus?* Saul quippe, qui inter-
pretatur *petitus*, mortis ſimilitudinem

Digitized by Google

gerit, de qua Scriptura dicit: *DEus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vi-* A.
ventium. Et poſt pauca: *impii autem manibus & verbis accerſierunt illam.*

℣. II. *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum* &c.

Loquitur hæc Chriſtus & Eccleſia id eſt, totus Chriſtus caput & corpus. *Diligam te Domine*, per quem fortis ſum, qui me firmâſti, qui refugi ad te: refugi autem, quia liberâſti me.

℣. III. *Deus meus adjutor meus & ſperabo in eum.*

Qui mihi priùs adjutorium vocatio- B.
nis tuæ præſtitiſti, ut ſperare in te poſſim. *Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus.* Protector meus, quia non de me præſumpſi, quaſi erigens adverſum te cornu ſuperbiæ, ſed te ipſum cornu, hoc eſt, firmam celſitudinem ſalutis inveni: quod ut invenirem, ſuſcepiſti me.

℣. IV. *Laudans invocabo Dominum* &c.

Non meam gloriam, ſed Domini quærens *invocabo Dominum*, & non erit, unde mihi noceant impietatis errores.

℣. V. *Circumdederunt me dolores mortis* &c.

Dolores mortalitatis, hoc eſt, carnis *circumdederunt me*, & turbæ iniquæ ad tempus commotæ velut flumina pluvialia citò deſitura egerunt, ut conturbarent me.

℣. VI. *Dolores inferni circumdederunt me* &c.

In his, qui me circumdederunt, ut perderent, erant *dolores* invidentiæ, qui mortem operantur, perducuntque ad infernum peccati. Prævenerunt autem me, ut priores nocere vellent, quod eis
poſtea redderetur. Tales autem homi- D.
nes capiunt in perditionem, quibus mala perſuaſerint jactatione juſtitiæ, cujus non re ſed nomine adverſus gentes gloriantur.

℣. VII. *In tribulatione mea invocavi Dominum* &c.

De templo, hoc eſt, de corde meo, in quo habitat, *exaudivit vocem meam, & clamor meus*, quem non in auribus hominum, ſed coram ipſo intus habeo, *introivit in aures ejus.*

℣. VIII. *Commota eſt & contremuit terra, fundamenta montiũ conturbata ſunt.*

Clarificato Filio hominis *commoti ſunt & contremuerunt* peccatores, & ſpes ſuperborum, quæ in hoc ſæculo fuerunt, conturbatæ ſunt, ut ſcilicet jam firmamentum non haberet in cordibus hominum ſpes temporalium bonorum.

Aſcendit fumus in ira ejus &c. ℣. IX

Aſcendit lachrymoſa deprecatio pœnitentium, cùm cognoviſſent, quid minaret DEus impiis: & flagrantia charitatis de notitia ejus poſt pœnitentiam *exarſit*: & illi, qui jam mortui erant, deſerti ab igne boni deſiderii ac luce juſtitiæ, & frigidi tenebroſique remanſerant, rurſus *accenſi* & illuminati revixerunt.

Inclinavit cœlos & deſcendit &c. ℣. X.

Apoſtolos humilitate informavit, & impii, qui terrena ſapiunt, *caliginem* malitiæ ſuæ non cognoverunt.

Et aſcendit ſuper Cherubim & volavit &c. ℣. XI.

Exaltatus eſt ſuper plenitudinem ſcientiæ, ut nemo ad Dominum veniret niſi per charitatem. *Plenitudo enim legis eſt charitas:* & citò ſe incomprehenſibilem eſſe monſtravit dilectoribus ſuis, ne illum corporeis imaginationibus pre-
C. hendere ſe poſſe arbitrarentur. Illa autem celeritas, qua ſe incomprehenſibilem eſſe monſtravit, ſuper virtutes animarum eſt, quibus ſe velut pennis à terris in auras libertatis extollunt.

Et poſuit tenebras latibulum ſuum. ℣. XII.

Poſuit obſcuritatem ſacramentorum, & occultam ſpem in corde credentium, ubi lateret ipſe non eos deſerens. In his etiam *tenebris*, ubi per fidem adhuc ambulamus, non per ſpeciem, quamdiu quod non videmus, ſperamus, & per patientiam expectamus. Converſi tamen ad ipſum ambiunt eum, qui credunt ei, quia in medio eorum eſt, cùm omnibus æqualiter favet, in quibus, tanquam in tabernaculo habitat hoc tempore. Nec propterea quisquam in illa luce, quæ futura eſt, cùm ex fide ad ſpeciem venerimus, jam ſe eſſe arbitretur, ſi Scripturas rectè intelligit: quia in Prophetis, atque omnibus divini verbi prædicatoribus obſcura doctrina eſt in comparatione fulgoris, qui eſt *in conſpectu* manifeſtationis ejus. Unde & ſequitur:

Præ fulgore in conſpectu ejus nubes &c. ℣. XIII.

Nubes

Digitized by Google

Nubes ejus, id eſt, prædicatores ver- A bi ejus, non jam in Judææ finibus continentur, ſed *tranſierunt* ad gentes. Objurgationes autem, quibus velut *grandine* corda dura tunduntur, ſi animus mitis & pius exceperit, in doctrinam ſatiantem reſolvuntur; igne verò charitatis accenſo corda reviviſcunt. Hæc omnia in nubibus ipſius ad gentes *tranſierunt*.

℣. XIV. *Et intonuit de cœlo Dominus* &c.

Ut in profundo rerum humanarum audirentur cœleſtia.

℣. XV. *Et miſit ſagittas ſuas, & diſſi-* B *pavit eos, fulgura* &c.

Et miſit Evangeliſtas pennis virtutum recta itinera transvolantes, non ſuis ſed ejus, à quo miſſi ſunt, ut aliis eſſent odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. *Multiplicavit* quoque miracula, *& conturbavit eos*.

℣. XVI. *Et apparuerunt fontes aquarum* &c.

Revelati ſunt Prophetæ, qui non intelligebantur, ſuper quos ædificaretur orbis terrarum, credens Domino. *Ab increpatione tua Domine, ab inſpiratione* C *ſpiritus iræ tuæ:* clamantis ſcilicet: *appropinquavit ſuper vos regnum* DEI, &: *niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimul moriemini.*

℣. XVII. *Miſit de ſummo & accepit me* &c.

Vocando ex gentibus in hereditatem glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aſſumpſit me de multitudine populorum.

℣. XVIII. *Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis* &c.

Eripuit me de inimicis meis, qui præ- D valuerunt ad affligendam & pervertendam iſtam temporalem vitam meam.

℣. XIX. *Prævenerunt me in die afflictionis meæ* &c.

Priores mihi nocuerunt in tempore, quô mortale & laborioſum corpus gero; Et quoniam amaritudine miſeriarum firmamentum terrenæ voluptatis contribulatum atque convulſum eſt, *factus eſt Dominus protector meus.*

℣. XX. *Et eduxit me in latitudinem, ſalvum me fecit, quoniam voluit me.*

Quia carnales patiebar anguſtias, *eduxit me* in ſpiritalem *latitudinem* fidei, *quoniam voluit me*, antequam ego illum vellem.

Et retribuet mihi Dominus ſecundùm juſtitiam meam &c. ℣. XXI.

Retribuet mihi Dominus ſecundùm juſtitiam bonæ voluntatis, qui prior præbuit miſericordiam, antequam haberem bonam voluntatem: *& ſecundùm puritatem factorum meorum*, qui tribuit mihi, ut benè facerem, educendo me in latitudinem fidei.

Quia cuſtodivi vias Domini, nec impiè geſſi à Deo meo. ℣. XXII.

Ut latitudinem bonorum operum, quæ per fidem ſunt, longanimitas perſeverandi conſequatur.

Quoniam omnia judicia ejus in conſpectu meo &c. ℣. XXIII.

Id eſt: Et præmia juſtorum, & pœnas impiorum, & flagella corrigendorum, & tentationes probandorum perſeveranti conſidero contemplatione. *Et juſtitias ejus non repuli a me*, quod faciunt deficientes ſub ſarcina earum, & revertentes ad vomitum ſuum.

Et ero immaculatus cum eo, & obſervabo me ab iniquitate mea: ℣. XXIV.

Et retribuet mihi Dominus ſecundùm juſtitiam meam &c. ℣. XXV.

Non ſolùm propter latitudinem fidei, quæ per dilectionem operatur, ſed etiam propter longitudinem perſeverantiæ, *retribuit mihi Dominus*, non quod homines vident, *ſed in conſpectu oculorum ejus*, quoniam quæ videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt, quod pertinet ad altitudinem ſpei.

Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: ℣. XXVI.

Et cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris. ℣. XXVII.

Eſt etiam occulta profunditas, quâ intelligeris *cum ſancto ſanctus*, quia tu ſanctificas, *& cum viro innocente innocens*, quia nulli noces, ſed criniculis peccatorum ſuorum unusquisque conſtringitur: & ab eo, quem eligis, eligeris, & *cum perverſo* videris *perverſus*, quoniam dicunt: *non eſt recta via Domini*, & ipſorum via non eſt recta.

Digitized by Google

℣. XXVIII *Quoniam tu populum humilem ſalvum facies &c.*

Hoc perverſum videtur perverſis, quòd confitentes peccata ſua ſalvos facis: ignorantes autem Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, *humilias.*

℣. XXIX. *Quoniam tu illuminas lucernam meam &c.*

Non eſt noſtrum lumen ex nobis, ſed *tu illuminas lucernam meam Domine:* nos enim peccatis noſtris tenebræ ſumus, ſed DEus meus illuminabit tenebras meas.

℣. XXX. *Quoniam in te eripiar à tenta-* B. *tione, & in Deo meo transgrediar murum.*

Non in me, ſed *in te eripiar à tentatione*, & non in me, ſed *in Deo meo transgrediar murum*, quem inter homines & cœleſtem Hieruſalem peccata erexerunt.

℣. XXXI. *DEus meus impolluta via ejus, eloquia Domini igne examinata &c.*

DEus meus non venit in homines, niſi manducaverint viam fidei, quâ veniat ad eos, quia *impolluta eſt via ejus. Eloquia* quoque *Domini igne* examina- C. tionis probantur, & omnes, qui non in ſe ipſis, ſed in illo ſperant, eàdem tribulatione non conſumuntur; ſpes enim ſequitur fidem.

℣. XXXII. *Quoniam quis Deus præter Dominum aut quis Deus præter Deum noſtrum?*

Quis Deus præter Dominum, cui ſervimus? Et *quis Deus præter Deum noſtrum*, quem poſt bonam ſervitutem tanquam hereditatem ſperantes filii poſſidebimus?

℣. XXXIII *Deus, qui præcinxit me virtu-* D. *te, & poſuit immaculatam viam meam.*

Præcinxit me, ut fortis ſim, ne defluentes ſinus cupiditatis impediant opera & greſſus meos. *Et poſuit immaculatam viam* charitatis, qua ad illum veniam, ſicut impolluta eſt fides, qua venit ad me.

℣. XXXIV. *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & ſuper excelſa ſtatuens me.*

Qui perfecit amorem meum ad A. transſcendenda ſpinoſa & umbroſa implicamenta hujus ſæculi, & ſuper cœleſtem habitationem figit intentionem meam, ut impleat in omnem plenitudinem DEI.

Qui docet manus meas ad prælium &c. ℣. XXXV.

Qui docet me operari ad ſuperandos inimicos, qui nobis intercludere cœleſtia regna conantur. *Et poſuiſti* infatigabilem intentionem bonorum operum meorum.

Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, & dextera tua ſuſcepit me. ℣. XXXVI

Dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, & favor gratiæ tuæ ſuſcepit me.

Et diſciplina tua correxit me in finem, & diſciplina tua ipſa me docebit. Diſciplina tua me deviare non ſinens correxit, ut quidquid ago, in eum finem referam, quò hæretur tibi, & eadem diſciplina tua me docebit pervenire, quò direxit.

Dilatâſti greſſus meos ſubtus me, & non ſunt infirmata veſtigia mea. ℣. XXXVII.

Nec impediunt carnales anguſtiæ, quoniam latam feciſti charitatem meam operantem hilariter, etiam de ipſis quæ ſubter me ſunt, mortalibus rebus & membris: *& non ſunt infirmata* ſive itinera mea, ſive ſigna, quæ impreſſi ad imitandum ſequentibus.

Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant. ℣. XXXVIII

Perſequar affectus meos carnales, ne ab eis comprehendar, ſed comprehendam illos, ut abſumantur, & ab iſta intentione *non convertar* ad quietem, *donec deficiant*, qui obſtrepunt mihi.

Confringam illos, nec poterunt ſtare, cadent ſubtus pedes meos. ℣. XXXIX.

Confringam illos, nec durabunt adverſum me: directos illis proponam timores, quibus ambulo in æternum.

Et præcinxiſti me virtute ad bellum, ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me. ℣. XL.

Conſtrinxiſti fluentia deſideria carnis meæ virtute, ne in tali pugna præpedirer,

Digitized by Google

direr, & decipi feciſti eos, qui me inſequebantur, ut ſubter me fierent, qui ſuper me eſſe cupiebant.

℣.XLI. *Et inimicos meos dediſti mihi dorſum* &c.

Inimicos meos convertiſti, & dorſum mihi eos feciſti eſſe, id eſt, ut ſequerentur me, alios autem eorum, qui in odio perdurârunt, diſperdidiſti.

℣. XLII. *Clamaverunt, nec erat qui ſalvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos.*

Quis enim ſalvos faceret, quos tu non faceres? Nec ad quemlibet, ſed ad Dominum clamaverunt, nec exaudive dignos judicavit non recedentes à malitia ſua, quod de Judæis ſpecialiter intelligendum eſt, qui in Synagogis clamant, nec exaudiuntur, quia terrenam Hieruſalem deſiderant non cœleſtem.

℣. XLIII. *Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti* &c.

Et aridi ſunt non recipientes imbrem miſericordiæ DEI, ut elati ſuperbia ab ſpe firma & inconcuſſa tanquam à terræ ſoliditate ac ſtabilitate rapiantur: *Ut lutum platearum*, quia per latas, quas multi ambulant, perditionis vias luxuriantur & lubrici ſunt.

℣.XLIV. *Eripies me de contradictionibus populi* &c.

Eripies me de contradictionibus eorum, qui dixerunt: *ſi dimiſerimus eum vivum, ſeculum poſt illum abit.*

℣.XLV. *Populus quem non cognovi* &c.

Populus gentium, quem corporali præſentia non viſitavi, ſervivit mihi: neque oculis me vidit, ſed recipiens prædicatores meos *in auditu auris obedivit mihi.*

℣. XLVI. *Filii alieni mentiti ſunt mihi* &c.

Filii non mei dicendi, ſed potiùs *alieni*, quibus rectè dicebatur: *vos ex patre Diabolo eſtis, mentiti ſunt mihi: Filii alieni*, quibus ut renovarentur, novum teſtamentum attuli, in vetere homine remanſerunt, & tanquam uno pede debiles (quia vetus tenentes novum reſpuerunt) claudi effecti ſunt, etiam in ipſa veteri lege potiùs ſuas traditiones ſequentes quàm DEI.

Calumniabantur enim de manibus non lotis, quia tales erant *ſemitæ*, quas ipſi fecerant, & conſuetudine triverant, aberrando ab itinere præceptorum DEI.

Vivit Dominus, & benedictus Deus meus &c. ℣. XLVII.

Non terrena conſuetudine de Deo ſalutis meæ ſentio: nec terrenam ipſam ſalutem ſed in excelſo de illo ſperem.

Deus qui das vindictas mihi &c. ℣. XLVIII.

DEus qui vindicas me ſubdendo ſub me populos, *liberator meus de inimicis meis* Judæis, clamantibus: crucifige, crucifige.

Et ab inſurgentibus in me exaltabis me &c. ℣. XLIX.

Ab eiſdem inſurgentibus in me patientem, exaltabis me reſurgentem, atque à regno eorum iniquo eripies me.

Propterea confitebor tibi in nationibus Domine &c. ℣. L.

Propterea tibi pro me confitebuntur gentes Domine, & latiùs innoteſces bonis operibus meis.

Magnificans ſalutes Regis ejus &c. ℣. LI.

DEus magnificat, ut amabiles faciat ſalutes, quas ejus Filius dat credentibus, & *facit miſericordiam Chriſto ſuo*, ipſi liberatori manu forti, qui vicit hunc mundum, & eis, quos credentes in Evangelio genuit in æternum.

Quæcunque in hoc Pſalmo dicta ſunt, quæ ipſi propriè Domino, id eſt, capiti Eccleſiæ congruere non poſſunt, ad Eccleſiam referenda ſunt. Totus enim hic JEſus loquitur, in quo ſunt omnia membra ejus.

Explicit de Pſalmo XVII.

INCI-

INCIPIT
DE PSALMO XVIII.

Titulus notus eſt, nec Dominus JEſus Chriſtus hæc dicit, ſed de illo hæc dicuntur.

℣. II. *Coeli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.*

Juſti Evangeliſtæ, in quibus DEus tanquam in cœlis habitat, exponunt B. gloriam Domini noſtri JEſu Chriſti, ſive gloriam, quâ glorificavit Patrem Filius ſuper terram. Et facta virtutum Domini *annuntiat firmamentum:* fiducia quippe Spiritus Sancti firmamentum & cœlum factum eſt, quod antea timore terra erat.

℣. III. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.*

Spiritus ſpiritalibus profert plenitudinem incommutabilis ſapientiæ DEI, quod Verbum in principio DEus apud DEum eſt, & mortalitas carnis, tan- C. quam longè poſitis carnalibus fidem inſinuando annuntiat futuram ſcientiam.

℣. IV. *Non ſunt loquelæ neque ſermones:*

Per quas non auditæ ſunt voces Evangeliſtarum, cùm omnibus linguis Evangelium prædicaretur.

℣. V. *In omnem terram exivit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.*

℣. VI. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum* &c.

Dominus, ut adverſus regna temporalium errorum belligeraret, non pacem ſed gladium miſſurus in terram, in tempore vel in manifeſtatione poſuit tanquam militare habitaculum ſuum, hoc eſt, diſpenſationem incarnationis ſuæ, procedens de utero virginali, ubi Dominus naturæ humanæ tanquam ſponſus ſponſæ copulatus eſt. *Exultavit ut gigas ad currendam viam ſuam* &c. Exultavit ſicut fortiſſimus, & cæteros homines incomparabili virtute præce- A. dens, non ad habitandum, ſed ad currendam viam. Et

℣. VII. *A ſummo cœli egreſſio ejus:*

Id eſt: à Patre, non temporalis æquiparatio, ſed æterna, quâ de patre natus eſt. *Et occurſus ejus usque ad ſummum ejus* &c. Occurrit plenitudine divinitatis usque ad æqualitatem Patris. Cùm autem verbum etiam caro factum eſt, & habitavit in nobis, mortalitatem noſtram ſuſcipiens, non permiſit ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis, & ipſam penetravit verbi calor.

℣. VIII. *Lex Domini immaculata convertens animas* &c.

Lex Domini, id eſt, qui venit legem implere non ſolvere. Et *immaculata* lex, quia peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus, non premens animas ſervitutis jugo, ſed ad ſe imitandum libertate convertens. Cujus *teſtimonium fidele* eſt, quia nemo novit Patrem niſi Filius, & cui voluerit revelare, quæ abſcondita ſunt à ſapientibus, & revelata parvulis, quoniam DEus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

℣. IX. *Juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda* &c.

Omnes *juſtitiæ Domini* in illo *rectæ*, qui non docuit, quod ipſe non fecit, ut qui imitarentur, corde gauderent in eis, quia liberè cùm charitate facerent, non ſerviliter cum timore. Cujus præceptum *lucidum* eſt, ſine velamento ſcilicet carnalium obſervationum, *illuminans* hominis inferioris aſpectum.

℣. X. *Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi* &c.

Timor Domini non ille ſub lege pœnalis, temporalia bona ſibi ſubtrahi per- D. horreſcens, quorum dilectione anima inquinatur: ſed *ſanctus*, quô Eccleſia ſponſum ſuum quantò ardentius diligit, tantò diligentius cavet offendere. Et ideo non foras mittit conſummata dilectio timorem hunc, ſed *permanet in ſæculum ſæculi*. *Judicia* quoque ejus, qui non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio, verè *juſtificata* incommutabiliter. Neque enim & minatus, & pollicitus Deus quemquam fallit, aut quisquam & impios ſupplicio

Digitized by Google

cio ejus, & pios præmio ejus poteſt A. eripere.

℣. XI. *Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum &c.*

Sive *multum* ipſum aurum & lapidem, ſive *multum* pretioſum, ſive *multum* deſiderabilia, tamen *deſiderabilia judicia* DEI ſuper pompas hujus ſæculi, quarum deſiderio fit, ut non deſiderentur, ſed timeantur, aut contemnantur, aut non credantur judicia DEI. Quod ſi quisque ipſe ſit aurum, lapisque pretioſus, ut igne non conſumatur, ſed aſſumatur in theſaurum B. DEI, plus quam ſe ipſum deſideret judicia ejus, cujus voluntatem præponit ſuæ; & ſive quisque jam ſit mel, quia ſolutus vitæ hujus vinculis exſpectat diem, quo veniat in epulas DEI: ſive adhuc favus ſit, ut quaſi cera circumplicetur hac vita, non huic concretus, ſed implens eam, cui opus ſit aliqua preſſura, non opprimentis, ſed exprimentis manus DEI, quâ de temporali vita in æternum relinquetur: *dulciora* illi ſunt judicia DEI, quàm ſibi ipſi eſt, quia *ſuper mel & favum* illa dulciora ſunt.

℣. XII. *Etenim ſervus tuus cuſtodit ea &c.*

Ideo inquit, tam dulcia mihi ſunt, quia cuſtodio ea: nam non cuſtodienti amara dies Domini. Itaque non in aliquo extra poſito commodo, ſed in eo ipſo, quòd judicia DEI cuſtodiuntur, *multa retributio* eſt, quia gaudetur in eis.

℣. XIII. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me &c.*

In *delictis* autem, qualis ſuavitas poteſt eſſe, ubi non eſt intellectus, quoniam *delicta quis intelligit?* Quæ ipſum occultum claudunt, cui ſuavitas eſt veritas, cui deſiderabiliora & dulciora ſunt judicia DEI, & ſicut tenebræ oculos, ita delicta mentem nec lucem ſinunt videre, nec ſe. Ab *occultis* ergo *meis*, inquit, *munda me* Domine, nec ſeducas *ab alienis*. Neque enim ab alienis capitur, qui eſt mundus à ſuis. *Parce* itaque *ab alienis* cupiditatibus, non ſuperbo, & in ſua poteſtate eſſe cupienti, ſed *ſervo tuo*.

Si mei non fuerint dominati &c. ℣. XIV.

Hujus verſiculi ſenſum manifeſtiorem facit ex hebræo translata editio, ubi legitur: *à ſuperbis quoque libera ſervum tuum; ſi mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*: ſuperbi enim & alieni maligni ſpiritus intelliguntur ob immanitatem ſuperbiæ ſuæ à DEO irremeabiliter alienati, quorum dominatio per peccatum humanum genus oppreſſit. Cùm ergo oraſſet ſuperiùs dicens: *ab occultis meis munda me*, congruè mox ſubdidit: *ſi mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*: quia ſi ſuperbi & alieni illi à DEO ſpiritus nullam in nobis peccati meritò obtinuerint poteſtatem, tunc verè celeri remiſſione percepta immaculati erimus. Et quia radix ac fomes totius peccati ſuperbia eſt, per quam & Diabolus corruit, & primus homo mundo mortem induxit, etiam ab hoc *delicto maximo emundabimur* de poteſtate Dæmonum liberati, quorum princeps eſt dominator ſuperborum, ſicut de illo legitur: *ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*. Si autem legamus, ut in qui- C. busdam codicibus habetur: *ſi mei non fuerint dominata, tunc immaculatus ero*; hic ſenſus eſt: ſi mei non fuerint dominata occulta mea & aliena, tunc immaculatus ero. Non enim eſt tertia origo peccati præter *occultum* ſuum, quò cecidit diabolus, & *alienum*, quò ſeductus eſt homo, ut conſentiendo ſuum faceret. *Et emundabor*, inquit, *à delicto maximo*, ſuperbiæ ſcilicet: non enim eſt majus delictum, quam apoſtatare à DEO, quod eſt initium ſuperbiæ hominis. Et verè ille immaculatus eſt, qui etiam hoc delicto ca- D. ret, quia hoc eſt ultimum redeuntibus ad Dominum, quod recedentibus primum fuit.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei &c. ℣. XV.

Meditatio cordis mei, non ad jactantiam placendi hominibus, quia jam nulla ſuperbia eſt, ſed *in conſpectu tuo ſemper*, qui conſcientiam puram inſpicis.

Domine adjutor meus & Redemptor meus. Domine adjutor meus tendentis ad te,

Digitized by Google

ad te, quoniam *Redemptor meus* es, ut tenderem ad te, ne quiſquam & ſapientiæ ſuæ tribuens, quòd ad te convertitur, & viribus, quòd ad te pervenit, magis repellatur abs te, qui ſuperbis reſiſtis, quia non eſt mundatus à delicto maximo, nec complacuit in conſpectu tuo, qui redimis, ut convertamur, & adjuvas, ut perveniamus ad te.

Explicit de Pſalmo XVIII.

INCIPIT
DE PSALMO XIX.

Notus eſt titulus, nec Chriſtus dicit, ſed Chriſto dicit Propheta, figura optandi, quæ ventura ſunt, canens;

℣. II *EXaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob* &c.

Exaudiat te Dominus *in die*, qua dixiſti: *Pater ſalvifica me ex hac hora*: ad te enim pertinet populus, poſteriùs natus, quia major ſerviet minori.

℣. III. *Mittat tibi auxilium de Sancto* &c.

Faciens tibi ſanctificatum corpus Eccleſiam, quæ te tanquam de ſpeculatione expectat, quando venias à nuptiis.

℣. IV. *Memor ſit omnis ſacrificii tui* &c.

Memores nos faciat omnium injuriarum tuarum, & contumeliarum, quas pro nobis pertuliſti, & crucem, quâ totus animâ & corpore oblatus es DEO, in lætitiam reſurrectionis convertat.

℣. V. *Tribuat tibi ſecundum cor tuum* &c.

Tribuat tibi non ſecundùm cor eorum, qui putaverunt perſequendo te poſſe deleri, ſed *ſecundùm cor tuum*, qui ſciſti, quid utilitatis haberet paſſio tua. *Et confirmet omne conſilium tuum*, non ſolùm quô animam poſuiſti pro amicis tuis, ut mortificatum granum copioſiùs ſurgeret; ſed etiam, quô cœci-

A. tas ex parte in Iſraël facta eſt, ut plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſalvus fieret.

Lætabimur in ſalutari tuo &c. ℣. VI.

Lætabimur, quòd tibi mors nihil nocebit, ita enim eam nec nobis nocere poſſe monſtrabis. Et confeſſio nominis tui non ſolùm non perdet, ſed etiam magnificabit nos.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas &c. ℣. VII.

Impleat Dominus non ſolùm *petitio-*
B. *nes*, quas habuiſti in terra, ſed etiam quibus in cœlo interpellas pro nobis. Nunc enim mihi per prophetiam demonſtratum eſt, quoniam reſuſcitabit Dominus Chriſtum ſuum.

Exaudiat illum de cœlo ſancto ſuo &c. *Exaudiat* illum non de terra tantùm, ubi ſe petit clarificari, verùm etiam *de cœlo*, ubi jam ad dexteram Patris interpellans pro nobis diffudit inde Spiritum Sanctum ſuper credentes in ſe. *Potentatus* verò noſtri ſunt *ſalus* favoris ejus, cùm etiam de tribulatione dat auxilium, ut quando infirmamur, tunc
C. potentes ſimus. Nam vana ſalus hominum, quæ non *dextera* ſed ſiniſtra ejus eſt: ecce enim extolluntur in magna ſuperbia, quicunque peccantes temporaliter ſalvi facti ſunt.

Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini DEI noſtri invocabimus, ℣. VIII.

Hi volubili ſucceſſione temporalium bonorum trahuntur, & hi ſuperbi efferuntur honoribus, atque in his exultant. Nos autem ſpem figentes in æternis, neque gloriam noſtram quæ-
D. rentes, *in nomine Domini DEI noſtri exultabimus*.

Ipſi obligati ſunt & ceciderunt &c. ℣. IX.

Ipſi rerum temporalium cupiditate *obligati ſunt*: timentes parcere Domino, ne à Romanis perderent locum, & irruentes in lapidem offenſionis & petram ſcandali, de ſpe cœleſti ceciderunt, quibus cæcitas ex parte Iſraël facta eſt, ignorantibus DEI juſtitiam, & ſuam

Digitized by Google

& ſuam volentibus conſtituere: Nos verò, ut plenitudo gentium intraret, de lapidibus excitati filii Abraham, qui non ſectabamur juſtitiam, apprehendimus eam, & *ſurreximus*, nec viribus noſtris, ſed per fidem juſtificati *erecti ſumus*.

℣. X. *Domine ſalvum fac Regem* &c.

Domine ſalvum fac Regem, & ipſe, qui nobis exemplum præliandi paſſione ſua monſtravit, offerat etiam ſacrificia noſtra ſacerdos excitatus à mortuis, quò jam pro nobis offerente, *exaudi nos in die qua invocaverimus te*.

Explicit de Pſalmo XIX.

INCIPIT DE PSALMO XX.

Titulus notus eſt: de Chriſto canitur.

℣. II. *DOmine in virtute tua lætabitur Rex* &c.

Domine in virtute tua, quod Verbum caro factum, lætabitur homo Chriſtus JEſus, *& ſuper hoc*, quòd vivificas omnia, *exultabit vehementer*.

℣. III. *Deſiderium cordis ejus tribuiſti ei* &c.

Deſideravit manducare Paſcha, & ponere cùm vellet, atque iterum ſumere animam ſuam, & dediſti ei; *pacem meam*, inquit, *relinquo vobis*, & factum eſt.

℣. IV. *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis* &c.

Quoniam priùs hauſerat *benedictionem dulcedinis* tuæ, fel peccatorum noſtrorum non nocuit ei, quem in principio ſermonis ejus accedentes ambierunt lapides pretioſi, diſcipuli ſui, à quibus exordium annuntiationis ejus fieret.

℣. V. *Vitam petiit à te, & tribuiſti ei longitudinem dierum* &c.

Reſurrectionem petiit dicens: *Pater clarifica filium tuum*: & dediſti ei longa tempora ſæculi hujus, quæ haberet Eccleſia, & deinceps æternitatem *in ſæculum ſæculi*.

℣. VI. *Magna eſt gloria ejus in ſalutari tuo* &c.

Magna eſt quidem *gloria ejus* in ſalute, qua eum reſuſcitaſti; ſed adhuc *gloriam & magnum decorem* addes ei, cùm in cœlo collocabis ad dexteram tuam.

℣. VII. *Quoniam dabis eum in benedictionem* &c.

Hæc eſt *benedictio*, quam *dabis* ei *in ſæculum ſæculi*: *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo* ſecundùm hominem, quem levavit ad te.

℣. VIII. *Quoniam Rex ſperat in Domino* &c.

Quoniam Rex non ſuperbit, ſed humilis corde *ſperat in Domino*, *& in miſericordia Altiſſimi non conturbabitur*, humilians ſe, & obediens usque ad mortem Crucis.

℣. IX. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis* &c.

Inveniatur ò Rex poteſtas tua, cùm ad judicandum veneris, *omnibus inimicis tuis*, qui eam in humilitate tua non intellexerunt, claritáſque, quâ regnas ad dexteram Patris, *inveniat* in die judicii puniendos, *qui te oderunt*, quia nunc ipſi non invenerunt eam.

℣. X. *Pones eos ut clibanum ignis* &c.

Conſtitues eos ardentes intrinſecùs conſcientia impietatis ſuæ in tempore manifeſtationis tuæ: deinde conturbati vindicta Domini poſt accuſationem conſcientiæ dabuntur æterno devorandi incendio.

℣. XI. *Fructum eorum de terra perdes* &c.

Fructum eorum, quia terrenus eſt, *perdes de terra*, & opera illorum, & quoscunque ſeduxerunt, non deputabis inter filios hominum, quos in hæreditatem ſempiternam vocaſti.

℣. XII. *Quoniam declinaverunt in te mala* &c. A.

Hæc pœna retribuetur eis, quoniam mala, quæ ſibi imminere te regnante arbitrabantur, in te occidendum retorſerunt, cogitaverúntque conſilia dicentes: *expedit unum pro omnibus mori.* Et: *Venite, occidamus eum, & habemus hæreditatem ejus.* Quæ idcirco *non potuerunt ſtabilire*, neſcientes quid dixerint, nec adepti, quod cupierunt.

℣. XIII. *Quoniam pones eos dorſum* &c.

Quoniam ordinabis eos in his, à quibus poſtpoſitis & contemptis averteris, & in his, quæ relinquis, id eſt, cupiditatibus regni terreni, præparabis tibi ad paſſionem impudentiam eorum.

Exaltare Domine in virtute tua &c. ℣. XIV.

O *Domine*, quem humilem non cognoverunt, *exaltare in virtute tua*, quam infirmitatem putaverunt. Nos autem corde & opere celebrabimus, & nota faciemus mirabilia tua.

Explicit de Pſalmo XX.

FINIS.

Digitized by Google